






OCHUS, Hieronymus

Morbis.

LIBRI QVATVOR



HIERONYMI
OCHI RIZETTI
Medici Brixienſis
De Peſtilentibus, ac Venenoſis
Morbis.

LIBRI QVATVOR


In quibus Peſtilentes Conſtitutiones, & morbi earum ſingularum Proprij Explicantur.

Necnon Venenorum, Contagijq; ratio, atq; agendi modus, non per proprietatem occultam ſed apertam cauſſam, nota efficiuntur.

His acceſsit de febribus Malignis vulgaribus.

TRACTATIO VTILISSIMA.

Eaq; noua prorſus doctrina referta.



BRIXIAE, M.DCL.
Apud Io: Baptiſtam Gromij.


LIBRARY

SERENISSIMO CAROLO
Duci Mantuę II. & Montisferrati &c.

Hieronymus Occhi F.



A proculdubio rerũ omniũ conditio eſt, Sereniſſime Dux, vt ſiue paruę ſiue magnę illæ ſint, omnes tamẽ Magnis viris, vt protectoribus adhærere quodammodò ambiant. quod ſanè me quoq; impulit, vt opus hoc, etſi mole paruũ, cõtentorum tamen ratione magnum, Celſitudini Tuę, qui Magnus Princeps es, omnino ſubijcere vellẽ. Namq. nonne magnum quid eſt, febrium malignitatem, falſo in medicina ab inſigni quadam putredine petitam, vnde poſtmodum ad earumdem curationem humana quodammodo intelligẽtia cęcutiebat, aperuiſſe, ac ob vel normam veræ curationis tradidiſſe? nonne magnum quid eſt, peſtilentiam omnem, fruſtra alioquin vel à Cęlis, vel aeris corruptione, aut venenoſitate à medicis omnibus exquiſitam, ad veram, certã, ac notam cauſſam reduxiſſe? nonne rurſus magnũ quid eſt contagionis omnis formalitatem, atq; agendi vim, a nemine vnquam apprę henſam, phiſice demonſtraſſe, atq; expreſſiſſe? nonne demũ magnum immo maximum eſt venenorum omnium rationẽ, atque actionem, aliter à medicis, ac Philoſophis cunctis vni occultæ proprietati, arcanæue qualitati vnanimiter aſſignatam, per philoſophicam, patentem, atq; euidentem cauſſam declaraſſe, & apertæ luci expoſuiſſe? Quo factum eſt, vt cuiuſcumq; effectus, quantumuis admirabilis, ab hoc vel illo

veneno

veneno producti, vera ac phisica caussa quam scire in medicina, ac Philosophia vt impossibile habebatur, hominis captũ non effugerit. & ipsius etiam magneticæ attractionis, ac reiectionis fundamentalis, ac germana ratio à tenebrarum inuolucro in apertam prodiderit lucem. Vt propterea cum alij philosophiam ducem sectarentur, alij minus perspicaces in proprietatem occultam refunderent caussam ab his modo ex nostris placitis, nouisq; peruestigationibus, caliginem omnem esse abstersam, verasq; iam caussas esse patefactas minime dubitemus. Cuncta igitur hæc cũ magna sint, Magnitudini, tum animi, tum imperij Tui vere consensentanea esse duxi, & ob id ante Celsitudinis Tuæ Tribunal sistere non dubitaui. in his nexus sunt Gordiani, Tuæ soli Alexandrinę dexteræ reseruati. sunt monstra in his folijs, Herculeam quæ Tuam petunt dexteram. Subeat ergo libenter opus hoc quale quale meum Monarchicum Celsitudinis Tuæ iudicium, & confidentissime Seruus Tuus, qui illud elaborauit, subeat Serenissimum Patrocinium. Diu nobis Te seruet Deus incolumem, & Nestore digniori Nestorea sæcula largiatur. Suscipe regia hilaritate regiũ munus; Regia enim existit medicina, quę olim solis cum Regibus morabatur. id si facias, oblatrantium non pauebit morsus, suos in Te Gyges, Sabores, Mesues, & Mitridates regios medicos recognoscens. Cyri deniq; humanitate, qua præstas, non haustum aquę, rustica manu oblatum, sed modicũ atramenti in morborum venenosorum necem candido corde expressum, non dedignere. Tandem

audacibus annue cęptis

Ignarumq; vię tantę miseratus agrestem.

Ingredere, & votis iam nunc assuesce vocari.

Proœmium, & libri propositum.

MVlti fortaſſe, vbi primum viderint, vel audiuerint eſſe excuſſum, opus hoc, vt ſuperuacaneum putabunt: ideo quod de peſte, ac venenis tractarint tot, tantique ingenioſiſſimi viri, vt ad nauſeã res ſupercreuerit; & quidem nulla ferme eſt medicinę pars, de qua ſit fuſius tractatum: circa quam elaboratũ ſit magis. cui ipſe reſpiciens factum eſt, vt hoc ipſum, quod per multos, atq; adeo multos iam annos abſolutionem eſt adeptum, promulgare non fuerim auſus. verum quod me alias ad huius publicationem retardauit, idem, re melius perpenſa, effecit, vt hoc tempore, febriũ iam iam per Brixienſum agrum diuagatarum occaſione; typis concederem. Etenim, etſi plurimi ſint, quibus pertractare de hoc argumento arriſit, ſalua tamen horum omnium auctoritate, ex his attigiſſe nullus ſcopum mihi videtur, legentis animo ſatiſfeciſſe, declarant hoc multiplices, varijſque tractatus. comprobant tot, tantæq; prolatæ opiniones, circa inſcriptam materiam inter ſe diſſentientes, vt adhuc ſub iudice lis ſit. Quæ vera, ac plana, quę firma, ac rationi conſona, placantq; humanum captum, amplio-ri non egent declaratione, vlteriori tractatione. Ceſſaſſet omnis tractatio, ſi, qui primus ante omnes de hac diſſeruit, planam per ſuas cauſſas effeciſſet. Id ipſum firmat, quod de propietate occulta in medium adducunt;


cùm omnes isti vel palam , vel tacite velint, nolintue, admittant ; sub hac naturam , sub hac delitescere effectrices istius caussas volunt;naturam voluisse in se occulere adeo vt,cum antiquiores nota hæc , de quibus pertractatur , per suas caussas minime reddiderint, posteri postmodum Philosophi, ac medici non erubuerunt vno ore,vnoq. consensu occultæ proprietati, arcanæue nuncupatæ qualitati sedem non ignobilem concedere , quãdocumque rei caussa à phisicis fuerit haudquaquã sibi ipsis concessa,etiamsi vox ipsa,occulti , horum omnium dissonet auribus:etiamsi nauseam quodammodo his ipsis excitet . vnus tamen Franciscus Vlmus in.1.de occul. in re medica propriet . huic occultæ propietati turpiter addictus , cum eo etiam peruenerit,vt medicinam ab hac fecundari ac nobilitari dixerit , temerarij hominis esse scripsit, velle eorum manifestam caussam inquirere,quorum occultam esse creditum est.Quæ sane à me meditata , etsi animum meum quadantenus suspenderent,non obstiterunt tamen quin opus hoc haud anxię fuerim aggressus , decreueram enim , mihiq. ipsi constanter proposueram,quacumq. re quantumuis difficili,potiri ab eiusdem ortu velle , vndequaq. discussam lectori offerre,& arcanam proprietatem tantopere abominandam,longe arcere,abdicare penitus ab hoc opere.Quod quidem institutum in rei tractatione non fuit mihi arduum ad quendam usq.terminum seruare : cum primum tamen se obtulere,quæ scriptores ad occultam proprietatem coegerunt confugere, difficultate rerum perterritus ab incepto destiti:cum potissimum animad-


uer-

uetterem, nullum quantumuis claro, ac penè diuino ingenio donatum, hanc tentare prouinciam vel non ausum esse, vel tentatam obtinere vnquam potuisse. verumtamen cogitanti mihi talia esse non sopranaturalia, non diuina, sed ab ipsissima emanare natura, in mentem venit, minime fore possibile, quin haberi de his vndequaq; per patentes caussas cognitio posset. ea propter qualicumq; difficultate spreta, cum rem rursus fuerim enixius prosequutus, Diuino auxilio ab abditioribus; philosophiæ erutam, ad finem quoque perduxi. si res ita se habeat, judicent alij; quibus si ipse quoq; scopum non attigisse videbor, meliora speculentur; cum sit Christiani medici, quæ sunt humano generi profutura, scrutari; fac, vt prosis, aut ne quid noceas, exclamauit quondam 3. in 1. tex. 50. Diuinus Hippocrates mandatis naturalibus imbutus. Quamobrem spero fore, vt hæc nostra placita in vniuersum placere, legentium animos delectare, atq; eorum captum placare debeant. cum enim cuncta penitus, quę in hoc declarantur, statuunturque opere, noua sint, nouaq. doctrina explicata, nil etiam est adductum, quod ad rei cognitionem adducendum non esset. à primordijs enim ac prioritice, vnaquaq. re considerata, nō fuit mihi opus alia in contrarium afferre, diluere alia, multaq. interim adducere, accogere, sed recto tramite, ac sine quapiam contentione ad exactam incedere rei dilucidationem, adeo vt multa, quæ alioquin fuere à scriptoribus prolixis disputationibus, ac cumulatis libris proposita atque tractata, vno vel paucis, adaperta, inclusimus capitibus. Nonnulla etiam paucæ explanant

lineæ.

lineæ. Et quamuis pestilentium quorumdam morborũ curatio sit tantum insinuata,& venenosorum sit breuiter tradita, attamen, cum fusè horum omnium sit natura, atq. caussæ declaratæ, medicus ingeniosus, ac practicus poterit his recte perpensis, & illos tollere, & hos alioquin lethalissimos, aut saltem horum multos adaptatis præsidiis profligare. Si quis, inquit, in lib. de flat. medicinæ parens Hippocrates, caussas corporis affecti probe cognouerit, potens est ea valde adferre, quæ corpori cõmodent, cui inhærens in lib. d. decenti ornatu dixit, medicus si suffecerit ad cognoscendum, sufficiet etiam ad sanandum.





AD LECTOREM.

EN tibi Lector opus, de Pestilentibus, ac Venenosis morbis, quod, dum pestis anno 1630. Brixianum soluta dire deuastantis ruinam tanquam ex alto perlustrabam, confeci. Interim autem quo perplexus hæsi typis ne concederem, aliquoties à me reuisum locupletius, atque exornatius reddidi. Modo, febrium iam iam diuagatarum occasione, à cineribus (ferme dicam) obliuionis erutum, luci expono. quod, Quale tandem compareat, sinceritati tuæ commissum, & id totum æqui, boniq; consulas velim.

Index rerum Notabilium.

Bilio-

Index rerum Notabilium

Corna

Index rerum notabilium.

G

H


Pestis.

Q

R

 bere

Vene-



Errata sic corrigenda.

Folio.7.lin.7. proprijs	dic proprius.
Fol.14.l.24. calore	caloris
Fol.15.l.27.puerem	putrem
Fol.15.l.29.uere	aere
Fol.19.l.11.tempestos.	tempestos.
Fol.19.l.36.quia	quin
Fol.21.l.35.tradenti	trudenti
Fol.22.l.40.vigor	rigor
Fol.22.l.41.vigoris.	rigoris.
Fol.23.l.1.vigor	rigor
Fol.25.l.11.cutem	cutem
Fol.26.l.11.dianeę	diarreæ
F.27.l.25.conflicteatur	conflictentur
Fol.37.l.18.pro	quo
Fol.37.l.21.partem	partum
F.38.l.31.nomendatura	nomenclatura.
F.40.l.14.febrij	febris.
F.40.l.23.dare	clare
F.41.l.19.transmittit	transmitti
F.41.l.23.putrescent	putrescente
F.48.l.27.spalores	squalores.
F.48.l.32.Thusus.	Thasus.
F.51 l.9.tube	tabe
Fol.55.l.18 venis	veris.
F.56.l.41.eccitarunt	euitarunt
F.58.l.11.cur	ver
F.59.l.16.squalidi.	sqeralidi
F.62.l.34.si	sit
F.65.l.40.boreus	boreas
F.73.l.29.chahostem	cachoetem
F.74.l.11.saniorem	maiorem
F.75.l.12.percalidas	percalidus
F.75.l.16.feruentatis	fermentatis
F.78.l.3.deuoliti	demoliti
F.80.l.6.priuatuam	priuatarum
F.85.l.15.laudatæ	laudandę
F.87.l.28.adearum	adenum
F.93.l.10.lexis	lenis
Fol.93.l.15.moxescentiã	marcescentiam
F.95.l.1.maxime	maxima
F.98.l.29.putanaturales	pręternaturales
F.98.l.29.illo	illos
F.98.l.32.euitari	excitari
F.98.l.36.præternatiuũ	pręter quã natiuũ
F.100.l.4.concurrere	concurrant
F.101.l.23.inter assumpta	intro assumpta
F.102.l.6.noluisse	voluisse
F.103.l.39.pro sui	per sui
F.103.l.40.dependas	deperdas
F.106.l.3.vanitatem	raritatem
F.106.l.8.præualeę	prævalet
F.106.l.13.segtalæ emphirabenæ	segtale (amphisibenæ
F.07.l.8.ignotum	igneum
F.107.l.22.ægro ferre	ægro ferme
F.108.l.17.constitutum	constituta
F.108.l.30.non vero	mox vero
F.108.l.35.substantiam	substantiatam
F.102.l.6.imperante	crimenteq. impetẽ(te vincenteq.
F.110.l.34.cardonię	sardoniæ
F.110.l.39.alternatum	alteratum
F.112.l.12.oscicentem	ascicentem
F.l 112.l.21.nonæ	noxę.
F.113.l.1.fere	fert
F.114.l.24.hæresiam	hęresim
F.115.l.37.conuto	cornuto
F.20.l.29.sic	sit
F.120.l.36.contigere	contingeret
F.121.l.20.sanguis, &	species.sanguis,& (spiritus.
F.112.l.34.in ignea	ui ignea
F 122.l.14.in qua	in quas
F.124.l.29.quasi per	quin per
F.124.l.38.exposuit	exposcit
F.125.l.35.acosionibus	aquasionibus.
F.128.l.33.elichaium	elicnium
F.129.l.29.recurrit	occurrit
F.136.l.41.oleam	oleosam
F.142.l.28.ausis	vasis
F.145.l.18.in quo	in qua
F.149.l.41.ranum	verum
F.151.l.54.sanguini	sanguinis
F.151.l.41.acoro	acore
F.153.l.26.quoq;	quamq;
F.156.l.35.si quid	ni quid.
F.157.l.35.venos	vero
F.160.l.20.si leges,lenes	si læues,si lenes:
F.161.l.26.ęgre	ęque
F.168.l.39.rubeo	ruber
F.171.l.3 frigidi	frigiditate
F.175.l.10.nationis	rationis
F.177.l.1.pestes	partes
F.177.l.8.veram	nerum
F.177.l.24.& demorsu	ex demorsu
F.183.l.3 non vbi	mox vbi
F.186.l.1.tandem	eandem
F.189.l.13.actiuis	actiuitate

fol.93.

Errata ſit corrigenda.

F.190.l.37.faſtidiente	faſtidienti
F.194.l.29.quæ partium	partium,quę
F.198.l.13.fermentum	fermentans
F.201.l.29.gentibus	genitus
F.201.l.33.etiam quam	etiam ad quem
F.204.l.1.peſtem	poſtea
F.204.l.27.ſit circa	ſic circa
F.204.lin.40.ſit qui	ſi qui
F.205.l.39.habet	habeant
F.210.l.24.viam	vim
F.213.lin.12.corruptum	corruptionem
F.216.l.2.autem vtraque	aurem vtramque
F.214.l.3.extendent	exrendente
F.225.lin.11.immiſit	Immiatit
F.225.l.26 ſic	ſicut
F.232.l.4.plurimæ	pluulæ
F.232.l.32.ſuet	ſunt
F.232.l.24.ſe	ſic
F 238.l.23.etiam	etenim
F.239.l.15.expirati	expiratum
F.241.l.20.vanis	venis
F.241.l.20.veras	venas
F.251.l.13.acceſsarent	ceſsarent.
F.253.l.29.accenſus	accenſos
F.254.l.23.in ſum	in vſum
F.254.l.27.voxatis	vocatis
F.254.l.37.muſſo	miſſio
F.257.l.11.morbū delendū hoc verbū eſt.	
F.271.l.15.inuenit	inueni
F.273.l.39.conſtituit	conſtitui
F.274.l.37.nixa	noxia
F.275.l.12.cericis	caricis
F.279.l.19.excerit	extiterit
F.280.l.19.intenſionibus	intentionibus

Multi alij, ſed parui momenti, inſunt errores, qui omnes facile fuere commiſſi, auctore ab operis editione lunge abſente.

INDEX
CAPITVM
Primi Libri.

A *ani-*

Libri Secundi.

LIBRI TERTII.

Libri Quarti.

Febris maligna, ac pestilens non vna est in ratione caussæ, sed multiplex de quibus sit agendum, & de tractandorum ordine, ac connexione.

CAP I.



Vm maligna, ac pestilens febris non vna, sed pluribus de caussis, & fieri, & dici talis possit, adeo vt hinc plura insurgant malignarum, pestilentialium febrium genera, quorum vnumquodque propriam seorsim agnoscit causam; propterea expedit has, vsque ad huc in medicina confuse acceptas, & a nemine inter se distinctas, ad euitandam homonymiã in primis recensere. Si prius dixerimus malignam, ac pestilentem febrem, vtramque in vno, & eodem genere caussæ consideratam, non differre inter se, nisi minoris, vel maioris prauitatis, atq: acutiei, proindeq. perniciei ratione, & malignam quandoque priuatam, quandoque vulgarem esse: sicuti & pestilentẽ, & citra pestem, & cum peste subaudiri posse. Quamuis priuata rarissime pestilens sæpius malignissima à medicis vocetur. Sed non est de nomine quæstio.

Et primo in ambitu malignitatis continetur synoca illa, quæ non in partiali, sed in tota sanguinea mole est accensa, magna plenitudine hominem tenente. Cum enim venosum, arteriosumque genus præ prohibita, ob constipatos vniuersæ cutis meatus, transpiratione, putres fumos, alioquin effluxuros, retinere in se cogatur, natiuus calor hominis ad internicionem ducitur: hinc febris ordine perturbato cum exteriorum perfrigeratione, mox & cum liuescentia elucet: ac post modum cum totali caloris extinctione; interim & vrinarum suppressione mors celerima adest. ignis, inquit, Arist. 1. pr. 56. si spiraculum non dederis extinguitur. Emulatur illa hanc synocam, quæ sequitur sanguinem non ob suffocationem conculcantem, de qua modo, sed ob suffocationem ex denegata illi debita euentatione,

tione, ac refrigeratioue putrescentem ; quemadmodum vsu venit per statum æstuosum, ac suffocantem.

Maligni nomen, & illa adepta est, cuius focus est firmatus vel in quopiam nobili viscere , vel meditulio, ob grandem peccantis materię crassitiem: cum vtraq; de caussa innatum animantis calorē in penitionibus cogatur extrema refrigerari cōtingit. de vtroq; hoc nere febris loquitur Galenus in 4. aph. 48. 7. aph. 1. 2. prog. tex. com. 4. & alibi passim, & primum insinuat nobis Hippoc. in 4. acut. tex. 47. & 1. proret. t. 7. alterius vero formam ac morem delineat. 2. in. 1. tex. 75. & vtrumq; rursus insinuat nobis in 4. aph. 48. 7. aph. 1. & 2. prog. tex. 4.

Insignitur rursus maligni nomine febris illa, quæ a materia biliosissima, ac meracissima pendet: hæc cum adurens maxime sit, non solum adipem, sed carnes etiam ipsas colliquat. de hac colliquatiua febre loquitur Hipprocrates in 2. de nat. hum. 2. tex. 22. & insinuat hanc ipsam nobis per quædam prauæ vrinæ sedimina in 2. prog. t. 28. & Gal. in com. huius text. in 4. aph. com. 77. & alibi. hæc in calidi, & sicci temperamenti, nec non sub æstu exercitato homine locum præsertim sibi vendicat.

Cooptat quoque inter malignas adnumerari, quæ febris continua fortiora habet, quam ferat eius natura, accidentia: cum hac de caussa maius dicat periculum, morem etiam statuit diuersum. hinc cum febris ardens per Hippocratem in 1. de morb stet in ancipiti, si quidem ex eodem in lib. d. iudic. fortiora habuerit accidentia , mortem plerumq; affert. Stat enim illud Hippocraticum in lib. d. dieb. decr. quod nihil horrendum, neq; lethale fit in his, quæ secūdum naturam sunt.

Desuper maligni nomen illa meretur, quæ a vitioso sanguine per prauam victus rationem genito, ac putrescente pendet: de quo sanguine Galenus in 3. de alim. dixit, edulia vitiosa sanguinem vitiosum gignunt: & rursus eodem in loco, humor, inquit vitiosus ex edulijs vitiosis collectus in venis diu latet , qui progressu temporis malignas accendit febres hinc variæ pro succi uitiosi differentia malignarum ac pestilentialium priuatarum, nec non vulgarium febriuā species adeo vt si victus ratio vni, vel pluribus urbibus , fuerit improba, morbus quoque communis, ac sæpius pestilens illis efficitur: cuius plura idem auctor affert exempla in 2. d. nat hom. tex. com. 3. & statum similiter recenset ex prauo victu pestilentem in lib. de bonit. & vit. suc. c. 1. quem morbum vniuersalem, vt idem vocat, haustus quoq. aquæ infectæ, vel alio modo prauæ parere valet, vt quōdā in castris contigisse refert 1. in 1. in arg. & in 2. d. nat. hum. com. 3. &

Plu-


Plutarcus in vita Marci Antonij morbum quendã,qui per esum cuiusdam herbæ ad mortem per insaniam milites huius Imperatoris ducebat, pestem vocauit.

Tandem malignæ,vel pestilentes sunt illę,quas gignit prauus quidam sanguis,materiaque quædam malefica,non per vitiosam victus rationem,sed ob austrinam affectionem in venis genita . de quibus febribus propriis vulgaribus agere institui: hæ etenim, siquidem grandem prauitatem præseferant, abscessus comites habent pestiferos,ac pestem efformant contagiosissimam.

Et quoniam a materia a qua febres istæ pestilentes pendent,contagium quoque ac venenositas procreatur: hac de caussa, quæ sit legitima contagij,nec non venenorum natura, atque eorum agendi modus explicabitur,& rursus quoniam de austrina præsertim constitutione est agendum,vt contagiosissimæ, ac buboniæ , carbunculosæque pestis caussa:& cum quædam aliæ constitutiones valeant vulgares,ac pestilentes morbos generare : idcirco ad maiorem austrinæ declarationem,atque sermonis distinctionem,agemus in primis de aeris constitutionibus,quæ vulgares ac pernitiosos morborum status parere valent: successiue de austrina : mox autem tum veneni,quod in animantibus, dominante illa generatur : tum vero venenorum omnium naturam,differentias,atque effectus, horumque effectrices caussas exagerabimus:ac colligemus denique morbos ab hisce productos curandi rationem.

Quid sit aeris pestilens Constitutio : Quotuplex, ac Qualis.

Cap. II.



Vamuis mutari , atque extranea indui natura ; nec non prauis aerem infici exhalationibus sæpenumero contingat , non solent tamen animantia lædi,quandoquidem leues sunt mutationes, atque infectiones istæ at sub magnis non tamen adhuc maximis, quædam vulgariter læduntur, & ex subiectis illa præsertim, cæteris semper paribus,quorum natura est ad aeris mutationẽ sentiendam parata. est non aliud aeris mutatio, quam ipsius affectio,

ctio,quæ ab Hippocrate, & Galeno passim status, constitutio, alias,& tempestas dicitur·locus expostularet, vt de constitutionibus in genere ageretur, quando potissimum cognitio hæc alioquin pernecessaria , & medico maxime digna, minimum habent in re medica locum. verum non est mei institutum de omnibus agere, qui de pestilentibus duntaxat agere institui. est autem pestilens constitutio, ad mentem antiqui doctoris in 3.de. Humor t. 16.& 3.aph.1. maxima temporum mutatio. per tempora intelligere debemus anni partes,quarum vnicuique est naturale quoddam temperamentum,a quo cum recedere magnopere contingit, vt producantur morbi,necesse est non sufficit tamen, vt aer maxime mutetur,& quamprimum in propriam redeat naturam: sed opus est,vt in mutatione accepta diutius perduret: & idcirco pestilens constitutio iure definita est maxima temporum,non aeris mutatio; quo modo insinuatur nobis diuturnitas, quæ plures anni includit partes:quo stante fieri nequit, quin humana corpora , tantæ potentiæ obsistere nequeuntia, morbóse afficiantur ; natura hominis, idem auctor Hipp. inquit in lib. d.dieb.decret. vniuersi potestatem plerumque non superat; adeo vt necesse sit, vt maior hominum pars tam valido subiecta statui perniciose afficiatur , quod importat nil aliud quam pestem,pestilentemue morbum , qui in lib deflat. morbus,apud eudē , est omnibus communis : vel vt scriptum reliquit in 2.d.nat.hum.tex.3. cum multi homines vno corripiuntur morbo, tempore eodem. ex quo conijci quodamodo licet,quod pestilens ex Hippocrate morbus æque ille sit, ac dici possit,per quem plurimi ex ægrotis moriuntur; ac ille per quem ægrotant omnes, vel plurimi , etiamsi ex his plures sanentur verum apud Galenum 3.in.3.tex.com.21. pestilens morbus proprie is est, per quem complures ex ægrotis moriuntur. quod si vulgaris morbus hoc habeat, vt plures sanentur,cum mitior sit , seu proprius minus exitiosus , non pestilentem, sed ex veterum sententia epidemium , epidemicumue vocat 1.acut. t. com. 9.idem vero auctor pestem iuxta Hippocratis doctrinam in 3.d humor.tex. 23. in grandem,& grandiorem videtur secare,quando in 1.d.tem.cap.4. verba faciens de calido, & humido intemperamento aeris,a quo suborta est pestilentia,quæ apud Hippocratem in 2.ep. sec.1.in Cranone grassata est, subdit,sed hic minus,vt pote vno tantum , e quatuor temporibus mutato malum fecit:quod si duo,triaue sint mutata, aut etiam totus annus calidus humidusque fuerit , necesse est magna succedat pestilentia; nos autem de pestilentibus constitutionibus agemus, quatenus tales natę sint,ad maiorem ex subiectis hominum partem

mor-

morbosam perniciose reddendam; siue ex his plures intereant, siue paulo plures sanitatem assequantur. neque enim morbus recte diceretur epidimius, si ex mille ægrotis quatuor centum interirent.

Cæterum etsi hisce diutinum tempus sit ascriptum, potest tamen quandoque pestilens effici status, etiam si breui perduret, dumodo maximus, isq; actiuissimus sit: cui tamen breui perdurationi respondent in breuitate morbi, vt statum morbosum dicunt. & hoc est, quod Hippocrates significare nos voluit, quando in 3. de humor. tex. 23. dixit, si annus talis diutius fuerit, qualem fecerit constitutionem, certe tales quoq; morbi diutius erunt; ac si magis fortes fuerint, maximi quoq; sic erunt, & comunissimi, & ad lungissimi spatiũ temporis. exempla magnarum, ac diuturnarum constitutionũ apud eundem habemus 1. in 1. & 3. ep. breues fuere, quæ enarrantur in 2. ep. sec. 1. & 7. in 6. t. 1.

Magna aeris conquinatio à fædis vaporibus, a prauis exhalationibus illata, pestem quoq; valet parere: magna inquam, idest lunge, lateq; diffusa. alioquin quę sordidæ ab vno veluti tumulo, vel cloaca, aut inhumatis quibusdam cadaueribus subuehuntur exhalationes, cõmunem nequeunt procreare morbum.

Quapropter non ab vna, sed pluribus affectionibus aerem vulgariter corripi contingit, quarum ratione varij, ijdemq; inter se natura differentes morbi suboriuntur. sex has potissimas, easq; maximas esse comperio: vnde sex statuuntur pestilentes status. Primum efformat aer valde infectus, atque inquinatus. Secundum calidus, ac suffocans. Siccus est alius diutissime talis. Quartus austrinus. Quintus humidus frigidus, & aquilonius. Sextus austrinus & simul aquilonius quos omnes considero in suo esse maximos: alioquin non pestilentes, sed epidepijs essent dicendi morbi inde producti. de his igitur omnibus seorsim agemus, ac simul inuestigabimus, colligemusque quos singuli, secundum legitimam sui naturam pariant morbos. Legitimam dico; quoniam hos si euariare non multum contigerit, morbi qui producentur, euariabunt. quamobrem si cui placuerit plures quoq; constituere status, nihil moror.

Cur, quæret quispiam, inter hos non adnumerauerim humidum, cum in 1. probl. 21. Arist. pestis quoque auctorem facere videtur. Dic, quoniam siue per totum annum, siue duntaxat hieme, aut æstate perduret, modo cùm frigore, modo cum calore iungitur; vt propterea semper complicatus compareat. quo casu cum humiditas per se haud multum sit actiua altera ex actiuis qualitatibus ad agendum adhibere consueuit: cui forsan respiciens loco citato Philosophus statum humidum cum æstate considerat, dum subdit ita vt ægrotan-

dia materiam habeant in estate. huius enim calor non solum morbosa incrementa ad putredinem excitat, sed etiam quicpiam malefici addit:& ob id morbi isti solent esse acutissimi, vt colligere est ex 2.ep.sec.1.& 3.in 3.& clare rursus idem Hippocrates in 3. aph. XI.& in lib.de aer.lo.& aq.edocet, quando considerans hiemem siccam,& borealem, ver autem pluuiosum,& austrinum, expectat in æstate cum alios morbos, tum febres acutas, quæ sicuti sunt status humidi,& calidi propriæ: ita humido simpliciter lungi,& difficiles ab eodem auctore adiudicantur.

Quis rursus mihi opponet ex sententia clarissimorum virorum, influxum cælorum, vt qui citra aeris manifestam, arcana quadam qualitate pestilentem excitare valeat inter animantia statum? Solues hoc, si dices caussas non esse à superioribus petendas, quando phisicæ adsint. Confugere enim ad cælestia corpora tanquam ad caussam rei, de qua quæritur, arcanam, philosophi, ac medici decus non fert: cum nec verisimile sit, Cælos, qui alioquin ad humanæ vitæ custodiam, commodum,& ornatum conspirant, agere in hæc inferiora, vt inquinent, vt officiant animantibus. Cum sint quoque in summo quodam temperamento constituti: cum sint remotissimi. Etsi quæ immittant qualitates, ratio vult, vt ab aere, vt illo suo orbe potentiori aut immutentur, aut retundantur. propterea numquam fuit obseruatum, anni temporibus propriam seruantibus naturam, humana corpora alterationem excepisse morbosam; nullam pestem subortam. sic exactissimus obseruator Hippocrates, qui de superioribus quoq; curam habuit, pestem à Cælis ortam non agnouit; nusquam mentionem fecit: cum alioquin quamcumque ferme aeris cõstitutionem leuem, ne dum pestilentem vel proposuerit, vel insinuauerit in epidemiis, in 3. aph. in lib. de aer. lo. & aq. in 3. de humoribus.

Non me latet quosdam scriptum reliquisse, pestem quandoque sæuijsse citra quampiam aeris alterationem: insinuantes talem pestẽ ab vno superiorum influxu fuisse excitatam: verum hi præualentem aeris statum pestis illius caussam vel non bene obseruarunt, vel obseruatum non intellexerunt. cum enim vena pestis dominantem agnoscat austrum: cumque sit austrinum dominium difficile cognitu, ac cognito, eius potentia, ac modus, quo animantia afficit perspecta fuerint numquam, in hanc sententiam facilè venerunt, pestem quandoq; produci citra aeris quampiam manifestam alterationem posse hinc factum est, vt, cum de peste bubonia, ac carbunculosa, simulq; contagiosa, quæ vera pestis est, scriptores tractant, caussam vel à Cælis petant, vel in aerem inquinatum, aut comportatum contagium

tagium referant, auſtrinam potentiam alioquin legitimam peſtis cauſſam in conſiderationem minime vocantes ; vt mirum minime ſit, ſi a primaria cauſſa, eiuſq; deflectentes cognitione, tractationes vndequaq; difficultatibus implicitas, ac legentium animos minime placantes nobis reliquerint.

De magno aeris inquinamento, & quos generet morbos.

Cap. III.



Vncti qui de peſte tractarunt in hoc conueniſſe vidētur, aerem vt omnibus comuniſſimum, comuniſſimi quoq; morbi, peſtis dico, iuxta Hippocraticum, Galenicumq; placitum, auctorem eſſe, non propria gaudentem, ſed extranea, atque animantibus infenſa natura indutum. Sed ex his alij aſſeruerunt aerē ſuperioribus impreſſionem quandam maleficam, occultamue, atq; humanis corporibus infeſtam qualitatem ſuſcepiſſe. putrefactum alij plurimi à prauis vaporibus, a maleficis exhalationibus corruptum, mutatumq; conſiderarunt. qua vero ratione hoc, vel illo modo ſe habens, animantibus officiat, & in hiſce hos, vel illos ingeneret morbos, implicatiſſimi ſub ſilentio præterunt. Verū ſatis reiecta eſſe cenſeo, quæ primo loco dicuntur, aerem vero putreſcere poſſe (excepta corruptione, quæ in aliud elementum tranſmutationem dicit) inficiendum cenſeo : ſimplex enim corpus eſt. eſt præterea igne multo plenus ex Ar. 25. prob. 19. per quem purus amplius redditur, atq; à putredine vendicatur, vt in hoc ipſo loco inſinuat auctor. quin ſi aeris daretur corruptio, cætera quoq; elementa abolerentur, auctore in 1. de Nat. hum. non cōparādæ auctoritatis Hippocrate, non me præterit Ar. in 4. meteorolog. ſcriptum reliquiſſe, omnia poſſe putreſcere præter ignem, & ob id inſinuaſſe aerem putredini eſſe obnoxiū m: at à vera putredine illum excludere, pro certo mihi ipſi perſuadeo, vt propterea 25. prob. 19, proponat, cur aqua & terra putreant, ignis & aer non putreant alioquin ſi vt putridus, eſt etiam venenoſus, venenoſamue habet in ſe qualitatem, vt quidam; vel aduerſiſſimam, hominibuſq.

busq; perniciosissimam, vt alij asserunt, vtiq; sub putrido aere ad vnũ omnes corriperentur; interirent omnes ad vnum: quemadmodum si à cõmunibus exhalationibus secundum totam sui substantiam cor rumperetur: inficitur enim ab his, coinquinatur, fœdatur. ad cuius af fectionis (quam in hoc capite sumpsimus explicandã) aeris intelligẽ tiam, haud latere te debet, quæ sursum subuehuntur, leuia corpora, dupplicis esse sortis, rara alia, & praua qualitate orbata, vti vapores a terra humecta se attollentes, caligo, fumus, quæ vbi sursũ sunt sub uehecta, quamprimum dissoluuntur, & aer fiunt. alia densæ, subtilisq; substantiæ, & praua prædita qualitate, vt quædã exhalationes, quæ à mineralibus, vel quibusdam terræ hiatibus subleuantur, & hęc diutius propriam seruant naturam, ac formã. primo modo aer, etsi qua dantenus impurus reddatur, nõ tamen morbosè afficitur. altero coinquinatur, non adhuc tamen corruptus dici potest, saltem corruptione physica: adeo vt, cum afficit animantia, non afficit vt aer corruptus, sed vt fœdatus, conspurcatus. sic Hippocrates. dum aerem vt pestis caussam considerat in li. d. flat. & in 2. d. nat. hum. t. 4. inquinamentis plenum, & morbosa excrementa in se habentem statuit. Cuius vestiggia sectatus Galenus aerem infici, conspergiq; morbosa qualitate, morboso halitu scripsit, atq; hoc modo nocentem aerem considerat 12. Meth. c. 5 1. d. diff. feb. c. 4. in 1. ep. com. 1. in li. d. ther. ad Pis. cap. 16. & alibi. cui aeris sic fœdo respiciens in 2. d. nat. hum. tex. 4 Hippocrates præcepit aere inquinato existente, vt homines quam parcissime spiritus in corpus admittant, illumq; maxime fami liarem. quo aperte indicat, aerem non secundum sui totum æqualiter, sed excrementorum dispersorum ratione esse culpabilem. alioquin aerem influere in corpus paucissimum, nil animanti conduceret, si quidem corruptus, esset etiam per istos pernitiosus.

Quod autem adeo afficit aerem, vt inde pestilens status sit subsequuturus, non omnis halitus, non omnis malefica exhalatio est, quãuis priuatim officere nata sit, vt alioquin quæ a quibusdam cloacis, vel tumulis, aut specubus subleuantur: sed quæ a fomite aliquo copiosissimæ, ac vi quadam erumpunt, velut quæ per quosdam terrę motus exiliunt. hę. n. non solũ copiosissimæ sunt, sed motu etiã violẽto, per quẽ terra cõcutitur, erũpentes per lungissimũ, ac latissimũ terrę tractũ dispergũtur, & inquinato hac ratione per vastam latitudinẽ aere; pestẽ inducunt sic quondã dũ ludi Mithridatici celebrabãtur, quibus Rex ipse intererat, terræ motu oborto, ingẽs suborta est pestis, teste Orosio in lib. 5. sic terra orientis mota, scribit Leo Floria cẽsis, paulo post sequuisse morbos. magnus quidã historiarũ scriptor, dũ pestẽ olĩ per Asiã, Illiriũ, Dalmatiã, Germaniã, atq; Italiã grassa-

tam esse, refert, subdit, quod malum inter cætera frequentes terræ motus indicauere. quod forsan significare quoq; nos voluit Plinius, cum in lib. 2. c. 89. dixit, numquam concussam Romam, quin aliquod inde mali portenderetur.

Sunt autem exhalationes istæ, hi halitus, vt plurimum minerales, ac idcirco calidi dēsi, ac quodamodo acres. hi a materia subiecta euhecti, atq: diu cum subterraneo aere delitescentes, quandā simul aereā efformant substantiam, quæ sicuti ambiente nos aere natura, ac substantia diuersa est; ita vbi e terra errumpit, per aerem disseminata, inspirantibus fit valde nocua: vnde vt quid aereum seruat diu propriam formam, ac eo diutius, quo Cælum frigidum sortiatur, quando alioquin caliditas æstiua leuia corpora ad aeream puritatem cōparandam valde sollicitet: aeremq; ipsum ex impuro, ac crasso, ne quid obstet, purum, ac tenuem reddat: vt hinc iure maximo, quędam maxima pestis, vt scribitur, ex Hippocratico ingenio, per ignem fuerit sublata, atq; extincta.

Considerari aer infectus multipliciter potest, ac pro infectionis differentijs, pestilens morbus, qui inde suboritur, magis aut minus vulgaris, ac sæuus efficitur. etenim alias lunge, lateq; a maleficis halitibus; alias per angustos terminos vitiari contingit: illud magnā halituum copiam, hoc supponit paucitatem: qui halitus ad ea maxime loca transferuntur, ad quæ flantes venti impellunt: vnde in Vrbe coinquinata aer non solet æqualiter, sed dispersim fædari: illæ inquā domus præsertim fædantur, illa cubicula, quę flanti sunt vento exposita. alias intensiue, iam vero alias remisse inficitur, pro vt exhalatio magis, aut minus malefica est. minor maleficentia tum pendet a minori copia, nec non qualitate rei, ex qua exhalatio producitur minus calida, ac malefica: tum etiam ā maiori temporis spatio, quo exhalatio erupit, nec non a maiori aeris loci inquinati a fomite distantia: cum enim enhalatio id habeat, ut sucressiue ab ortu suo rarior euadat, ac tandem aeream subeat formā, fit ut quo maius spatium intercedit a sui ortu, ac quo longiùs à fomite recedit, successiue minus malefica euadat: cuncta enim in ipso ad corruptionem transitu, quanto magis recedunt, tanto propriam formam, ac naturā magis deserunt. hinc propterea cum tetri halitus, qui ex terræ orificijs, cauernis, ac similibus erumpunt, statutum quendam latitudinis, ac diffusionis terminum habeant, intra quem duntaxat vires proprias exerunt; fit vt, qui aerē hunc halituosū cominus inspirant, statī concidant, qui eminus parum, vel nil lædantur. hac de causa pestis ab inquinato aere sæuior in principio, in processu minus sæua existit.

Aerem quoq; conspurcari quandoq; atq; loco pestem inferre contingit, non ob subterranearum exhalationum, halituumq; perniciosorum commixtionem, sed propter vapores à stagnantibus æstate aquis ex Gal. in 1. d. diff. feb. c. 4. & a putrentinus sordibus liberaliter sublatos: quod malum videtur peculiare locorum lacustribus, ac palustribus aquis proximorum, nec non illius Vrbis, qua flumen aliquod transit. hoc si quidem exalueare, atque irrigare totam Vrbem contigerit, fieri nequit, quin cloacarum superfluitates, aliorumque conceptaculorum sordes putrescant, vnde putres vapores abundantissime sublati aerem totum inquinantes, maxime si interim venti sileant, animantibus reddunt infensum. sic quondam Romanos per Tyberis exalueationem sæua afflixit pestilentia apud Liuium.

His itaq. de caussis, atque his modis aer improbus factus hominem inspiratus vel occidit, vel in magnum adducit vitæ discrimen, & vt hoc aeris facinus conuincatur, ac quas peculiares notas, morbosque inducat, illius vsum ad humana corpora cognoscere prius expedit. Homo, vt cætera animantia omittamus, aere ita indiget, vt sine ipso vix paucis momentis trahere vitam valeat: non solum enim inspiratus materia vitalis spiritus, in pulmone præparationem prius expertus, efficitur, teste Galeno passim, sed per ipsum quoque natiuus calor continenter euentatur ac contemperatur; impossibile est, inquit, in lib. de vtil. resp. cap. 5. idem auctor saluam esse natiuam caliditatem citra respirationem: sub calore euentatione solidorum etiam, sanguinis, ac spirituum temperiei conseruationem intelligimus. Sic sub spirituum generatione, tenuis, atque spiritalis partium corpus constituentium substantiæ reparationem compræhendimus; insita enim & solidis spiritalis quædam substantia, quæ continenter reparatione indiget: nempe ex illustrioris sanguinis parte & aere attracto nouas successiuè suppeditatur spiritalis materia. Qui aer inspiratur tum quidem per os, tum & per vniuersę cutis poros. cum sit ex sententia summi Hippocratis corpus totum inspirans, & expirans 6. in 6. t. 1. quod insinuauit idem auctor, quando in lib. d. alim. dixit, alimentum in pilos, & vngues, & in extimã superficiem ab interiori parte aduenit. extrinsecus alimentum ab extima superficie ad intima aduenit, cófluxio vna, conspiratio vna, namque etsi sanguis, qui à cibo per os assumpto generationis materiam habet, à maximis vasis ad extimam vsque superficiem perueniens, cunctas nutriat particulas; aer vero ab extima adueniens ad penitiora accedat, atq; ambo inter se natura, & substantia distent: nihilominus pluribus expertis alterationibus in vnum tandem con-

fluunt,

fluunt,& ambo partes partium facti in anum conspirant,ac coeunt, quemadmodum enim aer,qui per os ingreditur, & materia vitalis spiritus futurus est, in rara ac molli pulmonum carne per lungiusculam moram præparationem sortitur; ita qui ab extima venit superficie,non prius alimentum spiritui fit,quam in cute cribratus,in vasis elaboratus sit, ac familiarem cum innato constituentium partium spiritu qualitatem assumpserit.

Hic est aeris vsus cum excrementis liber, cum purus existit: at cum vitiatum esse contingit,inspirantibus fit valde nocuus, & profecto si consideremus illum vt vndequaque vitiatum, adeo vt totus, vel ferme totus existat halituosus, vt vel illico, vel quamprimum homo ab inspiratione suffocatus concidat, necesse est. neque enim eius calidum satis,aut nulla ratione euentari,ac temperari, nouiq; spiritus regenerari possuut.sed hoc modo fædatus aer habere locum in pestilenti statu non consueuit, alioquin interirent animantia ad vnum.sic se habet prope cavernas,& alia terrę orificia pestiferos, atque exitiosissimos exhalantia fumos, a quorum inspiratione suffocatus statim concidit homo,vt apud Giorgium Agricolã d. nat. rerũ sub. ter.fluen.quãobrem cum pestilentem parit statum,extremo canet uitio:in quem modum considerato non ad spiritus,sed ad sanguinem noxa præsertim spectat.etenim etsi spiritus generatricẽ ab aere agnoscant materiam, vt videantur hi primario maleficentiæ onus gestare debere,res tamen secus se habet, quoniam non prius reparantur,quam pręparationem susceperit aer,cuius pars halituosa repudiata,& in vasis,membrorumque orificijs insidens, in caussa est,vt sanguis cum calido natiuo ad necessitatem non euentatus, nõ refrigeratus satis,atque calido,putrique contactus halitu, puerem contrahat motum,& statum efformet synocarum febrium, magis, aut minus,pro qualitate infectionis aeris,perniciosarum.

Huic fędę aeris constitutioni,quorum imbecillus,quorum segnis est naturalis calor, obnoxij magis existunt, quemadmodum & plethorici. Qui vegeto pollent, excrementa hæc halituosa digerere, ac dissipare solent, maxime si fuerint rari habitus. verumtamen sunt isti aeris incommodis magis subiecti, quam qui densæ texturæ, sic ratione, sic experientia, sic auctoritate docentibus. quorum, inquit, Galenus in 3. de alim. est mollis, raraq; cutis, ij ab omnibus externis caussis facile corripiuntur; quorum vero densa, duraquè facilius ab internis. cui rei respiciens in 2. d. nat. hom. t. 4. Hippocrates salutis humanæ studiosus, præcepit vere improbo existente, curent homines, vt quam parcissime spiritus in corpus influat, illeq; maximè familiarisq; non quod respirare homines ad neces-

necessitatem non debeant: sed quod caussas euitent, ob quas plurimum attrahi aerem necesse sit, vt sunt motus violentia, iracundia, repletio: proinde ibidem docet, corpora esse tumida, imbecillaque reddenda, atq; extenuanda. vnde subdit, sic enim fiet, vt homines, neq; multo, neq; frequenti spiritu egeant.

Incendijs est aer, excrementosus existens, expiandus generatim, ac priuatim. corpora præsertim impura discutientibus, diaphoreticis sunt pertractanda, & plena extenuanda. Vnde & pro præseruatiuo, & pro curatiuo scopo venæ sectio magnum sibi vendicat locum.

De statu aeris suffocante, et eius morbis.

Cap. IIII.

QVid sit, aer suffocans, qui & in ipsius respectu suffocatus dicitur, declarat nobis in 3. d. hum. tex. com. Galenus, aer inquiēs, qui cauo in loco, altis montibus, & omni parte conclusus, nec vllum perflatum recipit, suffocans, putrisq; censetur, & iure maximo putrem facit, non quod verè putris sit, sed quod inducat ad putredinem humores, velut qui vt immobilis, ac segnis, nec non quoquopacto calidus, minime sufficiat animantia ipsum inspirantia satis refrigerare, atq; euentare, quin morbos subeant dico non satis, quandoquidem talis aer non est absolutè suffocatiuus: alioquin interirent, qui ipsum inspirarent, statim homines; qualiter qui aqua submerguntur, fornaci ardenti exponuntur, & strangulantur, denegata prorsus natiuo calido consueta, quæ per respirationem fit, ventilatione. verum sub suffocante modo Galenico euentatur, at non debitè, & pro ratione, adeo vt humores haud sufficienter moderati, sint sibi putredinem subeundum, vt ob id talis aer suffocans sit dictus in respectu, & non absolutè.

Ad istiusce aeris sic suffocatiui naturam, contingit quandoq; vt aer vulgariter mutetur: contingit inquam, vt Cælum adeo calidum, & æstuosum fiat, vt nequeant non fieri morbosa subiecta animantia. ex quo statim inferimus suffocantem aeris constitutionem, coincidere iuxta Galenicam doctrinam in 1. de diff. feb. c. 4. & 3. in 3. tex. com. 6. cum magnis æstibus, ventis interim silentibus: cum enim aer temperari nequeat, immotus etiam maiorem in modum excalefit. sic nos ęstū solis stādo tolerare nequimus, quē eundo facile ferimus: sic manus immota a flammis comburitur, quas mota per flammas

per

per quoddam temporis spatium illæsa tolerat.

Vnde licet hinc etiam inferre loca illa, in quibus insunt sublimes ac confertissimæ domus, queq; montibus altis sunt vndiq; circundata, suffocanti esse aeri oportuno tempore magis obnoxia, vt nō satis perflata, quemadmodum plana humida, ac concaua; de quibus loquens in 2. de diæt. Hippocrates, lacustria inquit, ac palustria humectant ac calfaciunt, quia caua sunt, & circundata, & non perfluantur; humectant quia nascentia ex terra, quibus homines alūtur humidiora sunt, & spiritus crassior est, propter aquæ stationem, & immobilitatem. vt propterea subiecta hisce locis animantia suffocatiuum experiantur triplici ratione aerem, quod excalefiant, quod minus, quam par sit, perflentur, quodq; eorum corpora aere crasso existente minus transpirabilia fiant.

Obnoxia quoq; huic suffocatiuo statui loca illa, quę cum sint ex sui natura calida, & incolis quadantenus grauia, non de more calidiora fiunt. Sed est quoq; sub hoc statu hominis assuetudo attendenda. etenim incola regionis calidæ, si inciderit in æstuosum aerem, difficulter a morbo, assuetus regioni frigidæ, facilè corripietur. memini me legisse in quadam historia indorum, Indos quosdam in Hispanias transuhectos in littore præ ęstu occubuisse, cum viri Hispanienses hunc facilè sustulerint. Hinc verisimile est, Gallos illos celtico genere ortos, Romę stationem facientes, obsidentesq; Capitolium, morbum hac de caussa contraxisse, vt apud Liuium, & Plutarcum in vita Camilli.

Sub hac constitutione locari posse arbitror illam, quam in 3. aph. & lib. d. aer. lo. & aq. proponit idem auctor Hippocrates, cum inquit, Si quidem hiems fuerit sicca, & borealis; ver autem pluuium, & austrinum: necesse est æstatē febriculosam fieri. ratio istius rei, ab auctore in loco postremo allata, quadrat intentioni nostræ, quandoquidem subdit, cum enim de repenta ęstus accedat, terra humida existente à vernis imbribus, & ab austro, necesse est æstum dupplicatum fieri, & á terra irrigua, ac calida, & á Sole vrente. & quid profecto talis æstus aliud importat, quam suffocantem aerem? Qui quomodocumq; vulgariter vsuueniat, si quidem extiterit intense talis, vulgariorem in loco, ac perniciosorem efficiet statum morbosum. Morbi autem isti nō erunt alij, quam continentes febres, putredine, ob immodicam caliditatem, ac denegatam animanti sufficientem refrigerationem in præternaturalibus, atq; alibilibusq; succis accensa, vt propterea necesse sit, tales febres admodum lethales futuras, non solum ob magnitudinem, nec non ob vtilissimi succi defectum, sine quo animans ne-

quit esse : verum etiam quoniam pro refrigerio æstum languentia corpora suscipiunt : pessimum enim est ex Hippocrate in lib. d. die. decr. cum tempus cum morbo impugnat.

Suffocatiuam fuisse constitutionem à Thucidide enarratam, testari videntur verba historici à Galeno in 1. de diff. feb. cap. 4. allata, quæ sic habent, sed in tugurijs suffocantibus æstatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant. verum primario austrinam agnouisse potestatem pro generatrice caussa pestem illam, facilè arguimus, ex quibusdam serpentibus vlceribus, quæ idem auctor in peste illa vagata esse scribit.

Conducibile est sub hoc statu montana, frigida conuallia, aquilonalia contendere: quibus minimè datum, in conclusa interdiu quiescere domos : ac frigida sæpenumero aures, manus, ac pedes abluere. Sanguinis autem pro ratione missionem, quibus conuenit; nunc vero & repetitam pro euentatione: nec non frigidum de more potum, vtilem in morbo censemus. ptisana in hoc casu pro cibo est appositissima.

De sicca aeris Constitutione, & qui ex ipsa producantur Morbi.

Cap. V.

INgentes siccitates pestem afferre posse, docuit olim Auenzoar, & Liuius, si bene memini, Romanos quondam ob siccam constitutionem peste conflictatos fuisse refert. clarissimum istius exẽplum habemus 2. in 1. epid. apud medicinæ Archiatrum Hippocratem, quæ est in ordine tertia, quam quamuis austrini præcesserint imbres: nihilominus siccitas diutissime consequuta constitutionis siccæ rationem sibi vendicauit, vt clare, qui inde consequuti sunt, testantur morbi. Quin immo, cum siccitates aquilonales statim post sequutos imbres austrinos successerint, magis quodammodo in humana corpora potuere: pessimæ enim sunt magnę, & extremæ mutationes, toties ab eodem animaduersum: vnde ad hoc nobis insinuandum in lib. d. aer. lo. & aq. & in 3. aph. proponit nobis quosdam status, qui ex dupplici constant inter se natura contraria: cum alioquin mutatio temporum sensim facta securissima sit, eodem Hippocrate teste in 3. de humor. t. 16. extitit igitur sicca, & propterea nos etiam siccam constitutionem

inter pestilentes locandam statuimus.

Sed quomodo extitit sicca tantum, cum aquilonales ventos magna ex parte habuerit socios? Idcirco sicca, & frigida videtur statuenda, vt talem in commentario decreuit Galenus. dico rursus sicci duntaxat nomine esse insignieudam, propterea quod consequuti morbi vnam redoluere siccitatem. fortasse hoc euenit, quod sicca tantum qualitas in humana potuit corpora, etiamsi frigidam comitem habuit, quod primarium obtinuerit locum: quodque vbi dominari contingit, vt insueta, sit animantibus magis infesta, quam frigida. Fortasse quoq; quod natiuus calor animantium Thasi, quos tempestos hęc diuexauit, vt pote huic frigidæ qualitati assuetos (quandoquidem Thasus Vrbs erat ex Galeno. 1. in 1. tex. com. 1. ventis frigidis, & aquilonijs exposita) potuit sentire siccæ non frigidæ qualitatis iniuriam: alioquin offensa lunge euariasset, si cum siccitate frigiditas vna alterasset. cum enim status hic quandã non naturalem innati caloris in quali sicco alterationem importauerit, aliter idem calor refrigerationem, vel partialem extinctionem esset passus, ac morbi inde consequuti frigidam eiusdem iniuriam testarentur: in quacumq; enim vulgari, ac pestilenti constitutione, si quis bene attendat, semper natiuus animantis calor hoc, vel illo modo oblæditur. obiectum noxæ primarium id est, pro cuius noxæ multiplici differentia, diuersi excitantur morborum status. Sentio tamen constitutionem siccam aucmentum, ac quoddam in suo esse summum à frigido aquilone aquirere: morbosque quosdam suboriri, maxime si locus, & hominis dispositio consentiat, qui frigidam potius, quam siccam caussam redoleant; vt vsuuenit per Hippocraticam, per quam morbi quidam sunt vagati, ad cerebrum spectantes, qui à frigida caussa visi sunt dependisse.

Et quoniam dictum est aere dominante sicco, natiuum calidum quandam non naturalem in quali alterationem, acutiemue importare, videndum iam quomodo id fiat, vt animans postmodum ægrotandum, ac quali morbo ægrotandum sibi sit. si prius dixerimus, siccum statum, propterea talem fieri, quod cum pluuiarum vacuitate transigat, & accendentibus borealibus ventis squallidus in totum fiat. quo stante fieri nequit, quia corpora subiecta, & pręsertim biliosa valde exsiccentur. sic decreuit quondam in lib. de aer. lo. & aqu. Hippocrates dum borealem ac siccum autumnum considerat. vbi corpora sunt hac ratione exsiccata: vbi inquam solida nostri corporis membra, quæ sunt sedes, ac domicilium innati calidi, sunt arefacta, vt idem quoq; calidum alte-

rationem effatu dignam perpetiatur, necesse est, quæ non aliud dicit, quam quandam præternaturalem eius acutiem, ex diminuto humido resultantem: vnde non de more blandum, ac suaue, sed acutum, atque mordax expirat. vt propterea sanguini quandam pariter indat acrimoniam, vt loco citato eidem placet, cuius ratione cum totus conuerti in alimentum partium corporis nequeat, relinquit à se acrem quandam superfluitatem, bilis flauæ æmulam, quæ tandem putrescens morbos ab auctore in enarrata 2. in 1. ep. constitutione in ordine tertia efficit.

Sunt hi, vt videre est febres ardentes, quarum plurimę in adolescentibus, atq; adultis salutarem sanguinis eruptionem inuenerunt: senioribus vero res, inquit auctor, in tex. 66. venit ad morbos regios, aut turbatas aluos, aut dysenterias. tu vero attende, si frigus per hanc tempestatem in procreandis morbis habuisset locum, nequaquam genitus acer hic humor fuisset, productrix horum morborum caussa, idemq; in maxima redundantia: copiosus, inquit in tex. 67. fuit hic humor, maximeque abundabat, vt hinc iure siccitatibus in 3. aph. 7. febres acutas ascripserit.

Sed hic curiosa, atq; vtilis insurgit speculatio, Cur factum est, vt ex ardentibus febribus ab auctore enarratis, quæ vere, & ineunte æstate sunt grassatæ, salutares fuerint, & cum fluxu sanguinis narium citra rigorem, vt plurimum iudicatæ: quæ autumno, magna ex parte lethales, habuerintq; rigores, citra sanguinis eruptionem, vt ex historia videre licet? An quod in vernis, & primæ æstatis febribus, cum humore per statum genito horum febrium caussa computrescebat, aut efferuescebat simul sanguis, qui copiosus peccantem humorem in se habebat commixtum: qui sanguis à calore febrili desuper rarefactus, ac sursum latus, venas narium à se nimis inflatas reserans, large erumpebat: ac simul morbifico humore euacuato, febres iudicabantur, eęq; vt plurimũ citra rigorem: quoniam ob permixtionem sanguinis, refracta humoris acrimonia, non erat conuellicatio, expunctioq; vlla fieret, per quam natiuo alioquin calore molestato, rigor inducitur. At autumnales magna ex parte fuerunt lethales cum rigoribus, & citra sanguinis fluxionem, eo quod humor per statum genitus, à temporis diuturnitate secretus, impermixtusq;, ac crassus successiuè factus non poterat non in internis vasis putrens focum febris firmare; hacq; de caussa ægrotantem in perniciem adducere, cuius impermixtionis ratione febres tùm sine sanguinis fluxu iudicabantur, tùm rigores habebant. Circa quos Galenus non bene sentire mihi videtur in com. tex. 76. & 86. qui docet hos conti-

gisse,

gisse, quod bilis non amplius in venis, sed in totum esset diffusa corpus. quoniam si sic, cessassent febres ardentes, & res ad vnum morbum regium deuenisset: vel ad illius doctrinam, ex ardentibus mites, & intermittentes euasissent, ob transmissionem bilis ab intestinis vasis ad carnes totius ambitus: qui tamen materiæ motus vel ipso teste in 3. aph. 22. & alibi, fuisset tempori contrarius, cum si per carnes fuisset dispersa, autumno, & hieme ad intra fuisset coacta.

Ego sentio plurimos propterea rigores hoc tempore fuisse factos, quod acer humor non esset ampliens cum sanguine, qui tunc temporis existit paucus, teste in 1. de nat. hum. Hippocrate, permixtus, ac contemperatus: sed separatus, & impermixtus; vnde nunc solida, nunc vasa vellicans, rigores excitauit plurimos. Neque enim locum duntaxat habent, cum per carnes fertur per Galenum, & non in capedinibus vasorum continetur amara bilis, vt idem passim scriptum reliquit, & aperte docet in tex. 86. sed etiam cum in vasis firmata est. ea quidem si sinceritatem cum crassitie seruauerit non solum lancinare, mordereq; venarum tunicas, vnde rigores, verum etiam erodere, atq; exedere nata est, si orbata omni aquositate vlteriorem comparauerit mordacitatē. quam noxam agnouit, immo edocuit idem auctor in 4 aph. 77. & alibi; hinc propterea rigores in ardentibus non decretorij, sed maligni, de quibus in coa. prædicitur, continui in acutis rigores praui sunt; hinc successiuè inquietudines, & corporis iactationes, nec non fastidia, quorum consequutiua est extremorum perfrigeratio, vt vsuuenit ægrotantibus in tex. 75. enarratis. hinc demum vrinæ squamulosæ, furfureæ, de quibus in 2. prog. t. 28.

Non inficior, quod in continuis quibusdam, atque ardentibus rigores nequeant contingere, solidis ad mentem Galeni, sed melius venis per carnes diuaricatis, lancinatis, atq; expunctis à tenuiori bilis parte expultrici naturæ vbedientiori illuc amandata, interim crassiori internas sedes occupante, qui tamen non adhuc decretorij absolutè sencendi sunt, cum & nuntij interritus ægrotantis esse possint. etenim si à rigore facto, pars crassior, profundiorque, & immediata febris effectrix caussa tradenti, atq; expellenti naturæ sedat, decretoria quæpiam excretio iam iam in conspectum se offert, qualiter vsuuenit pluribus per hanc tempestatem ardenti febre laborantibus, per tex. 64. cuius excretionis qualitatem recenset auctor in tex. 79. At si minime cedat, locum iam habet illud in 2. ep. Hippocraticum, decretoria non decernentia aut lethalia sunt, aut difficilis iudicij. Lethalia non

addu-

addubitabis ea esse, cum ægrotus vires habet debilitatas, vt prius sit sibi succumbendum, quam crassa bilis, quæ renuit expultrici cedere, per putredinem consummatur. si rigor incidat, Hipp. inquit in 4. aph. 46. febre non deficiente ægro iam debili, lethale. non profectò lethale quod præ imbecillitate natura minime potuerit illam expellere, vt expositores cum Galeno sentiunt, sed quod natura illam præ crassitie effatu digna amouere à se potens, nequaquam fuerit. quod ita sibi velit scriptura Hippocratica, attende internum ipsius sensum. Si rigor incidat febre non demittente, lethale est, ægro existente imbecillo: igitur forti existente, non erit lethale, sed difficilis iudicij. quemadmodum enim, vt Galenus, & expositores insinuant, expultrix facultas minime potuit expellere, quod imbecilla existeret, vnde rigor frustra incidit: sic ex aduerso arguimus, quod potuisset expellere, si sibi datum fuisset, ideo quod robusta esset: sed datum haud quaquam sibi fuit, propter insignem materiæ peccantis crassitiem, cuius ratione à loco amoueri renuit. quamobrem si decretoria à rigore excretio minime compareat, forti existente ægro, non perniciei, sed erit difficultatis iudicii indicatiuum: quoniam potest æger robustus longius, quamuis difficulter, ac laboriose, protrahi, & febrem tolerare, donec productrix eius materia vel inflammas tota abiierit, vel quampiam concoctionem acceperit. Insit pro exemplo nona febris die in venis materia, pro febre successiue fouenda, ac conseruanda quinque desuper dierum spatio, & rigor incidat: tunc si æger debilis sit, vel non poterit amplius sufferre morbum, vel per duos, aut tres duntaxat dies sufferet, quibus finitis natiuo calido maiorem in modum à febrili caliditate deprauato, vt ex toto concidant vires, labescatq; æger necesse est, si robustus, valebit morbum tolerare per quinque status, aut etiam plures dies. tu vero disce hinc, quanti sit in acutis pauca, vel multa existens materia morbifica ad salutem, vel ad mortem mouenti. hinc enim interdum fit, vt hominem acuto morbo laborantem, perniciosis vndique stipatum signis, iam iam præter spem morbo superiorem esse videas, consumpta interim noxia, concoctaq; quæ superarat materia.

Non me latet Galenum in com. exitii caussam assignare, præter expultricis impotentiam, tum rigori ipsi, cuius agitationem tolerare nequeat vis debilis: tum & euacuationi, vt quę, minime intermittendo, vires dissoluere nata sit. verum quo ad illud, præter quam quod vigor in continuis superueniens debilis, ad differentiam vigoris intermittentium, sit, vt nequeat concussionem

debe-

debelitatoriam parere, vigor quoq; hoc in loco auditur ab Hippocrate non vt symptoma, sed vt merum signum: istud vero est reiciendum, cum non sit Hippocratis, qui sine phisicis principijs loquutus est numquam, sententiarum suarum iacere fundamenta super accidentariam caussam. accidentaria caussa est, quod, quo tempore ab euacuatione subleuari æger deberet, mortem assequatur, quod accidat, vt euacuatio fiat assidua. quæ res etsi aliquando contingere possit, frequentius tamen, ne dicam semper, fit, vt euacuatio quæ rigorem sequitur, vt decretoria, paulatine, & cum ægri tolerantia fiat: alioquin non verificaretur nisi rarissime aphorismus hic, qui oraculum est, qui prę multis arcana quædam medica, eaq; ad artem faciendam vtilissima in se abscondit. & id ipsum non intendit nec vel minimum Hippocrates, qui propterea ęgri interitum non ab immoderata euacuatione, sed à perseuerante expectat febre. Quod si instet Galenus hanc à rigore euacuationem in homine inualido semper fieri, sine intermitentia, vtique erat iuxta eius doctrinam aphorismus sic scribendus. In febre continua si rigor, ægro iam debili minime contingat, bonum. at quomodo bonum, si Senex in 4. aph. 58. à rigore in vniuersum expectat febris solutionem?

Quamobrem vt, vnde est oratio digressa, reuertatur, cum æstate iam, autumno & hieme acer per tempestatem genitus humor impermixtionem, atq; conspicuitatem comparasset, potuit non amplius castigatus, ac contemperatus, rigores pro ratione, & decretorios, & perniciosos efficere. hac de caussa factum est, vt plurimi per tex. 64. ex ijs, quibus sanguis minime erupit, circa iudicium riguerint: paucis vero, quibus eruptio facta est, rigores acciderint; ideo quod isti, ad differentiam illorum, noxium humorem habuerunt cum sanguine mixtum. hac etiam de caussa senioribus, velut qui inopia quodammodo sanguinis laborant, pro sanguinis fluxu abscessus, per tex. 66. per fluxionem biliosi facti sunt. qua insuper de caussa in status processu sanguinis cessarunt eruptiones, per tex. 86. & plurimi simul phrenitide correpti fuerunt, per tex. 73. ideo enim quod bilis flaua non amplius vna cum sanguine putresceret, factum est vt vbi cerebrum, sursum à flammis lata, occupauit, cum minime datum sibi esset ad instar sanguinis enarium venis effluere, exitiosas, firmata, excitauerit phrenitides: in quibus tamen non prorsus secreta, sed sanguine quadantenus perfusa fuit, cum morbum subierunt, pro larga, ac congrua, vt alioquin salus hominis expostulabat per tex. 63. sanguinis eruptione, euacuata duntaxat sanguinea portione, stillæ sanguinis

mortis

mortis nuntiæ comparuerunt. Qua denique de caussa rigores non solent in continuis habere locum, nisi in morbi processu: quoniam tunc temporis sortiuntur maiorem sinceritatem, crassitiemque, ac inde maiorem nocentes humores acrimoniam. quod si in principio, vel aucmento rigescant quidam, qualiter quorum mentio facta est in tex. 75. prauum signum, inditium est enim crassam in corpore, eamque valde mordacem redundare materiam.

Cęterum præter recensitos morbos, scribit Hippocrates paraplegias in primis esse vagatas, ex quibus nonnulli subito moriebantur, quarum caussa hic paucis examinanda venit. Nimirum in cerebro ob præcessos aquilonales, atq; austrinos imbres, excrementa in multis genita fuere, quę à venis in ventriculos cerebri eructata, cum postmodum per naturales ductus ob crassitiem, atq; contractam à dominante cęlo viscositatem rite expurgari non potuerint, ad quandam quantitatem naturæ molestam inibi retenta, tandem à natura excutiente se, ac velut quassante ad cerebellum, ac inde ad orientes neruos modo secundum dextram, modo sinistram partem amandata paraplegias effecere: at in quibus excrementa hæc peruenire in posteriorem ventriculum non potuere, sed prę crassitie, lentoreq; in angustiori firmata sunt meatu, spiritui animali affatim aditum interceperunt, vnde mors repentina est subsequuta.

His sic de immodica aeris siccitate, & eius morbis statutis, vnū quod difficultatem facere videtur, discutiendum venit. etenim non videtur rationi consonum, quod quidam vrinas potuerint habere aquosas, multas, puras, tenues post iudicium, per tex. 70. cum ratio exposcere videtur, vt ichor omnis per siccum statum esset absumptus. Dic, quod in quibusdam potuit satis congeri aquosus humor, ob constipatos ab aquilonali frigiditate cutis vniuersæ poros: quod vsuueniſſe senioribus ratio, vult, nec non densi, ægreq; transpirabilis habitus hominibus. in quibus igitur hic humor congestus in redundantia fuit, vbi febris iudicium accepit, ad vesicam amandatus potuit illas vrinas efficere, crassiori atq; aeriori quadam parte superstite ad intestina transmissa, quæ postea dysenteriam eadem exulcerans, effecit: subdit enim auctor in subsequenti textu, postea hi omnes dysenterici euaserunt, quod vrinas reddiderint aquosas attendendum est.

Vbi obiter intelligimus posse quempiam probe aliquando iudicari, cum vrinis aquosis tenuibus. etenim si contigerit, vt crassa, atque inflammabilis materiæ peccantis pars per putredinem sit consumpta, vel ad intestina amandata, pars aquosa, febri ex

Hippo-

Hippocrate infestissima, ad vesicam transmissa aquosas, easque multas vrinas faciet, quas tamen laudabilem subsidentiam habere par est, propter cineritiam à putrefacta iam crassa materia relictam superfluitatem; si modo hæc crassitudine fuerit prędita, effatu digna: quandoquidem à tenuibus humoribus nulla exputatur, Galeno teste in 2. de diff. feb. cap. vlt. superfluitas.

Virtus in cunctis ratio humecandi, & siquidem aquilo adiungatur moderate calefaciendi vim habens instituenda. de cætero vernales febres vera præsertim sectione, autumnales paulatina per aluum peccantis humoris expurgatione: aut etiam per vniuersam cutam, si eo natura vergerit, ad normam febrium Hippocraticarum, sunt tractandæ.

De Tempestate frigida, humida, & aquilonia, & eius morbis. Vbi obiter Typorum non dum perspecta caussa adaperitur.

Cap. VI.

Locus expostularet, vt de austrina ageretur; sed quoniam de hac est diffuse agendum, cum totum hoc opus ex tractationis occasione istius conficiatur, & ad hanc cuncta veluti dirigantur, idcirco recte factum putaui, postremum ipsi assignare locum, & pro austrina humidam, frigidam, & aquiloniam sublocare, quam tibi liceat statuere annum, in quo magni contingant imbres vno ex his, aut pluribus, quos Galenus in 1. tex. com. 1. statuit, modis; frigora sæuiant, & venti dominentur aquilonales. Quid autem sit ex tali anno expectandum, iam inuestigandum est.

Manifestum autem, quod cum in tali anno duæ excedant qualitates, humiditas, & frigiditas: duo sint generica mala in subiectis animantibus subortura. etenim per redundantem, atque diutino tempore perdurantem aeris humiditatem non solum solida perhumectantur, sed humores quoq; exaquescunt, multiplicanturque, maxime si frigiditas fuerit adiuncta, vt in nostro casu: frigidæ caussæ, inquit Galenus (dum 2. in 1. tex. com. 7. de hac loquitur constitutione) cutem constipantes humores prohibent digestione, & aeris humiditas non solum à corpore remouet quicpiam,

piam, sed etiam adiacet: cui rei manum quoq; porrigit natiuum animantis calidum, quadantenus à constitutione perfrigeratum: vnde hinc maxima aquosorum humorum colluuie coaceruata, expectandum est, vt tandem mota non mediocriter hominem afficiat, atq; interim per communia emunctoria profluat, aluum, vesicam, cutem: vbi enim humores tenues, ac liquidi sunt, à venis ad quodcumq; emunctorium aditum sibi æstruunt; ad hoc nempe, vel illud, modo ad plura, vel omnia, pro vt huic, vel illi fuerint proximiores, vel naturæ commodiores, aut in maxima redundantia. Quamobrem effulgent per hanc tempestatem fluxus cuiuscumq; generis alui: lienteriæ, dysenteriæ, diareæ biliosæ, tenues, multæ, crudæ aquosæ, mordaces, in his quidem hæ, in his vero illæ pro naturalibus hominum differentijs, ac dissimili viuendi ratione. Manifestum est enim, quod in frigidi, ac densi habitus homine, vel frigidi, ac pituitosi temperamenti, ac magis si is victui simili se dederit, maxima tenuium, & aquosorum excrementorum copia coaceruabitur: cum in aduerso homine paucæ congerentur superfluitates, eædemque per tractam in corpore moram biliosam comparabunt naturam, vnde fluxionum varietas.

Eadem ratione fluxiones per vesicam contingent, verum molestiores: adeo vt interim dolores, abrasiones, ac purulentię fient: propterea quod humores per hanc viam incedentes, ratione tardi incessus, nec non caliditatis loci semiputrescentiam, ac inde acrimoniam comparabunt, ob quam vijs quadantenus excoriatis, atq; abrasis, vt dolores, purulentiæ, ac fluxioramentosa consequantur necesse est.

Rursus cutis vndiq; sudore perfundetur, non solum propter excrementorum aquosorum concursum in venoso genere collectorum: sed ob carnes etiam maxime humectas: adeo vt in his licebit tibi animaduertere copiosissimos sudores, & carnes velut rore quodam semper perfusas. fient hęc & cum febre, & sine febre. Vbi venosum genus recrementis probe expurgabitur, quod vsu-eniet ijs, in quibus non multa inerunt excrementa, vt biliosis, sine febre fluxiones fient: at in quibus plurima, eorumdemque pars in venis retinebitur, hęc putrescens febrem quampiam ex hoc, vel illo genere excitabit.

Exuperans id mali perpetrat humiditas: at grauiora sunt incommoda à frigiditate expectanda: quandoquidem scopus istius qualitatis videtur esse, calidi animantium innati offensa: ab hac enim non solum refrigeratur, sed deprauatur quandoque, non per

se, sed

ſe, ſed humiditatis redundantis ratione ſede ipſius, ſeu ſedis ipſius propriæ refrigerata, ac deprauata temperie. hęc namq; qualitas cum ſolida reddat ad excipiendam refrigerationem aptiora, computrens etiam, ſi valde excedat, idem calidum à refrigeratione debilitatum, deprauat: hinc poſtea cum ſolida ſic affecta oblatum ſibi alimentum recte totum conficere nequeant, relinquunt à nutritione plurimam ſuperfluitatem, quæ à tempore bilioſam adepta naturam, difficillimam putreſcens, lethalemque accendit febrem, à qua extimiſcendum eſt, vt æger calido eius vlterius refrigerato, ac partialem extinctionem paſſo, tabidus tandem fiat. erit hæc non alia, quam febris ſemitertiana, quam iure merito 2. in 1. tom. 5. omnium maxime lethalem, & tabidorum peculiarem decreuit Hippocrates; non quod bilioſos, & crudos ſimul pro generatrice ſui cauſſa aſſumant humores: ſed quod cum ſalus ægrotantis pendeat à materiæ morbificæ concoctione, aut eiuſdem conſumptione, quæ proinde ſtatam, ac definitam materiæ quantitatem ſupponit, fit vt, cum materia harum febrium non ſit definite genita, ſed ſucceſſiue, ac continenter ob membrorum diſcraſiam ab innato calore labeſcente ſubortam, generetur, coctio totalis, aut conſumptio expectari nulla vnquam ratione poſſit, ſed pro hac virium ex inceſſante, ac continente morbo ob ſucceſſiuam materiæ ſubminiſtrationem, totalis tandem reſolutio, ac mors ſequatur. vnde non mirum, ſi quos huiuſmodi febribus laborare contingit. grauiſſimis interim ad Hippocratis doctrinam conflicteatur incommodis, ſiq; tandem tabidi euadant. cum enim hic tabes magnam colliquationem, atq; exteruationem ex naturali calore deprauato, ac ſimul partialem extinctionem paſſo ſubortam dicat, de facili fit, vt cum velut in fieri ad hanc eſt, cum inquam deprauatus, ac quadantenus refrigeratus eſt, tandem etiam in facto eſſe eam ſubeat: maxime ſi languentes multo antea à morbo correpti in autumnum coincidant, cum ſit autumnus, ex Hippocraticis placitis, tabidis malus: hoc enim tempore parati ſubeunt ex occaſione tabem, ambigentes confirmantur, & confirmati moriuntur. Pereunt, inquit Hippocrates in 2. prædic. 13. homines hi, ſcilicet tabidi, ad autumnum: ſed & ex alijs morbis lungis pleriq; ad hoc tempus maxime moriuntur. Quod autem qui ſemitertiana laborant de facili in tabem incidant, quodq; ſit febris hæc, præter inſinuatam rationem, tabidorum, & lungis alijs morbis ęgrotantium peculiaris, nec non allatam ſuperius Hippocratis auctoritatem, etiam comprobat experientia: etenim qui per conſtitutionem

austrinam, & cum squalloribus tantopere calido innato infensam 1. in 1. quæ est in ordine prima: quiq; per constitutionem, de qua modo 2. in 1. enarratam semitertiana per tex. 25. laborauere tabidi effecti sunt, vt colligere est ex tex. 13.

Hi sunt morbi, qui ab hac tempestate, si quando contigerit, sunt expectandi: quos sicuti subibunt ij facilius, qui fuerint ad maleficentiam tempestatis aeris suscipiendam magis parati, ita affligentur hi grauius: ideo quod dispositio maiorem excrementorum copiam, & hæc maiorem importat morbum. dispositionem statuit primo temperies frigida & humida, mox vero & ętas molliuscula. cuncta autem hæc cum ratione excerpta comprobant morbi, atq; affectiones ab hac constitutione, quæ quondam Thasios exercuit loco proxime citato excitatæ: vt hinc cuique legenti patere facile possit, quod nos breuiter de hac statuimus, vndequaq; esse euentui consonum, ac velut esse quandam breuem, sed exactam Hippocraticæ constitutionis explicationem. & quoniam refert Hippocrates cuiuscumq; generis febres esse per eandem vagatas, idcirco vt exactior habeatur cognitio, expedit paululum circa has diuersari, quo simul, vt spero, vtilia, noua, ac præclara audiemus.

Primum circa febres tertianas, de quibus in tex. 20. duo inquirenda veniunt, alterum est, quomodo per frigidum & humidum illum statum biliosus humor præternaturalis fuerit in exuperantia genitus, qui excitare in plerisq; tertianas potuerit, cum soleat hic humor per calidum, & siccum Cęlum duntaxat redundare.

Respondet in com. Galenus, quod impeditis eorum, qui natura erant biliosi, cutis spiraculis, quantum bilis in carnoso congestum genere ante vacuabatur, in hoc statu, vt frigido & humido, non vacuatum, tertianas generauit febres.

Hæc Galeni responsio, etsi circa retentionem probabilis esse possit, circa locum tamen huius biliosi excrementi non bene constare mihi videtur, quoniam sic, vel produxisset iterum, vel putrescens continuam effecisset febrem. vbi enim bilis hęc in carnibus congesta semel putredinem in se admisisset, vtiq; sine vlla penitus intermissione, sed continuatim computrescens continuam, eamq; ardentem generasset febrem: ideo quod in hoc distat ab intermittente continua, quod hæc paratam semper habet in foco materiam, ex qua successiue, ac continuatim accensa, continuæ attolluntur flammæ: intermittens autem propterea intermittit, quod deficiat in foco per putredinem consumpta, materia in pri-

mis

mis parata : & interim quo alia aliunde missa paratur, homo febre liber degit. ex quo obiter intelligimus Galenum tum alibi, tum in commentario huius textus mole ardentes, ac proinde continuas, atq; intermittentes febres inter se distinxisse, qui docet illas fieri, cum in venis abundat, putrescitque, has vero cum in totius corporis carnibus dominetur flaua bilis; cum & illæ produci possint ex quopiam calido humore in carnes abscesso, vel inibi congesto, & has ex bile, in venis quamuis minoribus putrescente, pendere certissimum sit: vt propterea nil obtitisset, si in carnibus biliosum excrementum fuisset congestum, quo minus simul computrens continuam accendisset febrem. extat, pro istius rei comprobatione, in 4. aut 1. Hippocratica auctoritas, causus, dicitur, fit cum venulæ exsiccatæ tempore æstiuo tenues, ac biliosos ichores ad se traxerint: non aliud per venulas nobis insinuat auctor, quam minima, capillaniaq; per carnes diuanicatas vascula. & rursus in 2. ep. sec. 1. sic habetur, subnascebantur in cute sanies, dum autem intro concipiebantur, colescebant, & pruritum inducebant: deinde pustulæ velut ab igne exustæ excitabantur, & sub cute vri sibi videbantur. nemini autem dubium, quin tale incendium exterioribus partibus inductum, comunicatum pariter interioribus fuerit, produxeritque febrem continuam. iunge tu quod per Galenum sequeretur, quod hieme magis, quam æstate vagarentur febres tertianæ, retenta, ac coaceruata, ob ambientis frigiditatem, flaua bile.

Ego sentio materiam, quæ illas generauit tertianas, fuisse in venoso genere congestam ob cęli statum pluuium, quæ, etsi sub specie aquosi excrementi fuerit in primis genita, à mora tamen biliosam contraxit naturam, cuius ratione tertianum potuit efformare typum. sed hoc biliosis duntaxat vsuuenisse ratio vult, quos etiam molestius, quam qui ardentibus, laborasse scribit in tex. Hippocrates: ideo quod biliosum hoc excrementum ad venas carnium circumferentiæ corporis transmissum potuit, ob tenuitatem à tempestate adeptam, in carnes etiam ipsas partialiter eructari, atq; ob id acutiorem, ac molestiorem inducere caliditatem. ad differentiam ardentium per tex. 16. quarum materia, cum in intestinis putrescere vasis contigerit, non potuit tantam, quantam quæ intermittentes effecit, inferre caliditatem. Ex quo obiter discimus vtramq; hanc biliosam superfluitatem non retinuisse germanam flauæ bilis naturam, vt alioquin retinuisset, si quidem assertio Galenica in textu de retentione bilis, ob meatus impeditos, teneret.

Alterum

Alterum est, qua de caussa tertianæ illæ in omnibus quaternos circuitus habuerint, in septemq; absolutè iudicarentur, nullaque harum recidiuam habuerit per eundem textum, cum ratio exposcere videtur, vt lungæ, ac difficilis iudicij essent futuræ, ob frigidam & humidam status temperiem.

An quod breues, ac statæ fuere, propter paucam, eamq; statam materiæ biliosæ quantitatem, quæ cum determinato tempore per febrilem calorem consummeretur, tum determinatas fecit accessiones, tum reuertendi occasionem sustulit. etenim earum generatrix materia, cum contrariam adepta esset naturam, cuius erat tempestas, atq; accidentariam velut habuerit productricem sui caussam, nec poterat in minime dispositis in redundantia congeri, nec aderat caussa, ob quam interim, quo febris hominem detinebat, alia similis generaretur, à qua alioquin accendi febris, vel recidiua fieri posset. etenim inter alia, quæ & elongare morbum quempiam, & recidiuas facere nata sunt, principis est cuiuspiam membri similis morbo intemperies, nec non cœli status. Cęli statum recidiuas facere ratio adstat, quoniam quod natum est morbum quempiam posse producere, id etiam natum est recidiuam per morbos facere, id edocuit nos in 3. de humor. „ t. 11. Hippocrates, inquiens, recidiuas quoq; tempora faciunt, sicuti & morbos faciunt: cui rei forsan respiciens in lib. d. dieb. decret. idem auctor intulit, malum esse, cum tempus ipsum simul cum morbo impugnat, nimirum cum tempus morbo in intemperie consimile impugnat, simul cum morbo aduersus ægrotum. quod si quis recte attendat, non repugnat Hippocratico scito in 2. aph. 34. decretato: quo in loco confert auctor morbum cum re naturali, quæ est hominis complexio, ętas, habitus, ragio: hic vero cum re præternaturali, scilicet cum aeris, iunge tu & hominis, excedente intemperamento. & ob id cum dixisset, nihil „ horrendum, neq; lethale fit in his, quæ secundum naturam sunt, „ subdit post allatam sententiam, plerumq; enim hominis natu- „ ra vniuersi potestatem non superat. vnde si morbus fuerit ex calidioribus, aer immodice calidus vires morbo addet, & pugnabit simul cum morbo contra hominem: si e contra, pugnabit simul cum ægroto contra morbum, quoniam pendet à contrarijs curatio. & vt, quod intendimus, maiori illustretur declaratione, ad particularia descendemus. tertiana etenim erit, cæteris paribus, minus grauis, ac breuis in æstate moderati caloris, quam feruente: sic & in iuuine frigidi, quam calidi & sicci admodum temperamenti: quoniam nec per moderatam æstatis, nec per re-

missam

missam hominis caliditatem poterit interim vel denuo post alia bilis gigni, quæ alioquin vel fouere, & elongare morbum, vel recidiuam facere valeat. Præter tertianas per statum hunc Hippocraticum vagatas, ardentes id testatissimum fecere: propterea enim quod originem traxerint à frigida & humida aeris qualitate, genitæq; eandem habuerint sui impugnatricem, leues & statæ fuere: ex ægris, prę ardentibus, inquit Hippocrates in tex. 16. 17 18. 19. hi minime laborauerunt, nec sanguis de naribus nisi paucis, & admodum paucus erupit: nec delirabant, & alia cuncta erant leuia. iudicabantur his plerisq; stato admodum ordine cum intermittentibus in septem, ac decem diebus: nullumque tunc febre ardente vidi mortuum, neque in phrenitim incidisse.

Circa quartanas, de quibus in tex. 21. dubitare pariter quispiam posset, quomodo locum habere potuerint per illam tempestatem, quæ humida & frigida extitit, cum humiditas refragetur caussæ humoris melancholici, qui quartanas putrens accendit febres. Dic, quod etsi qualitas humida contraria sit generationi humoris melancholici: attamen cum frigidum dominetur Cœlum, in quibus iecur siccum est, humor hic vult inter alios efflorescere: id quod experimur hiberno tempore in quartanarijs, quo tempore etiamsi frigido & humido generatur tamen in redundantia ater hic humor, qui deinde febris quartanæ fit alimentum. quod vsuuenisse ratio vult ijs, qui fuere per illum statum à quartanis correpti. nimirum quorum iecur siccum á naturali constitutione fuit, in his per frigidum cœlum eodem viscere insuper refrigerato, excitatæ ab initio quartanæ fuere: quibus vero ob antecedentem quampiam febrem iecur tostum fuit, his itidem iecore postmodum refrigerato, abscessus in quartanus sunt facti per textum. in vniuersum enim frigida iecoris morbosa intemperies, siccitati eiusdem visceris naturali, vel comparatæ associata, facit ad præternaturalis humoris melancholici generationem. hinc siccum iecur gestantes à quartana maxime corripiuntur: hinc autumno, qui frigidus & siccus, hic humor præsertim redundat: & propterea quartanæ hoc tempore excitari solent, experientia, & auctoritate in 2. de nat. hum. t. 22. testibus, siue à primo impetu, vt in quibus siccum viscus à natura est; siue in quibus per quandam æstiuam febrem est exsiccatam. vt idcirco adhęrere minime possim Galeno, qui in com. huius textus, quartanas illas exortas fuisse scribit, quod melancholicis naturis non vacuaretur atræ bilis affluentia: quoniam præter quam quod

atra bilis non soleat per extrariam superficiem expurgari, sequeretur hac ratione, quod omnes melancholici hieme à quartana corriperentur: quodq; quartanæ hieme inchoarent, vere absoluerentur. quin, simul innuit febres quartanas posse citra quodpiam internum vitium ortum habere. ac rursus tollit caussam lungitudinis illarum quartanarum, cum alioquin ex textu habeamus præter morem perdurauisse. atqui cessante tempestate, cessassent quoque per Galenum febres, non amplius prohibito humoris melancholici effluxu.

Succedunt quotidianæ, quas in tex. 22. per statum vagatas fuisse auctor scribit. circa quas illud primum vnumquemq; scire velim, non dependisse ab humore pituitoso, ac Galenus, & alij in com. sentiunt, cum febris enasci ex hoc humore legitimo minime posse, ob frigidissimam eius naturam, pro constantissimo habeam. quod optime intelligens vnus Hippocrates, nullam pituitosam febrem statuit, nullibi istius mentionem fecit, nusquam febrem à pituita admisit. nec puto quempiam quamuis in medicina consummatissimum, febrem ab vna pituita pendentem, vnquam obseruasse. quotidiana enim febris est billosi humoris non minus propria, quam tertiana, eodem teste in 2. de nat. hum. t. 23. Quas autem Galenus, cæteriq; omnes scriptores adstruunt, commentitius esse censeo, pluribus adductus rationibus, quas in medium afferre non est huius loci. erant igitur febres illę ab humore bilioso productæ siue ex orta tali, siue sub alia natura genito, ac postmodum ob moram in corpore tractam, biliosam nacto naturam. quiuis enim humor pręter pituitosum, saltem immediate, natus est sortiri in humano corpore biliosam naturam, quando & ipsa aqua quadantenus bilescat, tum quidem in alijs, tum maxime in biliosis temperaturis, ac febricitantibus, sic ratione & experientia, sic Hippocratica & Galenica auctoritate dictantibus. hic igitur humor in multis multus congestus, atq; à putredine captus quotidianum effecit typum.

Cuius typi caussam vt recte percipiamus, etsi hęc res alibi sit ex professo tractanda, in studiosorum tamen gratiam de typis hic paucis sermonem absoluemus. est typus non aliud, quam illa ordinata accessionum, vel intensionum, & remissionum reuersio in consimili tempore: singulo nimirum, aut tertio, aut quarto quoq; die facta. vt iam intelligamus typum, intermittentium febrium proprium esse, ac peculiarem.

Vt huius specificæ reuersionis, & mutuæ accessionum respondentiæ caussam assequamur, cognoscendum prius est, quę, quotq; ad se-

ad febrilem accessionem efficiendam concurrant: ex his enim illud eliciemus, per quod typus suboritur. Sunt hęc quinque, humor: locus, à quo hic transmittitur: locus, ad quem amandatur: tempus, quo, cum missus est, ad accensionem, seu putredinem disponitur: & tempus, quo in putredine perdurat.

Humor semper est pręternaturalis ex genere & natura huius, vel illius bilis. locus, à quo, sunt venę centricę maiores; in his enim humores præternaturales vt plurimum generantur, colliguntur, secernuntur. Quæ secretio sensim, & tempore fit, & resultat ex membrorum attractione, quæ pro sui alimento ab his vasis sanguinem probum, ac sibi cognatum attrahunt, & quod inest pręternaturale respuunt, repudiant. Secretos per repudium humores, si crassities eorum, aut obstructio, aut aliud non impediat, natura certo quodam tempore à se propellit, & transmittit, vel ad venas carnis corporis circumferentię, quod vt plurimum contingit (& hic est locus ad quem, & focus febris dicitur) vel ad venas cuiuspiam determinati membri, ad hunc scilicet, vel illum locum, modo etiam ad plura, pro vt magis sibi commodum, aut quo sibi datum fuerit transmittere, ac pro vt minus, aut magis redundarint humores. non quod natura ad hæc loca ex voluntate mittat, quæ vellet extra emunctoria mittere: sed quod nequeuntes, ob crassitiem, qualis ea sit, extra venas effundi, in his remaneant humores: sicuti autem secretio cuiuspiam humoris paulatim, ac sensim fit; ita paulatim, ac sensim ad locum secretus mittitur humor. vbi transmissus est, non statim putrescit, alioquin si, pro vt successiue mittitur, successiue putresceret, continuam efficeret febrem: sed prius disponitur (quod tertio quæritur) quæ dispositio consistit in quadam humoris excalefactione, rarefactione, ac inde caloris eiusdem proprij, ac naturalis corruptione, quæ putredinem importat. tempus, quo in putredine, consumptione, combustioneue humor perdurat, varium est, pro varietate substantiæ ac qualitatis, nec non copiæ eiusdem: tenuis substantia, caliditas, atq; humoris paucitas faciunt ad breuitatem paroxismorum: crassities, frigiditas, copia ad productionem.

His sic se habentibus, videndum iam, quale ex his sit, per quod accessio singulo, aut tertio, aut quarto quoq; die ordinate reuertatur. & quidem humor solus non est huius ordinatę reuersionis caussa: biliosus enim etsi ad typum tertianum efformandum natus videatur, non minus tamen efformat & quotidianum, quandoque & quartanum. non etiam locus, à quo humor primum amouetur; idem enim in melancholico, ac bilioso humore est. rursus

nec locus ad quem, saltem solus: alioquin humores, qui tertianam, & quartanam febrem efficiunt, cum vt plurimum in venis carnis totius ambitus corporis transmissi putrescant; vel vnam tertianam, vel vnam quartanam semper efficerent. erit igitur typi caussa vel tempus, quo humor ad focum transmissus dispositionem ad putrescendum aquirit; vel tempus, quo in putredine perdurat; sed hoc nec est; nec potest esse; quoniam est tempus typi consequutiuum. Superest igitur, vt tempori, quo humor dispositionem ad sui accensionem, ad putrescendumue aquirit, caussa typi sit ascribenda: quatenus scilicet tot temporis spatium hic, vel ille humor ad focum transmissus exposcit, vt disponatur ad sui accensionem. verum hoc statum dispositionis tempus cum pendeat tum quidem à qualitate humoris, tum & à qualitate foci, iam intelligimus effectricem certi, atque ordinati typi caussam vtramque hanc insimul qualitatem statuendam. etenim quanto vterque natura fuerit calidior, tanto accessiones quoque erunt crebriores: & è contra: quæ etenim calidiora, sunt etiam ad accensionem magis parata. & lacus pariter calidus sollicitat locatum ad accensionem citius subeundam.

Flaua bilis, illius est naturæ, qua ad venas totius ambitus transmissa, tertio quoq; die accessiones facit: nimirum vbi finita prior est, statim ad focum mittitur alia bilis, quæ nempe prius separationem à sanguine sortitur, prius etiam mittitur: ac sic successiue pro vt in vasis magnis secernitur, ad focum, sedemuè delegatam amandatur, donec dispositione, atq; accensione in se accepta facit febrem. vnde quadraginta horarum spatium circiter exigi in hac dispositione comperio. Supposito enim quod prior accessio finiuerit hora prima noctis diei mercurij, & subsequens incipiat hora decima quinta diei veneris: & rursus, concesso ipsi paroxismo duodecim horarum spatio, altera incipiat successiua accessio hora decima sexta, vel septima diei dominici, erit sic quadraginta horarum spatium, circiter, in dispositione exactum: ita tamen quod tempus hoc dispositionis attendatur penes bilem, quæ in primis missa ad focum fuit: quoniam quæ postremo mittitur à flammis bilis in primis missæ, atq; accensæ valde sollicitata, accensionem ante statum dispositionis tempus admittit. hunc typum facit bilis, cum in foco remisse calido putrescere contingit. si calidiorem sortita fuerit, adeo tamen vt non febris continuitatem, sed intermittentiam facere sit natus, contracta breuiori tempore dispositione, typum faciet non duplicis tertianæ, sed quotidianæ: & cum hæc, tum illa postponit,

vel

vel anticipat, pro vt extiterint caussæ dispositiuæ remissiores, aut intensiores: adeo vt quandoq; ille idem focus, qui natus est ad quotidianam intermittentiam, continuitatis ius comparet, si quidem humor præter morem calidus fuerit, conspirarintq; ægri natura, tempus anni, & victus ratio. si focus calidior paulo extiterit, continuæ periodicæ locum habent. continentes cum in grandioribus vasis, amplioribusq; truncis, aut ramis putrescunt humores, ideo quod præ grandi crassitie, atq; impermixtione, aut validis obstructionibus nequeant à loco amoueri, trudi, atq; elongari, vel per parum. vt iam pateat tertianum typum non esse flauæ bilis magis proprium, ac peculiarem, quam quotidianum. verumtamen tertianus videtur peculiaris, quoniam sæpius contingit, vt natura ad locum distantem transmittat, quam proximum. si tamen substantiæ peccantis humoris qualitas consentiat.

Melancholia vt frigida tardius, dispositionem accipiens, non prius quam quarto quoq; die accenditur: cum bilis flaua, eodem foco dato, typum efficiat tertianum. eadem si calidiorem sortiretur focum, citius disposita ante quartum accessiones faceret: sed vsuuenire hoc non consueuit, quoniam in quartanarijs, vt multo ichore diluta, facile ad hunc, vel illum remotum locum amandatur.

Sed hic habenda est complexionis patientis, nec non anni temporis ratio. etenim fuit à me non semel obseruatum, febrem ex humore bilioso pendentem typo incessisse quartano: qui humor insinuabatur mihi ab æstiuo tempore, à qualitate, ac perduratione paroxismorum, ab excretis biliosis, & breuitate iudicationis, coadæquatæ iudicationibus vagantium febrium tertianarum. hinc puto hac de caussa quartanas æstiuas ab Hippocrate in 2. aph. 25. breues fuisse constitutas. Hunc typum, cum ratione complexionis fieri contingit, obseruare tibi licebit in homine carnoso, parui pulsus, ac parui subinde caloris, qui cum carnosum genus viuide irradiare, atque excalefacere nequeat, lente bilem inibi amandatam ad putredinem excitat. cui manum quoq; porrigit eadem non omnino ex ratione calida.

Tempus quoq; anni ad alterandum, nec non mutandum typum magnam vim habet: quod hinc arguere certo licet, quoniam ex æstiuis tertianis protractis, quędam autumno leniter, sensimue in quartanas transeunt. sensim inquam, quoniam ex tertiana non statim fit quartana, sed interim typus quidam insurgit erraticus; ideo quod propter temporis inæqualitatem, ac frigiditatem corporis circumferentia, ad quam, cuiusue venas excrementitij

humores solent amandari, aliqualem contrahit refrigerationem: & bilis, quæ gignitur excrementitia degenerat à germana sua natura; quandoquidem iecur, etsi secundum ipsius centrum, ventremue Hippocraticum calidius fiat; attamen secundum extrariam superficiem, ab aeris, qui sibi est circumfluus, frigiditate quadantenus refrigeratur, vt nequeat illam ex æquo calidam, tenuem, & coloratam reddere; vt hinc necesse sit, & ratione foci, & ratione humoris typum interim confundi, & febrem produci erraticam, quousq, ab ambientis aeris frigiditate corporis, iecorisque circumferentia ad typum quartanum generandum fuerit immutata. Quo tempore etsi excrementum, quod propter iecoris intemperantiam gignitur, atræ bilis nomen fuerit adeptum, tu tamen id ipsum velim tecum cogites, esse non tale simpliciter, sed & atræ, & flauæ bilis naturam alias quidem istius magis, alias vero illius pro intemperiei visceris varietate, sapere. hinc quartanæ quædam mordacis caloris, ferinæque: hinc aliæ, quæ, cum vehementi accedant frigiditate, minimum tamen calorificæ sunt. hac, de quo sermo est optime intelligens Hippocrates, qui in corporibus humanis diuersatus fuisse videtur, in 2. de nat. hum. t. 22. quartanam febrem flauæ bilis participem esse statuit. id ipsum testantur recrementa, quæ à quartanarijs euacuari solent, biliosa.

Quemadmodum vero mutatio temporis ex calido in frigidum caussa est, ob quam ex typo tertiano fit transitus in quartanum: ita mutatio temporis ex frigido in calidum contrarium quandoq; natura humoris mutata operatur. etenim nonnumquam post quartanam ad æstatem productam, subsequuta postmodum est tertiana; quod ijs tantumodo vsuuenire ratio vult, qui iecore adusto, à quo bilis quædam malefica, à natura sunt donati. id, quod olim obseruaui maxime in Reuerendo quodam Vrcearum Nouarum Archipresbytero, qui & in quarto tertianæ febris paroxismo est sublatus, non profecto præ febris violentia, hæc enim erat omnimode intermittens, sed præ cardialgiaca passione, quæ in principio accessionum de more superueniebat, cuncta spernens præsidia. talis enim humor atrabilari substantia, & biliosa natura præditus, valde noxius existit. Quo simul intelligimus febris quartanæ primariam caussam, non esse ex Galeno lienem, sed iecur sicca frigidaque intemperie detentum, ob quam sanguinem gignit, qui plurimam à se relinquit melancholicam superfluitatem, multo vt plurimum ichore associatam: quæ intemperies cum superaccedente vere, ob solis ad nos accessum remitti, & aduenienete æstate

tolli

tolli soleat, fit maiori ex parte, vt quartanæ febres vere remittantur, æstate soluantur. maiori inquam ex parte, quoniam in quibusdam solet febris perseuerare quando æstatem contingit esse siccum, vel parum calidam: quod ijs duntaxat accidit, qui à natura iecur siccum gestant.

Ex his quæ hactenus de typorum caussa dicta sunt, non erit admodum difficile & quintani, & septimani, & nonani typi, quos 3. in 1. proponit nobis Hippocrates caussam adinuenire; si tamen horum typorum caussam non quempiam humorem vltra melancholicum, frigidum, sed foci, sedisue culpemus qualitatem. quamuis per subtractionem quoq; cuiuspiam partis morbificæ materiæ typum hisce similem effici quandoque contingit, sed minime perdurabilem. cuius rei habeo casum. etenim cum nobilis quædam mulier quartana laboraret erratica: tandem per nouem accessiones singulo quoq; duntaxat sabbato febricitauit, quod vsuuenit, ideo quod interim pro quartana accessio fieri debebat, melancholicæ superfluitatis pars in vterum, quo tunc temporis gestabat, conflueret. effectus hoc comprobauit, quoniam vbi infantem iam partem lactauit, liberata est febre, & infans quartana correptus.

Sed citra istiusmodi casum, sentio septimanam, aut nonanam febrem propterea fieri, quod putrescat in quopiam inani spatio exuperans excrementum ibi demissum. sunt enim inania spacia frigida, vt quæ de aere multum in se includant. in hæc igitur quispiam ex genere huius, vel illius bilis humor ordinate effusus, & ad accensionem ordinate dispositus, ordinatum quempiam ex his duobus, alias quidem hunc, alias vero illum pro humoris differentia statuet typum. vt ob id sint huiusmodi febres ex Hippocrate 3. in 1. t. 7. non lethales, sed lungæ; non lethales, ob intermittentiam: lungæ, quoniam sequuntur. semper indispositionem determinati cuiuspiam membri, quæ cum non soleat tolli nisi difficulter, & vt plurimum mutatione temporis, fit vt affectio in lungum producatur; qualiter vsuuenit quartanæ propter intemperiem hepatis siccam, & frigidam, quæ autumno contracta, æstate duntaxat finire solet.

Sed quod obscurissimum, difficillimumq; captu est, quodque Galenus non ausus est tentare, est, quomodo quintana febris sit omnium pessima: quando & ante tabem, & iam tabidis superueniens occidat, per loc. cit. tom. 9. Circa quod, dum aliquandiu animum applicuissem, subeluceſſit via, per quam videtur mihi istius problematis caussæ posse in cognitionem deueniri. Etenim

cum

cum auctor subinferat febrem hanc subtabidorum, ac tabidorum propriam, ac peculiarem: & cum vtraq; ratione secundum pulmonem tabidi patiantur, intelligimus iam, viscus hoc secundum circumferentialia eius vasa febris quintanæ esse focum; cum alioquin si materiam quampiam calidam in internis eius partibus putrescere contingat, continua sine typo efficitur febris; ideo quod ex propria est natura calidum, vt elegantissimus Laurentius Venuste probat de anatom. hist. lib. 9. cap. 12. Frigidum vero secundum circumferentiam ratione vsus, ac situs: est enim in inani spatio locatum, in quo de aere inalterato plurimum semper inest: quo fit, vt peculiaris euadat quintanæ febris focus: cum nimirum ad illud ordinate confluit, aut mittitur, & eodem ordine quinto quoq; die putrescit missa superfluitas: vnde febris oritur, quæ modo ante tabem, nempe antequam in facto esse sit, aut saltem cum iam inceptura est, modo superueniens tabidis, occidit. ex quo deducimus febrem quintanam iuxta Hippocraticum decretum esse pessimam: non quidem ratione acutici, sed foci, vt qui sit cordi proximus; ob quod de facili, liberaliterq; putres eidem suppeditantur vapores, qui calorem eius quodamodo deprauantes, fœdantesque spiritum vitalem, extremam tandem inferunt languenti ruinam. At quomodo dices, potest esse lethalis, si alibi intermittentem febrem periculo vacare scripsit? Lethalis inquam est, & dicitur, quoniam etsi febris fortasse intermittit, non tamen cordis offensa vnquam intermittit; propterea quod putres vapores, à parata materia subsequentem accessionem futura, cor prius excipiat, quam vapores antecedentis exacte discusserit; sic vicinitate, ac qualitate foci, sic putrentis materiæ motu ferentibus: vt idcirco statuenda veniat continua; nihil obstans, quod eam vocet quintanam, quoniam potest quinto quoque die accedere, aut exacerbari, & esse continua: quemadmodum & nocturna, quam etsi loco cit. tex. 6. ex nomendatura videatur auctor insinuare intermittentem esse, vt quæ noctu inuadens, interdiu intermittat: continuam tamen esse aperte significat, dum inquit, nocturna non admodum lethalis. sit igitur, vt cordi sit maxime infensa; verum quantum ex se est parua in toto, ac mitis. hinc vero quod lente putredinem subeat effectrix eius materia, fit vt sine rigore, cui perexiguus visceris sensus consentit, leniterque incipiat, lungissimiq; sint eius paroxismi, continuitatem saltem per subintrantiam efficientes. & hisce de caussis factum est, vt hæc febris ęgrotis, vt parum molesta, numquam fuerit à medicis obseruata, maxime cum soliti minime

fuerint

fuerint vltra typum quartanum obſeruare, putantes has febres ab Hippocrate propoſitas, eſſe imaginarias: verum occulatiſſimus, atq; æternæ veritatis ſenex, qui minima quæq; in morbis, ac per morbos obſeruabat, non temere has propoſuiſſe febres mihi ipſi perſuadeo. ex quo colligo lunge plus vnum Hippocratem obſeruaſſe, quam omnes ſimul, qui ab Hippocrate ad hoc vſq; tempus extiterunt Medici.

Sed vt, vnde ſermo eſt digreſſus, reuertamur, quotidianæ febres, quas Hippocrates in tex. 22. per tempeſtatem illam vagatas fuiſſe ſcribit, non pendebant à pituita, ſed à bilioſo humore, vel bili proportionato, illoq; in foco ſufficienter calido, vel in duobus remiſſe calidis putreſcente. etenim ſi à magnis vaſis ad venas carnis circumferentiæ corporis de bile excrementitia altera die amandetur: altera ad venas ventriculi, aut aliam ſedem, tertiano typo congruam, tum ex totius ambitus venis altera, tum altera ex determinato membro febres inſurget: atq; hæc pridie, illa poſtridie inuadens typum inſimul efficient quotidianum, æque ac ſi materia ad vnum focum calidiorem tranſmiſſa, ſingulo quoque die putreſceret. ſed ſicuti quæ vnum agnoſcit focum, vere quotidiana eſt, ita quæ duos, dupplicem tertianam ſatius vocabimus.

Si quis ſcire cupiat, penderent ne quotidianæ illæ ab vno, an duobus focis. dico par eſſe, vt à duobus: quoniam natura cum à maxima redundantia grauatur, vt in noſtro caſu, non ad vnum, ſed, vt maxime ſollicita, ad plura amandat loca. videtur Hippocrates hoc inſinuare, cum in 2. de nat. hum. t. 22. tertianæ pauciorem, quotidianæ copioſiorem bilem aſſignat.

Febrem ex vno foco pendentem cognoſces cum ex alijs, tum maxime ex febrili calore, atque accidentibus ſibi ipſis natura ſemper conſimilibus; & in ſtatu quandoq; non venit ad infebricitationem. cuius vero duo ſunt foci, inter alia, acceſſiones habet de tertio in tertium ſibimet reſpondentes: alteraque acceſſio ad alteram comparata euariare in calore, atque accidentibus ſolet. & hæc pauca quæ ex multis de typis dici poſſunt, nunc obiter dicta ſufficiant.

Supereſt tandem, vt ſemitertianarum, quos auctor vagatas eſſe ſcribit, & earum nobis formam in tex. 25. delineat, germanam cauſſam textum exponendo commonſtremus: ex quo puto innoteſcet Galenum in primis, ac inde ſcriptores omnes non bene ſenſiſſe circa earum generatricem cauſſam. quandoquidem idem auctor in 2. de diff. feb. cau. 7. 3. in 1. tex. com. 5, & alibi paſſim

ſemi-

ſemitertianam febrem ſicuti compoſitam, ita duos natura inter ſe prorſus differentes humores pituitoſum, ac bilioſum, vt propriam cauſſam ſibi determinaue docet: vt ſcilicet ex hoc vel illo continua, ex altero intermittens, vel ex vtroque continua innaſcatur febris, à qua hemitritæus, ſeu ſemitertiana efformetur.

Sed cum repugnat ratio, quod duo contrariarum inter ſe qualitatum in venis vno tempore generentur, ſeorſim conſiſtant, ac putreſcant ſucci, pituitam quoque ad eſformandas ſemitertianas Hippocraticas minime concurrere ſentio.

Poſſem pro primo multas afferre in contrarium rationes; ac ſimul oſtendere vnam per Galenum ſimplicem ſequuturam febrē, placito eius dato: vel ſi duas, non vno illos, ſed diuerſo tempore ægrum afflicturas: quo etiam modo febrii minime efficeretur complicata; ſed breuitatis gratia his omnibus omiſſis, vni illi inſiſtam, qui dum 1. in 1. tex. com. 23. & 2. in 1. t. com. 25. cauſſam in medium affert illarum vagantium ſemitertianarum, hos duos qualitatum diuerſarum humores ſub eadem conſtitutione, atque in vnis venis genitos conſiderat. certum eſt enim, quod ſicuti hæ febres originem ab aere hoc, vel illo modo alterato traxerunt, ita earum proximam & immediatam cauſſam ſuccos iſtos ortum per Galenum habuiſſe ratio vult, & propterea hos, vt vno & eodem tempore genitos ſe conſideraſſe dare inſinuat. et ſi ſic, quomodo fieri poteſt, vt ex vna, & eadem aeris affectione duo tota natura inter ſe differentes in venis gignantur humores? quod cum ſit à ratione alieniſſimum, ſequeretur quoque quod naturalia membra prius eſſent ad hoſce generandos, duas inter ſe diuerſas diſpoſitiones ab eadem aeris affectione adeptura. Cum etiam ratio minime conſentiat, vt ſub duobus ſtatibus, auſtrino & cum ſqualloribus altero 1. in 1. in ordine primo, altero humido frigido & aquilonio, ſecunda in 1. in ordine ſecundo, ferme ex toto contrarijs, duo hæc æque excrementa ſemitertianarum cauſſa fuerint producta. igitur ſi & per tertium in ordine ſtatum 2. in 1. & per auſtrinum plurium 3. in 3. ſemitertianæ eſſent vagatæ, eoſdem ſemper per Galenum aſſumpſiſſent humores, ijdemq; ſemper geniti fuiſſent. ſed hæc doctrina videtur mihi minime redolere decorem tanti viri.

Ideo igitur quod humorum pluralitas, ac diuerſitas in generatione ſemitertianæ ſuſpecta ſit, pituitam quoq; ad ſemitertianarum Hippocraticarum fabricam inualidam eſſe comperio. Non hic ſummo ad demonſtrandum à ſincera pituita, nec vlla

aeri

acri prædita qualitate nullam oriri posse febrem; vt cum ratione pro certo mihi ipsi persuadeo; sed dato minime tamen concesso, quod à pituita quæpiam enasci possit febris, hanc adeo leuem, ac paruam futuram esse ratio vult, vt vel minime, vel minimum ab homine perciperetur. & si sic haud quaquam responderent Galenicæ semitertianæ Hippocraticis: namque si attendas, quas enarrat locis superius citatis, profectò inuenies istas nullatenus pituitosum humorem redolere, sed vndequaque caliditatem, magnitudinem, acutiem, ac vehementiam expirare: ad quod nobis significandum exclamauit senex 3. in 1. tex. 5. in febre quam semitertianam vocant cum morbi eueniunt acuti, tum pre cæteris hæc est maxime lethalis. quam autem magnitudinem, quam vehementiam, quam acutiem expectabimus ab humore, qui ad instar aquæ non solum potentia, sed etiam actu frigidus existit? qui ab Hippocrate frigidissimus in 1. de nat. hum. t. 32. statuitur?

Quin immo, si redundare frigidum humorem cum calido, & sicco simul contingeret, vtiq, & ex parte biliosæ febris semitertiana Galenica esset mitis, ac blanda, castigata bilis caliditate atque acrimonia: necnon solidis membris à frigescente pituita refrigeratis, ac contemperatis: sicuti enim bilis eo calidior, ac mordacior est, quo sincerior; ita si obiectum habeat qualitatibus proprijs contrarium, placidior, ac contemperatior efficitur: est enim tale obiectum febri infestissimum vt habetur in 4. de mor.

Videtur quoq; natura infestanti cuipiam humori qualitatis contrariæ alterum opponere, vt inde quædam contemperatio, ac quædam veluti coctio insurgat: quod significare nos voluit idem auctor, quando in lib. de vet. med. concoctionem ex permixtione temperaturaq; mutua, & quasi coactura fieri scriptis mandauit. pro cuius rei comprobatione laudat in prognosticis vomitum ex bile & pituita, & sputum flauo quam maxime permixtum 2. prog. t. 38. & 44. vt si hæc contemperatio in thorace ac ventriculo locum habet, in venis quoq; locum habere concedendum: & propterea concessa bilis, ac pituitæ permixtione, & mutua contemperatura, febrem inde excitatam non acutam ac mordacem, sed lentam & placidam futurum, ratio insinuat.

Quapropter cum semitertianæ Hippocraticæ humorum respuant pluralitatem, pituitamq; penitus repudient, reiciant, abdicent, statuendum venit, febres hasce ab vno semper humore bilioso, aut bili proportionato, sed eodem plurimo, excitari. Si igitur vnus is opus totum quambelle perficii, ac perficere po-

tens est, ad quid plures exquirere? ad quid multiplicare sine necessitate humores? sed textum iam exponamus, quo simul caussam semitertiani modi ostendemus.

Continuæ, inquit, febres omnino numquam intermittebantur, sed inuadebant omnes more febris naturam tertianæ referentis: & vno die aliquantulum remittebantur, altero ingrauescebant. omnium erant, quæ in id tempus inciderunt violentissimæ, lungissimæ, laboriosissi: lenes à primo de cætero in totum semper increscentes: ac decretorijs diebus accedebant, & peiores inuadebant; aliquantulum remittebantur, citoq; rursus ex intermissione incessebant: diebusque decretorijs multo deteriores reddebantur. rigores autem omnibus inordinate & erratice fiebant, paucissimique his, ac minimi. in alijs vero febribus maiores. Ad quarum febrium, atq; accidentium caussam recte percipiendam, reminisci in primis oportet, illos fuisse ab istis febribus correptos, in quibus natiuo calido à tempestate non mediocriter læso plurima excrementa fuere genita, eaq; à cunctatione biliosam naturam mutuata. Hæc igitur cum sensim secreta non possent tota ad remotas sedes transmittit, quin in interioribus vasis ob copiam, ac partialem crassitiem aliaue de caussa pars relinqueretur, factum est, vt non simplex, sed composita efficeretur febris; ex continua, atque tertiana. Etenim ex portione excrementi biliosi in penitioribus vasis putrescent febris (continua) est suborta. ex portione ad vascula circumferentiæ transmissa, tertiana est facta. atque hac ratione hæ febres (continuæ erant, & morem, speciemq; tertianæ febris referebant) hinc igitur quo die sola continua affligebat (aliquantulum remittebantur) quo vero intermittens simul inuadebat (ingrauescebant.) erant hæ febres (violentissimæ) idest vehementissimæ ratione magnitudinis intensiuæ, copiam, ac qualitatem materiæ confectantis (laboriosissimæ) quoniam fiebant in corporibus à constitutione, præsertim secundum genus carnosum, extemperatis, atq; infirmis (lungissimæ) quoniam interim alia generabatur materia, ob membrorum discrasiam, quæ à febre successiue quoque intensior fiebat. vnde non mirum si cum (lenes à primo de cætero in totum increscerent) quoniam membrorum intemperantia à febrili calore grandiori facta, eademque de caussa superfluitas cumulatiori, atq; calidiori in dies, acrioriq; reddita, non poterat, quin successiue prauior fieret affectio (ac inde cito ex remissione rursus febris violentius insurgeret) quæ maior prauitas (diebus decretorijs) successiue magis elucescebat, quod his diebus & composita effice-

efficeretur febris; & ambitus totius carnes, focus intermittentis, iam lunge extemperatæ, laboriosiorem in dies persentirent molestiam. nil autem refert hic decretorijs an imparibus diebus dicas, quoniam in quibus maiores contingunt afflictiones, decerni de ægro solet. in imperibus autem maior erat afflictio. (Rigores his fiebant paucissimi, minimique) siue quod calor putrescentium continenter humorum, putrescentiumque humiditatum per carnes dispersarum in defectum esset naturalis caloris, quo tempore se in viscera cogebat: siue quod solida per statum valde humecta acrimoniam, ac vellicationem, per quam alioquin calor ad interna confugit, non persentirent.

Hisce sunt affimiles semitertianæ illæ, quæ in quibusdam quandoque calidi & sicci temperamenti, æstiuo tempore, præsertim sub æstu non mediocriter exercitatis accenduntur. in his enim, cum hac de caussa excrementum biliosum, sincerum, ac crassum in redundantia aggregari contingit, tandem putrescens semitertianam excitat febrem. namq; ex portione crassa in internis venis retenta, ac putrescente continua; ex tenuuiori ad partes distantes amandata intermittens febris suboritur, ex quibus insimul composita efficitur febris, maxime adiurens, ac valde lethalis: quoniam non prius tantæ flauæ bilis copia consummi per putredinem potest, quam languens intereat. quando etiam cuncta ad vnam intemperiem, eamq; extremam vergentia, reuocare in contrarium nec naturæ, nec artis sit. De hisce febribus loquutus mihi videtur Hippocrates cum in 4. aph. 43. dixit, febres quæcumq; non intermittentes per tertiam fortiores fiunt, magis periculosæ: nempe magis periculosæ alijs ardentibus, continentibusq; febribus: si enim hæ valde periculosæ sunt, sane quæ per tertiam fortiores fiunt periculosissimæ. Sed per illud (fortiores) non est intelligenda, vt quidam, illa typica accessio tertianæ continuæ, quę tertio quoque die magis elucet, & ad vigorem vsque successiue per tertiam fit fortior, à quo postmodum decrescit, cum sit huiusmodi febris inter periodicas connumeranda, & lunge minus ipsa ardente, continenteq; periculosa. sed intelligenda est quędam febris ingrauescentia, quę de tertio in tertium fit successiue maior, non ad terminum, à quo postmodum diminuitur, vt cum res ad salutem tendit: sed ad terminum declinantium, ac iam emorientium virium. & idcirco non sunt audiendi, qui putant tertianam continuam esse eandem cum causone: cum causon continentissime, ac sine vlla periodicatione corpus exurat: tertiana continua prę-

terquam quod exurit minus, periodos quoque habet; certissime testantes flauam bilem moueri & paululum à penitioribus vasis elongari. In casu igitur nostro] preter continuam cum intermittente, quandoq; continens cum periodica continua complicatur, quibus si adiungatur tertiana], febris insurgit ex tribus composita febribus quemadmodum si cum continua duæ complicarentur tertianæ; quę omnes iuxta Hippocraticam doctrinam sunt admodum lethales.

Differunt iam modo constitutę semitertianę à vulgaribus 1. in 1, t. 23. & 2. in 1. tex. 25. quod istę lungę sint, & minus mordaces; & quemcumque, & quocumque tempore inuadere natę: illę cum acutiores, atque ardentiores sint, ob exquisitam, à qua pendent bilem, in calidis etiam & siccis hominibus, & ęstiuo duntaxat tempore efficiuntur. vnde cum tibi talis homo ęstate curandus offertur, non aberrabis si ab ipso primum aspectu, qui subhippocraticus est, à semitertiana detineri febre pronuntiaueris.

Cœterum pręter morbos recensitos, vagatę sunt etiam per Hippocraticam tempestatem hippitudines dolorificę humidę, inconcoctę, & difficilis iudicij per tex. 6. Quandoquidem fieri prope minime potuit, quin oculi lungo tempore ab aere frigido, humido, & aquilonali verberati, e propria dimouerentur temperie: ac successiue per excrementa tum in se genita, tum à cerebro sibi infirmis transmissa, inibiq; putrescentia, tam laboriosa, ac difficili afficerentur hippitudine.

Sub hac inclementi constitutione continere se, quo ad fieri potest, domi; & igni, qui tantam aeris intemperiem solus est corrigere natus, accumbere: interimque se exercitationibus sudorificis dare, conducibilissimum est. Aegrotantibus magno præsertim morbo hominibus, calidus pariter, ac siccus est aer procurandus, & horum colluuies excrementorum sudorificis, ac per alia communia emunctoria euacuantibus sensim tollenda. cętera pro ratione adimplenda.

De

De Austrina, & Aquilonia simul Constitutione: & quas inferat Affectiones. Vbi Hippocratici quidam Textus ad huc indiscussi, Plani efficiuntur.

Cap. VII.

EST hæc ex duabus inter se contrarijs composita constitutio; altera austrina, quæ est calida & humida: altera aquilonia, quæ frigida, & sicca est: quam nimirum statuit auster, & aquilo, cum mutuo & derepente sibi succedere, & dominari, atq; ex æquo imperium in aere obtinere contingit. ita tamen conijciendum hoc est, vt ex hisce contrarijs potentijs non vna castigata, ac contemperata in aere coalescat: sed aer fiat modo austrinus, modo aquilonius: cum verisimile sit, vt concesso horam per annum dominio alias magis hic, alias ille magis perflet ac dominetur: vel quo interim alter spirat, sileat alter; & sic aerem successiue ad sui naturam vterq; conuertat. quomodocumque hoc vsuueniat, vbi hos insignes ac validos inter omnes ventos legitima, & non adulterata eorum natura, mutuo præualere per annum contigerit, subiectorum animantium calidum non mediocrem feret iniuriam. etenim auster vt calidus, & humidus solida Hippocratice dissoluit, & humectat, simulque, & semel calidum rarefacit, & quod in ventribus, seu solidorum meditalio (ita enim ventres interpretandi veniunt, & non alia ratione apud Hippocratem in 1. aph. 12.) primariam sedem, peculiare habet domicilium, ad illorum quodamodo auocat circumferentiam. cui derepente succedens aquilo idem calidum, in facie membrorum veluti consedens, percutit, atque eiusdem sedes ob austrum hiantes occupat, refrigeratque, ac sic successiue, vt fieri nequat, quin per mutuam, atque extremam hanc mutationem refrangatur, deprauetur, ac partialem ferat extinctionem.

Huic mutuæ, ac repentinæ caloris, atque frigoris successioni respiciens idem auctor in 3. aph. 5. sanciuit autumnum tabidis esse malum; quoniam hoc tempore. quod frigidum mane, & sero, meridie calidum est, hæ inter se contrariæ qualitates, mutuo sibi

fibi fuccedentes, tabidorum calidum, alia quoque ratione paucum ac debile, valde oblędunt: ac tanto magis, quanto eorum carnes ob colliquationem porofiores exiftentes aeri autumnali fiunt ampliora conceptacula: conftat autem in maiori cauffa maiorem reperiri potentiam; vt propterea vel ex toto extinguatur, vel iacturam vlterius eftatu dignam contrahat. Ratum fit igitur complicatam hanc conftitutionem effe calido animantium innato maxime nocuam, & eorum præfertim, quorum natura præ frigido temperamento, aut rara textura, aliaue fimili de cauffa ad tabem nergit.

Confiftit hęc noxa non folum in quadam eiufdem calidæ fubftantiæ partiali extinctione, fed etiam in quadam deprauatione, quam quædam habitualis folidorum difcrafia, ac languor, ob auftrinam præfertim maleficentiam contractus inducit: vnde ficuti partialis extinctio tabem, ita deprauatio quoddam importat excrementorum aggregatum. illius eft ratio, quod, quæ folida, quæue partes calido funt fraudatæ, alimento pariter fraudantur, vnde exficcatæ ac tabefactæ remanent; huius vero, quod alimentum attractum male conficiunt, atque hinc maximus ab eorum alimonia fuperfluitatum prouentus, quæ à mora biliofam naturam adeptæ, ac tandem putrefcentes febrem gignunt, ex continua atque intermittente complicatam, quo modo in fuperiori capite fuit abunde explicatum. Fieri enim prope nequit, quin habeat huiufmodi febris locum, vbi copia adeft, & eorum quadantenus difformium, excrementorum, quæ vt plurimum folidorum dicrafiam, atque languorem, vt in noftro cafu confequitur. vnde fi definire magis fpecifice de complicati huius ftatus morbis volumus, dicendum eft, non alium prope vulgandum effe morbum, quam tabem, cum femitertiana febre affociatam: vt propterea ex febre ifta tabidos, & à lungis morbis detentos iure maximo 3. in 2. t. 5. emori dixerit Hippocrates.

Extat hic ftatus apud eundem 1. in 1. in ordine primus, auftrinus, & cum fqualoribus infcriptus, qui vt videre eft, totus ferme fuit tabificus, ac fubtabificus, febrem habens comitem femitertianam. Subtabificum liceat mihi appellare, illorum ratione, qui cum leuem offenfam in proprio calido fint paffi, leuiter quoque laborauere, forfan quod, vt minus parati, non potuere tantam pati iniuriam, vt in tabem factam, & laboriofas febres, in quas tabidi, inciderent: & propterea in tex. 35. dum de hifce loquitur Hippocrates, in fumma, inquit, qui tabefcebant leuiufcule, ægrotabant non more tabefcentium, vbi aduerte quod illud

illud (leuiuſcule) non iniungendum eſt cum verbo (ægrotabant) vt Galenus, ſed cum verbo (tabeſcebant) & de his loquitur à tex. 32. vſque ad finem. quibus ſic ſtantibus magna quædam difficultas tollitur, quæ apud Galenum videtur ineſſe in tex. 35. adeo vt implicitus dubitet, mendum aliquod in ſcriptura ſubeſſe. poſtquam enim auctor de tabidis factis, ac conſummatis loquutus eſt, quod fecit vſque ad textum 31. poſtmodum loquitur de his, qui leuiuſcule tabeſcebant, in cæteriſque moderate reſpectiue ad tabidos, ſe habebant, vſque ad textum vltimum excluſiue.

Eſt hic, ad maiorem huius ſtatus exagerationem, atque intelligentiam, aduertendum, quod tabis vulgatæ per Hippocraticum ſtatum, Galenus, quem ſequuti ſunt alij expoſitores, cauſſam non in calidi innati offenſam, ſed in quandam deſtillationem à capite per auſtrum repleto, & in membra ſpiritus deſtillante refert, vt hinc velit, tabidos illos ex pulmonis vlcere, vel alia ſimili eius iniuria fuiſſe tales. & quidem ſi quæ comitabantur tuſſes, ac deſtillationes, de quibus in tex. 27. & 28. reſpiciamus, videntur hoc teſtari. verum pluribus rationibus adducor ad credendum, has non extitiſſe vulgaris illius tabis cauſſam. quandoquidem etſi negari nequit, quin deſtillationes iſtæ ſoboles eſſent excrementoſi cerebri, infra demittentis; excrementa tamen infra demiſſa in pulmonem haudquaquam perueniſſe, ſed in faucibus ſedem ſibi firmaſſe, aperte nobis ſignificat ſcriptura tex. 28. atqui ſi dicas, perueniſſe, non dum tamen conſtat pulmonem tabifice ægrotaſſe: ſputa enim per tex. 27. aliter arguunt, namque cum neque purulenta, neque fœtida eſſent, non aderat quoq; aliud ſignum, ex quo de pulmonis offenſa argumentari poſſet. vt ob id defluxus ille, non vt tabis productiuus, ſed vt affectio tabi ex totius corporis extenuatione annexa, attendendus veniat & propterea quæcumque ſequuta ſunt accidentia, non pulmonis, ſed totius, ob natiui calidi iniuriam, corporis oblæſi, certiſſima fuere argumenta.

Id ipſum teſtatur maxima, ac grauiſſima tabes, quæ 3. in 3. tex. 66. ab Hippocrate eſt deſcripta. etenim etſi annus ille extiterit auſtrinus: attamen flatus hic non extitit ſolus tabis illius cauſſa, ſed vt notat etiam Galenus in com. iſtius textus ſucceſſio ſæui, ac repentini frigoris, quod hieme corporibus ab auſtro abunde affectis, ſuperuenit: ſubdit enim auctor in loc. cit. tex. 4. multo poſt ſolis reuerſionem circiter æquinoctium, aſpera erat extrema hiems, & iam ſub æquinoctium boreas ſpirauit; vt hac

de

de caussa calor eorum innatus, qui minus erant imparati, per eam repentinam, ac maximam frigoris, atq; boreę successionem, iniuriam ferret perniciosam. Qui vero hi fuerint, refert idem auctor in tex. 70. Genus inquit, tabidorum erat glabrum, subalbum, subrubicundum, cęsium, leucophlecmatiæ, ac in quibus scapulæ in modum alarum prominebant, mulieresque quas hominum naturales differentias voluit nobis proponere diuinus auctor, vt intelligeremus, qui sint huic tabifico statui magis, vel minus obnoxij, habita ratione non ad caput (quid enim hæ habent cum capite? profecto nihil) sed ad eorum naturale calidum; quandoquidem si recte cogites, facile comperies, hosce homines complexionis fuisse frigidæ, vel subfrigidæ, vel resolubilis. At demus Galeno caput per austrum fuisse repletum, nondum tamen claret, cur tabes esset subortura: alioquin si tabes affectio esset austrina, vtique Hippocrates in 3. aph. tabem inter austrinos morbos connumerasset: quam tamen siccitatibus assignauit, ac dum morbum austrinum fecit.

Et quamuis ex enarratione status Hippocratici aquilonius flatus non videatur grande habuisse dominium: nihilominus contrarium arguimus tum in vniuersum, quando in textu octauo inquit, cum esset totus hic status austrinus, & cum squaloribus: tum & priuatim, cum in hieme squalores, cum ver austrinum, & frigidum auctor fuisse scribit. nec obstat, quod in tex. 3. dicat illa hieme austrina paruos fuisse ventos aquilonios: quoniam plus potuere corporibus austrinis, quam si magni extitissent, corporibus coactis existentibus. nec debes præterire exclamatos in tex. 4. (æqualores) quippe tibi maximam insinuant siccitatem, quæ talis esse nequaquam potuisset, nisi aquilo condominatus esset; cuius propterea effectus in siccitate elucent, vt colligimus ex Hippocrate in 3. aph. 5. cui proinde squalori respiciens idem auctor loc. cit. 16. iure maximo tabem siccitatibus assignauit. His accedit, quod Thusus, quam constitutio hæc diuexauit, vrbs erat, vt scribit Galenus 1. in 1. tex. com. 1. ventis aquilonijs, & frigidis exposita, vnde aquilonio, quantus iste fuit, loci natura vires quoque addidit.

Vt ex his cunctis sit iam sine hæsitatione statuendum, constitutionem istam extitisse tabificam, non propter pulmonis offensam, sed propter partialem innati calidi iacturam à mutuo caloris atque frigoris dominio in subiectos homines illatam. Hinc præter alia accidentia, quæ comitabantur huius constitutionis tabidos crebri erant horrores, qui declarantur dum dicitur

(febres

(febres horrificæ) frigiditas extremarum partium, vt vix calor redire posset. plurimi sudores. cibi fastidium, cuncta calidi innati non parum refrigerati certissima argumenta.

Etenim crebri illi horrores fiebant, quod calor natiuus vt diminutus, ac valde debilitatus in carnibus circumferentiæ corporis leui quaq; de caussa molestiam sentiens, intus cogeretur hinc febres horrificæ propriæ horum tabidorum.

Vnde hic vnum scitu maxime dignum enodandum venit, Cur illi, qui 2. in 1. t. 25. per tempestatem illam frigidam & humidam semitertiana ægrotarunt, non horrescebant, quemadmodum isti, per austrinam & squalidam per tex. 23. An quod in illis natiuus calor partialem adhuc extinctionem non esset passus, per quam alioquin minima quaq; de caussa moueri ad intra posset, vt in his. An quod solida humecta non sunt tristi sensationi subiecta æque, ac exsiccata, qualia horum erant. vnde quouis modo calor, qui in his paucus, ac debilitatus valde erat vel minimum moueretur, molestiam ægrotantes percipiebant horrificam. in quem sensum puto Hippocratem in 3. aph. 5. aquilonium flatum horrificum statuisse; quod corpora ab hoc exsiccata leui negotio perhorrescant. vt iam satis constare putem quamobrem ex semitertianis sint aliȩ horrificȩ, aliȩ sine horroribus affligant.

Illa extremorum refrigeratio, vt vix calor reuocari posset, per tex. 24. non profecto pendebat à foco febrili, vt alioquin insinuat Galenus, penitiora occupante, quemadmodum in quibusdam malignis febribus vsuuenire scimus: sed inditium erat euidentissimum natiui calidi diminuti, languentisque, qui propterea extrema excalefacere, vel non poterat, vel ęgerime. quod est etiam senum vel leuiter ægrotentium proprium. alioquin si accidens hoc febrem ex interna inflammatione pendentem consequutum esset, vtiq; iudicium harum semitertianarum ad quadragesimum, octogesimum, & ad hiemem vsque productum haud quaquam fuisset, vt habemus ex tex. 36. sed intra vigesimum absolutum.

Sudores fiebant, quod superfluitates, à nutritione carnium relictæ, sensibiliter, vt non satis à languente calore extenuatæ, per cutem effluerant: indicantes iuxta Hippocratis doctrinam, inibi esse morbum, vbi enim calor natiuus languet; etiam si ęger optimis nutriatur cibis, extenuatus tamen semper est: quoniam non possunt oblatum sibi alimentum carnes totum consummere, ac recte transmutare; vnde relictæ superfluitates, cum eadem de caussa, insensibiliter nequeant, per copiosos effluunt sudores,

quod in praxi in laborantibus huiusmodi, atq; alijs lungis febribus obseruamus, attulit nobis venuste hanc doctrinam Gal. in 1. aph. 15. quando dixit, naturam non solum appetere, conficere, agglutinareque singulis partibus proprium alimentum, sed & huius quoque superfluitates difflare: & quanto fortius extiterit calidum innatum, tanto magis difflatio effugit sensum. & ob hanc caussam Diocles inquit, sudores esse præter naturam, quoniam omnibus, quæ ad corpus attinent rectè administratis, & alimento à natura subacto, numquam sensibilis humor per cutem excerneretur.

Cibos perpetuo fastidire per tex. 29. contingebat aut quod appetitus esset ferme extinctus per ventriculum valde refrigeratum, ac labefactatum. sicuti enim frigidiores per hunc statum magis læduntur, ita & membra frigidiora. Aut quod excitari minime poterat, quod cessasset membrorum naturalium consueta suctio, ideo quod membra essent connaturali caloris copia fraudata, ac maxime debilitata.

Accessit his omnibus febris vehemens ac laboriosa per tex. 23. quæ sicuti tabis ex vna pulmonis labe impropria est, ac minime congrua: ita peculiaris, ac propria extitit tabidorum ex totius corporis colliquatione, quam calor diminutus, ac simul deprauatus importat.

Nec deterreat quempiam quod tussis, ac destillationes per tex. 29. comitarentur, quoniam affectiones istæ propriæ etiam sunt, ac ferme inseparabiles tabis, quam corporis colliquescentia citra pulmonis iniuriam, saltem primarium, constituit. quod euenire dupplici de caussa comperio. Altera est, quoniam cum tabidi pauco indigeant pro respiratione aere, cumq; excrementa thoracis per copiosum aerem, violentia quadam erumpentem, exportentur, fit vt in istis difficulter admodum excernuntur: maxime quod per languentem calorem debita coctura haud quaquam accepta expurgationi magis obsistunt, & propterea exigua quæuis excrementi portio molestam in his excitat tussim, quæ vel digereretur alioquin in homine sano, vel per screatum, aut tussim facillimè educeretur. nequit autem fieri, quin in horum thorace superfluitas quæpiam per defluxum, aut congestionem colligatur, vnde tussis difficilis. Altera est quod tabidi (quod quibusdam etiam alijs extenuatis, ac difficillima febre detentis quandoq; euenit) copiosa solent colligere in cerebro excrementa: ideo quod horum cerebrum non pro ratione ab infernarum partium calore foueatur, à quo alioquin vigososo existente velut aroma-

aromatisatum minime, aut minimum excrementosum redditur? quæ excrementa infra dilabentia in faucibus firmari, ac consisti assolent: propterea quod, vbi in hanc peruenerint regionem, incrassantur, glutinanturq; præ frigiditate, ob faucium gracilitatem suborta: hinc tussis, hinc faucium noxa, à quibus affectibus argumento perperam in praxi sumpto putatur, quamcumque tabem, quæ tussim annexam habet, à capitis defluxu dependere.

Sic alatos, cum à tube corripi, ac simul ferina affligi tussi contingit, non tamen tales ex pulmonis offensa esse censeas; sed ob diminutum eorum calidum, quod ad subeundam marcidam hanc affectionem paratum maxime est: ideo quod proprium sui subiectum, primigenium dico humidum, haud recte habeat proportionatum; est enim non pro ratione compactum, viscosumque, sed crudiusculum, ac liquidiusculum, cuius ratione calidum facile vel resoluitur magis, quam par sit, per obiectam caussam calidam, vel partialem patitur, per obiectam frigidam, extinctionem. Qua etiam de caussa graciles sunt & tenues istiusmodi homines, & præter rationem lungi: ideo quod calidum ab humido non bene coercitum, ac castigatum in hominis incremento alta petat intempestiue, & præter naturæ institutum: atq; hinc corpus, congrua latitudine fraudatum, lungum non ex ratione efformatur, vt fieri minime possit, quin in thorace pariter oblungo atq; angusto, scapulæ in modum alarum promineant. cui formæ respiciens Hippocrates, ac postmodum alij medici vocarunt alatos hosce homines. quos etiam videre licet non rubicundos, sed albicantes, & nonnihil curuos. fit autem, vt, cum sint ad tabem parati, sint etiam defluxionibus à capite in pectus maxime obnoxij. etenim cum præter quam quod eorum cerebrum non possit abunde foueri, atq; aromatisari, ob natiuum calidum, non satis in hisce robustum, ac firmum; minus insuper id sibi conceditur, ob distantiam ab inferioribus visceribus, quam importat eorum pectus, ac collum lungum, & propterea, ferina affliguntur tussi; continua nempe, quod continenter, præsertim si tabescant, in cerebro gignantur, & contiuenter præcipitent excrementa in membra respirationis: laboriosa, ob thoracis angustiam, ac lungitudinem, nec non eorumdem excrementorum incoctibilitatem. & maligna, quod nil ab eductione subleuentur. & hoc est quod Hippocrates 3. in 6. tex. 18. docere nos voluit, quando dixit, quæcumq; alatæ naturæ lateris, propter impotentiam occasionis, & in destillationibus malignis, & si excretio sit, etsi non sit malum.

Sed hic oritur difficultas non contemnenda, cuius resolutio maiorem in modum, puto, placitum nostrum illustrabit. etenim non videtur satis constare, quod tabes, quæ grauissima subsequuta est 3. in 3. t. 66. caussam duxerit generatricem ab hiemis extremæ frigiditate, & borea tunc temporis subsequuto: quandoquidem per textum habemus, tabem illam hieme cæpisse, & ex illa decubuisse multos: quæ res sicuti excludit, quod à postremæ hiemis mutatione fuerit producta, ita declarare videtur per solum austrum, ac propterea per descensum à capite repleto, vt placet Galeno, fuisse excitatam: maleque fuisse à nobis statutum à mutua frigoris, & caloris successione tabem produci. Dic, quod frigus eius hiemis quantum illud extitit, potuit corpora ab austro omnimode affecta refrigerare, ac in ijs, qui maxime erant parati, quiq; aeri frigido liberalius se exposuere tabem inducere, calido eorum natiuo percusso, ac partialiter extincto. Nec obstat quod in tex. 3. dicat auctor hiemem illam fuisse austrinam, lenem: quoniam comparatiue intelligenda est eius loquutio: nequit enim fieri, quin quampiam gestaret, noctu præsertim, frigiditatem, quæ propterea potuit adapertis ab austro corporibus non mediocriter officere: si enim autumni frigiditas, quę ad hiemalem temperata est, id ipsum efficere est nata, multo magis hiemalis, præsertim in casu nostro, in quo animantia reddita erant penitus austrina. Potuit igitur multis tabem afferre, quam mox, succedens insignis extremæ hiemis algor, vniuersaliorem, grauiorem, atq; acutiorem effecit. Disce acutiem hinc, quod cum tabes sit ex Hippocratico scito, experientia identidem confirmante morbus lungus & lethalis, fere tamen omnes per textum, qui hieme decubuerunt ad instar acuto morbo laborantium ante ver perierunt, quod repentina frigiditas subsequuta acutiem hiemali tabi indiderit: quemadmodum enim autumnus est tabidis malus, sic postremæ huius hiemis frigus, à tabe iam iam antea correptis, extitit mortiferum. firmatur hoc quoniam in tex. 71. auctor scribit ver tum alijs, tum tabidis fuisse infestissimum, non sane ob propriam naturam, est enim eodem teste saluberrimum, sed propter temporis ipsi annexi algorem. hinc qui superstites fuerunt, cum æstate, à qua recreati quodamo fuere, remissius se habuissent per eundem textum, sub autumnum omnes decubuernnt, atque multi obierunt. nempe quod complicatio frigoris cum calore sit ex Hippocraticis placitis, & ratione, calido animantium innato infestissima, hos quidem tabidos reddens, illos vero iam factos interficians. vt propterea

iam

iam satis constare putem, recte fuisse statutum, austrinum statum & cum squaloribus 1. in 1. qui est in ordine primus, non propter destillationem in membra spiritus, sed propter insignem calidi offensam, extitisse tabificum.

Quæ hactenus de hac materia disputata sunt, in cognitionem nos facile ducunt veræ, ac germanæ caussæ oraculi in 5. aph. decretati, hoc est, tabes fit maxime ætatibus à decimooctauo anno ad trigesimum quintum. Cum enim intra hoc tempus calidum innatum supra humidum radicale veluti efflorescat, maioremq; habeat effluxum, eo quod non æque ab ipso coerceatur, ac prægresso tempore, fit vt de facili ab adaptata præternaturali caussa superaccedente vel maiorem in modum diffluat, resoluatumque. aut partialiter extinguatur. illud vt plurimum vsuuenit per quasdam difficiles, aut etiam diarias febres: hoc vero cum ab aere valde sibi aduesso, qualis est complicatus, molestatur. & vtraq; de caussa tabem importat. quod ijs potissimum vsuuenit, qui resolubilis habitus, & frigidi sunt temperamenti. Quę affectio non solet ante decimum octauum annum habere locum, quoniam tunc temporis calidum insitum à plurimo humido abunde coercitum, ac protectum est: adeo vt etiam si infans, aut puer quispiam præ morbo quopiam lungo extenuatissimus fiat, euadere tamen à tabe solet: quod non contingeret homini intra Hippocraticum tempus existenti: neque post trigesimum quintum, quoniam siue occurrat caussa, ob quam maiorem in modum resolui, aut partialem refrigerationem pati deberet, vtroq; modo offensam facile effugit. cuius rei caussam, vt intelligas, latere te minime debet, calidum, quod in solidis animantis partibus sedem habet, per procedentem hominis ætatem consumptionem, ac diminutionem sui in primis non sortiri æqualiter secundum sui totum, seu æque secundum internas, ac externas membrorum solidorum partes; sed in primis secundum externas, ac circumferentiales successiue in altioribus sedibus, postremo in ventribus. rursusq; esse magis accidentalibus obnoxium caussis, cum ad superficiem membrorum subiectiue, ac radicatiue considet, quam cum in absconditis intrusum est sedibus: adeo vt cum infestum quodpiam sibi occurrit, secundum partem, quæ in superficie considet de facili cum subiecta sede offensam excipit: difficulter secundum eam, quæ in altiusculis sedibus: difficillime vero, quę in ventribus condita est. Hoc sic stante, cum homo annum transigit trigesimum quintum, calidum implantatum cum amplius in membrorum circumferentia

subiectiue non insit (quippe quod humiditate radicali hic in primis consumpta, consumptum & ipsum sit naturaliter) altiuscule insidens protectum est, quominus à caussis, à quibus alioquin diminui, vel dissipari posset, iniuriam ferat: propterea quod tum ab infesta caussa sibi occurrente immediate percuti minime potest: tum etiam quia carnes simul & semel ab eadem alterari debent, si & ipsum alterationem subiturum est. vt ob id, ab hoc postmodum statuto tempore homines, maxime autem senes in tabem nequaquam incidant.

Sed & hoc ad artis decorem haud prætereundum est, illos esse tabi, quę per resolutionem fit, magis obnoxios, quorum humidum primigenium tenue & aereum est. sunt hi quidam molliusculi, delicati, quadantenus graciles; albæ, sed rubro non nihil colore perfusę carnis: & hi à tabe, si caussa recurrat, corripiuntur promptius proximioribus inter constitutum tempus decimo octauo, quam annis remotioribus. illos vero ad tabem subeundam, quæ per refrigerationem inducitur, esse paratiores, quorum complexio frigida est, albæque carnes. & isti, si quando caussa sufficiens accedat frigefactiua, vt proximioribus trigesimo quinto annis in tabem incidant, facilius est.

Est rursus ad luculentiorem sermonem addendum, senes identidem sub hac affectione militare, quippe est eorum calidum cum primigenio humido non parum diminutum: sed cum aliorum tabes præternaturalis sit, senum est naturalis, sensim omnimoda contracta, nullam interim animanti iniuriam morbosam, vt illa; nullam inferens offensam: & habent solida secundum mercidas partes id cum cæteris, quæ nullam adhuc sunt corruptionem expertæ, vt calido innato adhuc gaudeant; non tamen per ipsius radicationem, sed irradicationem, & virtualitatem, cuius gratia vt proportionata materia nutriuntur, & secundum propriam salubritatem conseruantur: ideo quod, eo ipso quo humido radicali priuantur, alimentali, ac proportionato ditantur. Verum vbi per violentiam solida marcorem subeunt, cum calido subiectiuo priuentur, eius quoque irradiatione secundum tabefactas particulas frustantur: ob id, quod non datur ipsis, vt præternaturam exsiccatis, renutriri, & alia proportionata humiditate ditari: vnde etsi irradiatio ad eas perueniat, non tamen hanc excipiunt, vt subiectum minime proportionatum, secundum propriam virtualitatem. quin immo hoc insuper accedit, quod humiditas alimentalis, quæ ad eos peruenit, & alioquin in suppetias esse deberet, vt in marcore naturali, id incommodi

modi ipsis affert, quod cum non possit in nutrimentum conuerti, corrumpitur, & putrescens quandam inducit febriculam, & hæc est hectica vocata febris à qua tum maiorem in modum eędem concalefactæ exsiccantur, tum ad tabem sensim inducuntur succedaneæ; quas, si discrasia laborare simul contigerit, vt vsuuenit per complicatam hanc constitutionem ijs, qui à tabe fuere correpti, putrida insuper febris accedet, accensa in putrescentibus superfluitatibus à nutritione istarum relictis, & hæc erit semitertiana, coalescens ex continua & intermittente, modo quo in superiori capite fuit explanatum.

Præstant deinde, & nobis indiscussi illius Hippocratici sciti notionem, quod 7. in 6. tex. 19. sic se habet, tabidis autumnus malus, malum iter ver,quando ficulna folia pedibus cornicis sunt similia, est enim præter autumnum, ver quoque malum, non quidem propter inæqualitatem, aut hæmptoicam passionem, vt Galeno, & Valesio placet, sed quoniam natiuum tabescentium calidum, quod alioquin hieme, & venis principio in ventribus coactum insidet, ob solis ad nos accessum à ventribus ad membrorum auocatur, expanditurque circumferentiam, quo fit, vt, cum exiguum sit, ob sui diffusionem, vel maiorem subeat languescentiam, vel totalem resolutionem, & extinctionem. quemadmodum enim cum coactum est in penitioribus, vigorosum existit, ex Hippocrate in 1. aph. 14. ita, cum diffusum est, vt ęstate, debile efficitur. & in tabidis, vt in quibus partialiter extinctum est, cum à meditulio ad extrariam membrorum effunditur superficiem, noxam fert lethalem. quod tamen euenit non in veris principio, sunt enim ventres hoc tempore adhuc calidi per locum citatum:sed in processu,cum fici folia cornicis pedibus sunt similia, hoc enim tempore vrgere solis calor incipit.

Hac rursus ante plana efficitur nobis caussa, quæ Galenum, & alios latuit, Cur febris diurna quibusdam ad tabem vergat, cum in nocturna id non vsuuenit, ex Hippocrate 3. in 1. tex. 6. An quod nocturna frigiditas corporibus à febre, ac diurno calore adapertis de repente aduenìens partialem tandem caloris natiui, alia quoque ratione valde debilitati extinctionem in quibusdam infert: quod in nocturna minime euenit, quoniam febricitantia corpora à luce excepta, non in qualitatem incidunt calori infestam, sed amicam. An quod cum interdiu maior corporum effluxus fiat, corpora diurna febre laborantia magis per febrem fluxilia facta, tandem non mediocriter extenuata, marcida fiunt. quod non contingit in nocturnam, ideo quod nocturna frigiditas

oscula

osculà cutis constipando, liberalem, ac nocentem corporis effluxum reprimat. sed dum quibusdam auctor hoc vsuenire scribit, insinuat paratos, vt reri habitus, graciles, vel frigidæ temperaturæ iuuines.

Per diurnam, ac nocturnam febrem non intelligit Hippocrates simplices quasdam, aut dupplices tertianas, quas vel interdiu, vel noctu affligere contingit: sed quasdam lungas, ac difficiles quotidie inuadentes à viscerum, & præsertim iecoris intemperie pendentes: nocturnas, & diurnas ab auctore appellatas; quod noctu, aut interdiu accedant, & magis affligant, & postmodum noctu, aut interdiu remittant: non tamen adeo vt ad infebricitationem deueniant: quoniam continuitatem quampiam adesse insinuat nobis auctor, dum inquit, nocturna non admodum lethalis, subindicans medioctiter esse talem: cum ex aduerso febris intermittentia omne periculum excludat.

Est etiam diurna nocturna febre lungior, vt notat in precitato textu auctor, tum quia nocturna frigiditas superaccedens, nec est ad recreandum natiuum ægri calorem, nec ad excrementa per extraniam digerenda superficiem; tum quod vbi natiui calidi maior noxa, vt in diurna, ibi quoq; maior excrementorum copia, ac propterea febris lungior.

Et hæc de noxis, quæ suboriuntur vbi auster, & aquilo, vbi inquam calor & frigus mutuo, & æqualiter sibi succedunt, ac dominantur: æqualiter inquam, quoniam si alter horum minus prȩualeat ratione sui, qui debilis sit; aut temporis, quod sit flatui contrarium, morbi producuntur, qui præpotentis sequuntur naturam, vt declarat tempestas, quæ 7. in 6. tex. 1. ab Hippocrate enarratur, dum dicitur, tusses circa brumam decimoquinto, aut vigesimo die ex crebra austrinorum, aquilonalium, nec non niualium flatuum permutatione cæperunt. etenim etsi hi duo inuicem fortiter spirauerint venti, morbi tamen inde consequuti vnam redoluere, respectu temporis, frigiditatẽ, vt videre est ex enarratione Hippocratica, ad cuius examen lectorem remitto.

Qui dispositus maleficentiam huius status, si quando contingat, effugere intendit, vt in domo cõclusa, quo ad fieri potest, contineat se, & æqualitatem aeris congruo igne sibi paret, necesse est. is ipse subtabescentibus, ac tabescentibus aer valde conducet. Scopum hunc prȩseruatiuum tibi licet colligere ex Hippocrate loco nuper citato, quando loquens de illa tempestate, dixit, quod mulieres liberæ, ideo quod è domo non egrederentur, inclementiam aeris eccitarunt: cũ ancillæ, ac viri contraria de caussa illam subierint.

De statu Austrino, & primum de eius Natura.

Cap. VIII.

AVstrio temperiem calidam, & humidam esse, edocuit primum nos rerum naturalium peritissimus Hippocrates, & postmodum Aristotiles, & Galenus. quomodo autem hanc compareт, cum in primis frige faciendi, & humectandi vim habeat, eodem auctore in 2. de dięta, edocet pariter hic idem auctor hoc prorsus in loco, auster, inquiens à similibus aquiloni natura regionibus spirat: ab australi enim polo spirans, & à niue multa glacieque, ac gelu fortibus procedens, necessario his, qui prope ipsum illic habitant talis spirat, qualis est nobis aquilo: verum omnem non item similis accedit regionem: nam cum per solis iter, & in meridiem spiret, humiditas ipsius à sole ebibitur, & resicatus rarescit, quare necesse est ipsum calidum, & siccum huc accedere: in proximis igitur regionibus, necesse est ipsum talem vim calidam, & siccam exercere. & hoc sane in libia facit: nam & terræ nascentia exarescunt: & homines latenter resiccat: cum enim non habeat nec mare, nec fluuium; vnde humiditatem accipiat ex animantibus, ac plantis humiditas exhaurit. vbi vero pelagus transit tanquam calidus ac rarus existens multa humiditate regionem, in quam allabitur implet, & necesse est ipsum calidum, & humidum esse, vbi non regionum situs alterius qualitatis caussa existat.

Vnde hic non sat intelligo, quomodo 3. in 3. t. com. 3. eos reprehendat Galenus, qui austrum semper esse humidum statuerunt, & scribat quandoq; esse siccum. namq; si aliquandiu contigerit citra imbres præualere, vtiq; siccum per se, qui semper propriam retinet naturam, haud recte dicemus, sed ex pluuiarum vacuitate, vel aquilonij insimul sufflatu talem. vt propterea Galenus se non de vero austro, sed leuconato loquutum fuisse significat. est igitur semper calidus, & humidus, qua natura donatus, cum præualere in aere contingit, subiecta animantia insueto quodam, eoque pernicioso modo afficit.

Sed antequam ad istius maleficentiam descendamus, apere pretium est, quædam prius intelligere, quæ maiorem in modum sunt austri naturam illustratura, etenim & illud, quod intelli-

gatur, dignum est, quod cum sæpe malignus hic spiritus perflet, non tamen hominem oblædit semper: quod euenire certum est, ideo quod aut breui spiret, vt aer effatu dignam haud ferat in propria substantia alterationem; aut cum alio vento complicatus ad nos accedit, qua ratione non solum germana spoliatur natura, sed etiam legitimo motu. est enim eius motus tardissimus, vt quempiam ventum efflare non putes, quod prouenit quoniam à remotissimis venit regionibus. insinuat nobis hunc tardissimum austri motum Hippocrates 3. in 3. tex. 1. dum scribit, annus austrinus à ventis in totum silens. & in tex. 3. hiems erat lenis: & rursus cur sine ventis austrinum. at quomodo potuit esse ventis annus omnino vacuus, si comitem continenter habuit austrum? sed propterea hoc loquendi modo vsus est auctor, vt innueret lente adeo austrum procedere pede, vt motum in aere non sentias. vt obseruat pariter loco citato tex. com. 3. Galenus. per hunc igitur tardissimum motum redditur in afficiendo potentior. vnde debet & satis diutinus, & legitimus esse ad importandum in aere dominium.

Porro ex locis, quædam sunt, quæ, quorumue aer ab austro affici minime possunt, ex cæteris alia magis, alia minus sunt huic vento obnoxia. Quæ sint illa, edocuit Hipp. in lib. d. aer. aq. & lo. quæcumque, inquiens, ciuitates ad ventos frigidos sitæ, sunt inter occasum solis æstiuum, & orientem æstiuum, etiam ipsis hi venti vernaculi, & indigenæ sunt, ab austro vero, & calidis ventis protectæ sunt. & iure, quoniam si quis recte attendat, hæ ciuitates, hæc loca ab austro sunt remotissima, & boreæ omnimode subiecta: adeo vt cum inibi peruenit, imbecillimus peruenit, & de cætero à vernaculis ventis, & regionis situ in totum correctus. cui rei inhærens idem aucto. in 2. d. dieb. dixit, & necesse est austrum calidum & humidum esse, vbi non regionum situs alterius qualitatis caussa existat. & roborat hoc, dum loquens in lib. cit. de aer. lo. & aq. de regione sub vrsis, ac ripheis montibus sita, ab vrsisq; & frigidissimis ventis perflata, dixit, neque vero venti à calidis locis spirantes valde ad eam regionem penetrant, nisi parumper, ac debiles.

Ex cæteris in vniuersali locis maritima meridiem respicientia; etsi videantur austrinæ maleficentiæ esse magis obnoxia: attamen quoniam in aperto sunt loco, in quo vndique perflare solent venti, spirantem corrigentes austrum, hac de caussa austrinas noxas facile effugiunt. si quando tamen legitimus ad ea peruenit, vehementerq; præualeat animantia perflata præ grandi æstu mirum in

modum

modum excalefacit, & eorum sanguinem extorrefacit: qui postmodum putrescens ardentem quamdam gignit febrem, & abscedens quosdam carbunculos efficit altos, sed angustos, qui putrefactiua vi, ac contagio carere solent. alia ratione non posse affici sentio, nisi pluuiæ contemperantes ipsi accesserint: maxime si locus aphricis confinijs proximus extiterit, vt Sicilia.

Ex locis in continenti, illa spiranti austro magis sunt obnoxia, quæ temperata, quam quæ frigida, vt quædam valles frigidis aquilonalibusque expositæ ventis: adeo vt ex his quædam sint, quorum aer iuxta Hippocraticam doctrinam alterari ab austro, vel nulla ratione, vel difficillime potest. cum interim, quæ circunstant loca, grauiter ab eodem dominante afficiantur. Sunt quædam ex aduerso, quæ ratione situs particularis ventum hunc magis sentiunt. quæ sint illa, docuit in 2. d. diet. idem, quem nil latuisse videtur, auctor, cum dixit, vbi regiones adiacent ad austrum sub his æqualidi, & morbosi austri afflant. adstat ratio, quoniam venti motus impeditur à montibus, vt ob id statione facta, ventus loci aerem magis occupet, mutetq;. hac de caussa vrbes, vt vndequaque cauæ, ac domibus valde conferta loca, austri spirantis, ac propterea remorantis minus effugiant austrinam noxam: vt vsuuenit per pestem austrinam anno 1574. quæ dire Brixiam deuastauit, cum interim sub eius ditione loca in salubritate degerent.

Sed & aeris qualitas maiorem, aut minorem dicit dispositionem. etenim tenuis, & illustris, cum sit austrinæ maleficentiæ magis obnoxius, contrahit etiam, si quando affici contingat, altiorem offensam, quatenus hæc maiorem à naturali recessum dicit. crassus & halituosus tum difficilius ab austro afficitur, eadem austri potestate data, vulgarem, ac malignum morbum importante: tum leuiorem quoque contrahit iniuriam. hoc clare demonstrauit pestis austri soboles præcessa, & per Brixianum solum grassata, quæ purissimi aeris loca cum deuastasset, plana humilia, & quæ sunt halituosi aeris parum, vel nil tetigerit. amplissimum extat testimonium Pisoneæ locus lacustris, ac palustris, occidenti expositus, de cætero à sublimibus vndique montibus conclusus, vt ventis aditu transituque minime dato, aer à vaporibus sublatis, valde crassefactus, digeri atque illustrari nequeat. hic inquam locus, Sebini lacus portus primarius, per quem pestifero tempore singulis diebus merces traducebantur, hominesque de lue maxime suspecti transirent, aliorum tamen malorum fuit duntaxat spectator. qui locus si à peste

fuiſſet correptus, innumeræ iure merito fuiſſent inuaſionis morbi cauſſæ adductæ, ſiquidem peſtis hæc vnum agnouiſſet contagium.

Cur autem admittat facilius tenuis atq; purus aer affectionem auſtrinam eſt, quoniam obſiſtere minus valet, quam craſſus & vaporoſus: grandioremque excipit noxam, quod compuctior halituoſo ſit. auſtri enim maleficentia verſatur potiſſimum in aeris diſſolutione: aerem enim, qui ex ſui natura compactus, ac lucidus eſt, liquat fundit, tenebroſumq; reddit, vt auctor eſt in lib. d. ſac.mor. Hippocrates. Quod autem aeri puro il'uſtriq;, idem per auſtrum & innato nobis ſpiritui vſuuenit. hoc inſinuare nobis voluit idem auctor, cum in aphoriſmis caliginoſos ſtatuit auſtros: cui ſubſcribit quoq; Galenus 1. in 1. t. com. 8. ideo qui incolunt puri, ſplendeſcentiſq; aeris loca cum facilius, tum etiam intenſius afficiuntur: ſic & eadem ratione vegetiores, quod ſpiritum geſtent illuſtriorem. ex aduerſo, qui in locis humidis concauis auſtrinis degunt, cum ægrius, leuius quoq; afficiuntur. corpora enim, alicui aeris affectioni aſſueta, minus moleſtari ſolent ab eadem intenſiori facta, quam ſi ad contrariam naturam etiam ſi bonam mutentur, vt ex eodem colligimus in 2. aph. 50. vt ob id, illi auſtrinis incommodis, ſi quando contingat, dupplici de cauſſa ſint magis obnoxij, ratione ſui,& aeris; & propterea morbi auſtrini vulgares, qui ſunt malignæ ac peſtilentes febres, nec non peſtis bubonia, ac carbunculoſa, ad hæc, tenuis inquam ac puri aeris loca, ad homines ſimili aeri conſentaneos potiſſimum ſpectet: in hoſce potiſſimum ſæuiat.

Sed cum inciderit ſermo in auſtrinos morbos, te ſcire velim per ſtatum, non omnes ſimul commemoratas, ſed alias hos, alias vero illos diuulgari, pro maiori, vel minori auſtri dominio. etenim cum multos, ac velut tumentibus velis ad nos accedit, noxas alte in ſubiectis animantibus imprimens, febres excitat peſtiferas, quæ comites & carbunculos, & bubones, ne dum papulas damnandas habere conſueuerunt. febres malignæ, quædamq; peſtilentes graſſantur in ſtatu infirmiori, quod importat, auſtrum non æque multum abundaſſe. ſed inſinuata auſtrina mala, de cætero ſunt ſedulo inueſtiganda.

Non tamen prætereundum id in præſentia eſt, auſtrum, cum dominari contingit, ſub dupplici natura nos immutare, exquiſita, & cum pluuijs aſſociata. vnde morbi producuntur inter ſe paulo diſſimiles. Fit etiam, vt, ſi cum feruente æſtate multi contingant imbres, morbi ſuboriantur, qui auſtrinos quadantenus

æmu-

æmulantur. præter rationem auctoritas firmat. etenim putredines, quæ sunt austrini morbi, vt videre est ex 3. in 3. t. 50. à pluuio cęlo nempe, & cum æstu iuncto sunt à sene in 3. aph. 16. expectatæ. & rursus æstati pluuiæ diuturnos quidem, sed & serpentes morbos idem auctor in lib. d. aer. l. & aq. assignauit. si ęstas inquit pluuiosa fuerit, morbos diuturnos, & phagedenos adedentes, ex omni occasione oboriri verisimile est, si vlcus fiat. diuturni in locis flatibus vndique adapertis: serpentes in conclusis locum habere solent.

Sed non fuerit indecorum ad calcem istius capitis inquirere, vnde nam proueniat, vt, cum pestis bubonia, ac carbunculosa, quę contagiosissima est, rarissime visatur, austri proinde rarissime dominentur. Dic huiusce rei caussam petendam esse à quodam stato superiorum motu, ob quem excitari austrum maxime contingit. huiusce vero rursus ab Aeterna Summi Opificis dispositione, qui voluit Cœlos tali, vel tali tempore sic moueri, vel in punitionem mortalium, ob eorum scelera, cum ad nauseam iam supercreuerint, vel latente nos alia de caussa.

Quid mali pariat in animantibus Austrinus status: Communis opinio reprobatur: vnde vera eiusdem maleficentia subelucet.

Cap. IX.

HIS sic de constitutionis austrinæ natura statutis, videndum iam, qua ratione animantibus infensa existat. circa quod in Schola Medicorum sentiri videtur, austrum propterea infensum esse, quod in ijs, vt calidus & humidus, putredines, quatenus febrium putridarum caussas dicunt, ingignat. hoc facile desumpto ab austrino anno pluuio 3. in 3. enarrato, per quem putredines, ac febres plurimę putridę vagatę sunt. quod videtur confirmari ex eo, quod in 3. aph. 16. Hippocrates pluuiarum copiæ putredines assignat pluuię enim cum redundantem humiditatem importent, & hęc sic putredinis materia, facile in hanc venerunt sententiam, vbi qualitas ista cum caliditate iuncta pręter naturam corporibus nostris accedat, putredines putridas excitantes

tantes febres fieri. quod maxime argumentantur in austro; quippe vt calido, & humido, ad putredines excitandas, nil ipsi deficiat.

Sed hæc vulgata opinio, quæ austri vim, atque agendi modum non bene intellexit, neque ex mente Hippocratis est, neque scopum attingit: vtinam res sic se haberet, neque enim conflictari humanum genus vulgaribus malignis, ac pestilentibus febribus, nec non peste contagiosissima vnquam contingeret, & quamuis Hippocrates per illum statum austrinum putredines factas fuisse scribat, pluuiarumque copiæ putredines in aphorismo assignet, non tamen de humorum putredine, secundum scriptorum sententiam, intelligit, sed de solidorum putredine, quatenus scilicet putredines dicunt serpentes, ac deposcentes abscessus, ab ignescente, acerrima, atque exulcerante materia, ob pluuium statum cum austro, aut æstu iunctum genita productis: didicimus hoc ab eodem in 2. præd. vbi de nomis loquitur, & à serpentibus, abscessibus, per constitutionem austrinam 3. in 3. vulgatis, ac præcipue ex tex. 50. quo in loco sacros ignes, herpetes, carbunculos, ac similes abscessus, calidissimam, atq; acerrimam testantes sui productricem materiam, putredines appellat. quorum formam, ac maleficentiam proponit nobis in 2. ep. sec. 1. cum inquit, carbunculi in cranone multi, pluebat in ardoribus aqua larga, contingebat hoc per totum, & maxime ab austro. & subnascebantur quidem in cute sanies, dum antro intro concipiebatur, calescebant, & pruritum inducebant, deinde pustulæ velut ab igne exustæ excitabantur, & sub cutem vti sibi videbantur. hanc vlterius exageratam inuenies apud eundem 3. in 3. t. 22. 23. & 25. cum dicitur, Sacer ignis cum occasione ex quibuslibet, & admodum paruis vlcusculis in toto corpore accidebat. & rursus, sacer ignis multum celeriter vndique depascebatur. plerisque itaq; horum in suppurationes abscessus contigerunt, atque carnis multum, ossium, ac neruorum decidit: nonnullis totum fœmur, vel tibiæ denudabantur, pesque totus, vt propterea minime si dubitandum, quin pluuij austrini, aut æstuosi status scopus sit, non quidem humores, sed solida putrefacere: seu, melius, humores ingignere calidissimos, atque acerrimos, qui prauos abscessus, ac deposcentes morbos procreare nati sunt.

Prauitati huius status sic humidi respiciens in 3. aph. 15. idem auctor, in summa dixit, siccitates salubriores sunt imbribus, ac minus lethales. atqui si per siccitates fiunt morbi acuti, 3. aph. 7.

quosnam

quoſnam expectabimus à pluuijs cum auſtro aſſociatis? profecto acutiores ac lethaliores, vt viſum eſt. at ſi ſic, quid ſupereſt nobis expectandum ab auſtro pluuijs vacuo, quando alioquin humiditas humorum caliditatem, atque acrimoniam non parum obtundat, ac corrigat? non aliud ſane quam malum quodpiam in prauitate, in acutie extremum, cuius propterea generatrix materia in maleficentia quamcumque aliam ſuperans, non aliud ſit, quam venenum propria tale.

Obiectum maleficentiæ auſtrinæ immediatum, calidum eſt animantis innatum: & qua ratione vbi quædam eius affectio non dum cognita explicatur.

Cap. X.

Gignuntur igitur in corporibus noſtris, vbi fuerimus ab auſtris alterati, praui atque etiam venenoſi humores, & hoc medio calidi natiui, quod eſt primarium, atque immediatum noxæ auſtrinæ ſubiectum. vnde antequam deueniamus ad inueſtigationem modi, quo calido ab auſtris obleſo, humores huiuſmodi in nobis generentur, ſpeculandum prius venit, quomodo ab iiſdem afficiatur. Circa quod, te primum minime latere debet, hanc calidi affectionem non conſiſtere in eiuſdem diminutione, non ad quampiam intemperiem alteratione, aut deprauatione (vltra quas affectiones aliam non agnouere medici) ſed conſiſtere in eius diſſolutione, quæ citra copiæ, & temperiei iniuriam, locum quandoque ſibi aſciſcit; adeo vt, vbi auſtrinam contraxit maleficentiam; & copia, temperieque gaudet, & ſimul diſſolutum eſt: robore inquam, ac vi, qua præſertim naturales edit operationes, eſt orbatum. etenim etſi eius diminutio, & intemperantia, deprauatioque robur, aut quadantenus tollat, aut quodamodo confundat: eius tamen diſſolutio robur proprie ferit. non aliud hæc diſſolutio dicit, quam fractam calidi inſiti compaginem, quam alioquin importat eius denſitas, reſultans à ſpecifica quadam calidi quantitate. eſt enim vniuerſali homini calidum innatum in quodam pondere, in quadam menſura aſſignatum, ob quam reſultat tum quidem ſpecifica tem-

temperies, tum vero densitas & compago aciei eius, & roboris constitutiua; cuius gratia probe alterat, coquit, ac sibi assimilat, quæ ad vniuersalis hominis vitam conseruandam, ac producendam proprie competunt. vnde sicuti compago hæc humani calidi formam effert, ita specificam statuit distinctionem à calido, quod est proprium, ac specificum cuiuscumque alterius animantis.

Consideramus calidum innatum, vt substantiam calidam: quoniam calidum corpus lunge in proprio subiecto præstat, vt ipsum solum effulgeat, & opera caliditatis propria edat: & adeo præstat, vt chohiberi, ac corrigi satis nequaquam valeat, quin continenter coexhalet, effluatque: & propterea continuis fomitibus opus habuit: alioquin consummeretur quamprimum extingueretur que.

Debuit huiusmodi constitutionem sortiri, vt munia ad vitam necessaria obiret. hac etenim ratione vt quid viuens viuificat, cæteraq; ad vitam conducentia præstat, dum è sedibus proprijs, dico solidis emicans exilit, ac simul radios, spiritusue ex se producit. sunt hi per quos naturalia munia exequitur: hi in cunctis naturam, à quo deriuant, agnoscunt, consequunturque, vt etiam affectiones, si quando idem calidum affici contingat, communicent, ne dum ceteras eius proprias, ac naturales dotes. agit vero non electiue, & ex voluntate: sed eius actio ex afflatu, radijsque à se emissis atq; in materiam alterandam sibi oblatam repercussis procedit, quam subinde excalefactio sequitur, rarefactio, ac rei tandem coctio. Etenim calidum, quod tum primario in corde sedet, tum vero & in cæteris solidis animantis membris, per spiritus hinc influentes, hinc vero insitos, ac cunctos sibi inuicem conspirantes totum velut prospicit, rimatur, perlustrat, vt si quid alterabile intersecet, à spiritibus, radijsue hinc, inde repercussum coquitur, aut quouis alio modo, ni quid obstat, digeritur, superatur. & quamuis vnicuique membro, vnicuique parti peculiaris, ac insita sit natura, vt videantur dissentire spiritus isti sibi inuicem debere: vna tamen horum omnium consonantia est, vnus concentus. de quo pulcherrimum extat apud oraculum in lib. d. alim. enicma, vna natura sunt hęc omnia & non vna: multæ naturæ sunt hæc omnia & non vna confluxio. vna, conspiratio vna. per hos igitur effusos, oberrantes, ac sibi inuicem conspirantes spiritus characterem productricis sui caussæ gestantes, excrementa, vt cæteras coctiones omittamus, si quæ insitat in venis inalterata, & hanc calidissimam, ac

temis-

tenuissimam substantiam intercidentia, subacta euincuntur, vnde sanguis redditur omni impuritate orbatus.

Nec te lateat, quod ad hoc præstandum hi radij, hi spiritus exquiruntur idonei, quales ex se producit compagine naturali, atque acie gaudens insitum calidam, densiusculos scilicet recte compaginatos, veloces, pellucidos, quibus muniti dotibus res peruadunt, facileq; euincunt alterandas. non vtiq; si rari, diffusi, segnes, ac caliginosi sint redditi, quas, dotibus contrarias, contrahunt affectiones, cum natiuum calidum ex denso, recte compaginato, vegeto, fieri contingit rarum, dissolutum, hebesque. Sed quando nam talem excipit noxam? tunc cum præualet in aere auster: cum austrino vsus fuerit animans aere. etenim vt calidus & humidus? solida ex Hippocrate dissoluens 3. aph. 5. & 17. calidum excalefacit, rarefacit, diffundit: eademq; ratione à ventribus, in quibus peculiare habet domicilium, extrariam versus membrorum partem allicit; vnde segne obtusumq; redditur, ac caliginosum: hinc corporum dissolutio, hinc pigrities Hippocratica loc. cit. cui subscripsit quoque edoctus ab Hippocrate 26. prob. Arist. ad. aquilonis differentiam, qui cum compingat, caloremque in ventres cogat, corpora efficit vegeta, atq; agilia eodem auctore: cuius rei caussa cibo homines auidiores fiunt, teste Arist. loc. cit. 42. Quam sane affectionem infert similiter aeri auster: hanc autem audi ab Hipp. in lib. de sac. mor. aquilo, inquit, compingit aerem, & turbatum & nubilosum excernit, & illustriorem & pellucidum facit: auster autem contraria operatur. ex quo legitima deducitur caussa probl. 46. in loc. cit. propositi, quod sic habet. Propter quid in austro quidem velox boreas, in hoc autem auster non velox. An quod aer redditus ab austro fusus, ac liquatus boreæ minime obsistit, ac si esset compactus, vnde boreas velocior afflat: quod non datur austro boreæ succedaneo: ideo quod, spiritu hoc maiorem in modum aerem compingente, auster grandem adinuenit obsistentiam: cuius ratione tardo admodum sibi est incedendum pede. Quod voluit nos docere idem Hippocrates, quando loco citato de austro loquens, dixit, auster primum incipit aerem compactum liquare, ac diffundere, quapropter non statim aerem superare potest, qui prius densus est ac compactus: sed temporis processu ipsum dissoluit. quæ res in cognitionem rursus veræ caussæ nos ducit problematis, in loco citato vigesimioctaui, hoc est. Propter quid boreus incipiens magnus, finiens autem paruus: auster incipiens paruus, finiens vero magnus. An quod boreas

incipiens, magnus est, quoniam à proximis venit regionibus, nec non aerem non admodum compactum sortitur: finit autem, paruus, quoniam ab aere compactiori à se ipso reddito, magnam adinuenit obsistentiam, vt paruus fieri necesse sit. auster autem incipiens, paruus est, quod à remotissimis venit regionibus, & aerem compactum comperit: finit vero magnus, nulla postmodum ab aere fuso ac liquato à se reddito sibi repugnantia facta. iuxta igitur has innati calidi affectiones, spiritus, qui ab eodem prodeunt, qui eius naturam, eius formalitatem efferunt, adæquate afficiuntur. iunge eorum dispositionem quod ex aeratione partialiter constituantur, quod substantia aerei, & ignei sint, facilius ipsis hanc austrinam concedes maleficentiam.

Hæc vt rationi consentanea, & auctoritate fulcita etiam si verissima sint, præstat tamen ad horum robur in medium afferre, quæ de austri ui, ac maleficentia in lib. d. sac. mor. scriptum nobis reliquit Hippocrates vere diuinus. Auster, inquit, primum incipit aerem compactum liquare, ac diffundere, quapropter non statim aerem superare potest, qui prius densus est ac compactus: sed temporis processu ipsum dissoluit. idem porro hoc etiam operatur in terra, & in mare, fluuiosq; ac fontes, & quæ ex terra nascuntur, & in quibus humor inest. omnia autem hæc ventum sentiunt, & ex splendidis tenebrosa fiunt, & ex frigidis calida, & ex siccis humida, & quæcumque in domibus vasa iuxta terram sunt cum vino, aut alio quopiam liquore. & omnia austrum sentiunt, & formam in aliam speciem transmutant. Solem vero, ac Lunam, ac sydera multo hebetiora quam ex sua natura reddit.

Quod & in terram polleat, ostenderunt fruges, nec non fęnum, ac linum, quæ quo tempore exercebat fera hæc in aere dominium, dico æstate 1630., quæ austrina, quæ pestilentissima extitit, corruptelam ac marcescentiam quandam sunt perpessa. visa est eadem terra hoc ipsum testari, dum in reddendis prouentibus, auare postmodum se gessit. subscripsit aquatilâ animans, piscium genus, cum obseruatum sit magnam tunc temporis quosdam præsertim laus piscibus fecisse iacturã. nequit quoq; fieri, quin Cęlestia corpora hebetiora fiant, immissæ inquam eorum qualitates retundantur, aere, qui est illis imbutus, fuso, ac segni ab austro reddito. Cum itaq; vis austri talis ac tanta sit, haud quaquam mirum si frangatur, acieque priuetur calidum animantium innatum, productiq; ab ipso spiritus noxam contrahant effatu dignam. Atqui calido sic oblæso, spiritibus sic affectis, quæ qualiaque excrementa non sunt in subiectis animantibus expectanda. profecto

fieri

fieri minime poterit, quin magna, eademq; praua in ipsis generetur congeries, ex cibis & ciborum partibus coctu difficilioribus, quas alterare, conficeretque calidum connaturali alioquin robore gaudens. Sed hoc priusquam videamus, operæ prætium est inquirere prius, quorum calidum sit magis, aut minus austrinæ maleficentiæ obnoxium; quo simul notabilia quædam de calido aperiemus: videbimusque, qui sint ad austrina incommoda paratiores.

Qui magis, aut minus sint austrinæ maleficentiæ obnoxij, habita præsertim ratione ad innatum calidum.

Cap. XI.

SI calidum innatum noxæ est austrinæ primarium obiectum? sitq; homo gaudet calido, quod in compagine, in formalitate semper existit vnum; videntur hac ratione omnes æque maleficentiæ austrinæ esse obnoxij: cum enim consistat hæc in compaginis solutione, non videtur calidum puerorum ac iuuenum ab hac tangi magis posse, quam quod senum est. huiusce dubij solutio, quæ simul primariæ satisfaciet quæstioni, cum pendeat ab alterius difficultatis discussione, propterea hæc prius proponenda atque enodanda venit.

Difficultas est, quomodo verum sit, quod calidum innatum vna & eadem substantię densitate, compaginem importante, gaudeat, æque in pueris, ac senibus, vt medias ætates omittamus: cum alioquin hæc densitas videatur non ab alio pendere, quam à specifica quadam calidi copia, vniuersali homini assignata: hæc autem varia sit, pro varietate ætatis, ac temperamenti hominis, vt aperte docemur ab Hippocrate, qui in 1. aph. 15. in crescentibus plurimum, in senibus parum calidi innati inesse statuit. nec alia ratione quispiam dicatur, & sit calidus, quam quod plurimo, frigidus, quod exiguo donatus sit calido. Stat responsio, quod plurimum, aut paucum calidum non constituit in homine differentem densitatem, variam compaginem, cum tam paucum, quam plurimum vna eademq; gaudeat, in vnam confluat. ratio est, quoniam plurimum, aut paucum attendi debet penes expletionem de se magis, aut minus per solida membra extensiuam:

vnde cum per procedentem ætatem minus quantum, exiguumque efficitur, non propterea rarum fit: adeo vt, etiam si paucissimum factum, & in penitissimo membrorum ventre reductum sit, vt in vltimo senio, eadem nihilominus gaudet densitate, quam calidum in alia hominis ætate. istud membra esse minus extensiue calido insito expleta, non importat esse secundum quasdam partes eodem orbata, alioquim tabem, vel partialem ferrent mortificationem: sed quod in his calidum subiectiue, & radicatiue non existat, quod tamen per irradiationem, ac virtualitatem adæquatum per totum membrum efficitur. definit autem esse subiectiue primum in partibus solidorum externis, vt quæ ante internas, quæ sunt Hippocratici ventres, humido primigenio, quod est calidi subiectum, priuentur, cum internæ eodem adhuc humido gaudeant, eademque de caussa exsiccatiouem post alias sortiantur. hinc fit, vt æque in senibus, ac iuuenibus concoctiones ciborum celebrentur, quod senes æque ac iuuines eadem sint calidi densitate, compagineque, quæ aciem ac robur, formamq; eius dicit, donati. alioquin pro mutatione ætatum, mutaretur humani calidi forma, mutata quantitate, alioquin, quæ iuuinis assumpta concoquit, senex alterare nulla ratione posset, quod in ijs calidum plurimæ, in his exiguę existens substantiæ, maximam differentiam importet, hinc Hippocrates ad hoc nobis insinuandum, dum in 1. aph. 15. congruam pueris, ac senibus cibi præscribit quantitatem, quam à plurimo, vel pauco calore petit. circa qualitatem nil innouat, subinferens, quod, cum æque omnes vnum caloris robur obtineant, vnam quandam in genere ciborum qualitatem exposcant. alioquin mutata per partialem natiui calidi extinctionem forma, mutanda esset ciborum qualitas. Qui crescunt, inquit, plurimum innati calidi habent, plurimo igitur egent alimento: alioquin corpus absummitur, senibus vero paucum est calidum, propterea paucis egent fomitibus, à plurimis enim extinguuntur. qua postrema particula insinuat senis calidum, natum æque esse ad coquendum plurimnm cibum; verum ad suffocationem simul ab eodem ferendam, vt qnod plurimum alimentum consummere haud sit potens, non præ raritate, ob quam paucum aduersa ratione exigeret, sed paucitate, paucum enim existens panco indiget alimento: attenta hac indigentia non solum respectu sui, sed etiam solidorum, quæ eatenus multum concoquunt, ac consummunt, quatenus multo calore gaudent: cui propterea respiciens idem auctor Hippocrates crescentibus plurimum senibus paucum alimentum præscripsit:

& senes

& senes facillime, pueros difficillime ieiunium ferre docuit: id, de quo loquimur, ostenditur, per paucam ignis molem, quæ non minus secundum suum esse, est actiua, quam sit magna, eadem intensione data. non inficior, quod sicuti maior ignis potentiam operandi magis extensiuam obtineat, ita iuuinum calor à copia genericum quoddam, & magis efficax robur non agnoscat: at id ipsum proprie, ac peculiariter à formali substantiæ densitate obtinere, perfectionemque ad celebrandas ciborum coctiones accipere, iam satis constare arbitror.

Quod de calido senum, respectiue ad calidum iuuinum dictum est, id dictum volumus de his, qui frigidi sunt ad calidos, qui etsi abundantiori calido sint fœti, vtrorumque tamen calidum vnam sortitum est densitatem, limitatam non minus in expletione minus extensiua, qualem paucus calor importat, quam magis extensiua: & hanc in summa specificam temperiei innati hominis calidi intentionem, ac compaginem importare: à qua resultans acuties, ac robur concoctiones perfecte celebrantur. quam acutiem, cum obtusam quodamodo obtineat infantium, ac primorum puerorum calidum: ob plurimum humidum, etsi multum conficere, ac consummere natum sit, cibos tamen solidæ substantiæ ad summum demoliri, ac perfecte elaborare potens minime est: vt hac de caussa in hisce plures redundare soleant cruditates: quarum caussa nescio an perperam inordinato eorum victui à Galeno ascribatur.

His sic discussis, quæritur iam, qui nam sint in ratione calidi austrinis iniurijs magis obnoxij. Dic iuuines, atque ætate florentes inter omnes esse austro citra pluuios dominante ad easdem magis paratos: mox adolescentes, ac pueros: minimum omnium senes at ex correptis nullus ferme mortem effugit inter sexus homines magis, quam mulieres: inter temperamenta calidiores: consistit potissima ratio in minori, vel maiori obsistentia, quam magnam adinuenit auster in senibus, quod frigidæ sint horum carnes, quibus ad dissolutionem calidi, debetur quædam dissolutio, horumq; calidum, quantum istud sit, in ventribus sit intrusum, & hac etiam ratione ab iniuria austrina magis tutatum: videtur auster calido iuuinum natiuo e directo aduersus, dissoluendo quod maxime compaginatum, obtundendo quod acutum, & obtenebrando quod splendescens purumq; est: hinc spiritu hoc imperate hi præsertim, cæteris semper paribus, corripiuntur, & altius noxas admittunt: morbosiq; facti, tum sæuius tractantur, tum aditum obitui facilius præstant.

Dic

Dic rursus, omnes esse austro cum pluuijs associato indifferenter ferme obnoxios. etenim cum qualitas humida sit, iuxta Hippocratis doctrinam, multum per se morbosa, longe amplius, cum austrum habuerit socium, fit intensiue, & extensiue morbosior. est humiditas redundans materia vnde subiecta animantia ægrotare habeant: calor stimulus ac maleficentia, declarat hoc status austrinus pluuius 3. 3. enarratus, qui nulli ignouit ætati, à quo effugit ferre nullus. vnde sicuti qui cum pluuiarum vacuitate lethalior, ita hic vulgarior in populum, sed minus mortiferus existit: attamen & ille fit æque vulgaris ratione non sui ipsius, sed contagij temporanei ac distantanei eidem annexi. vt ob id, qui citra pluuias exquisitum, qui cum pluuijs non exquisitum austrinum statum vocare mihi libeat.

Sunt & aliæ caussæ, citra congeniti calidi respectum, dispositiuę, quæ præsertim attendendæ sunt austro sine pluuijs dominante. etenim qui raræ paratiores existunt, quam qui texturæ sunt densæ. sic magis qui puras, quam qui impuras habent carnes. rursus qui occasione artis, vel studij vno in loco maiori ex parte vitam trahunt, vt Plebei, mulieres, quam qui hinc inde vagantur, maxime per aperta, ac perflata loca.

Sentio pariter salubrius esse vitam trahere in sublimioribus domus textis, quam terraneis: propterea quod auster, vt piger, vt crassus iuxta terram repit, veluti serpit: vt insinuat nobis in lib. d. fac. mor. Hipp. alioquin si in sublimi spiraret, vtiq; castigaretur à quopiam alio, cum in sublimi spirare semper quispiam ventus soleat. fortasse hac de caussa Monialium loca, ipseque Moniales in Vrbe Brixiensi à peste iam præcessa fuerunt, vel leuissime tactæ, quod sublimibus sint circumsepta muris, quę aditum humili austro facile prohibere potuerunt.

In quocumq; autem genere cęteris paribus pauperes difficilius, quam diuites austrini status malitiam euitant: ideo quod illorum cibi, cum vndequaq; boni non sint, in bonum ex toto sanguinem commutari nequeunt.

Vnde hic vnum, & illud in peste austrina iam transacta maxime obseruatum colligimus, quod maior austrinorum malorum pars ad plebeos, & infimos homines pertineat, tum ob penuriam ciborum boni, & vtilis succi, ac simul commestionem prauorum: tum quia aerem austrinum plene inspirare coguntur, non solum ob peculiarem stationem, verum etiam quod in tugurijs, locisque vt plurimum domibus confertissimis, & à ventis minime perflatis habitare solent. Quod si contagium, quod ab austrinis, ijsque

pesti-

pestiferis morbis producitur, & inter hos, sic inopia eorum ferente, præsertim serpit, propagaturque, attendamus, iam clare intelligimus austrinam pestem exquisitam ab his potissimum efformari.

Quomodo innato calido hebetato praui, & venenosi quoque, & proinde calidissimi humores generentur.

Cap. XII.

QVod naturali calore ad quampiam intemperiem alterato, vel alio modo oblæso præternaturales gignantur in exuperantia humores, non mirum: at quod per austrinam potentiam obtuso, praui, ac modo adeo praui generentur, vt proprie venena sint, & toto genere ab alijs præternaturalibus humoribus differentes, supra captum hominis, ne dicam difficillimum prima fronte videtur. verum ratione duce, non dubito, quin hoc quod à ratione alienissimum videtur, vndequaque rationi consonum, ac cunctis planum efficiamus. Si tamen rem altius perpendebimus, ac considerabimus in primis, nullum generari in animante excrementum ac colligi, nisi naturalis calor concurrat causatiue, aut permissiue. causatiue dico, cum vitio ipsius caloris, vt intemperati, aut deprauati alimenta non bene adeo conficiuntur, quin superfluitatem quampiam à se relinquant. permissiue, cum non illius, sed ciborum quouis modo ægre alterabilium vitio id prouenit. hoc stante illud etiam præsciendum, per eundem, cibos (vt reliqua eius munia omittamus) ab homine assumptos in ventriculo coqui, in venis mesaraicis selectos imperfectam quandam sanguinis formam comparare: à iecoreq; mox exceptos, atque amplexatos, ac per quandam longiusculam moram à parenchimate pertractatos, elaboratos, ac velut cribratos confici, vt sanguis iam sint. qui in cauam transfusus excrementis expurgatur, & vndequaque perficitur. hæc omnia passim à Galeno habemus, qui & in 2. de alimento breuissime hæc eadem perstringit.

Per

Per excrementa hic subaudire debemus non solum serum, & melancholicam superfluitatem, sed quodcumque inest in sanguine, quod vel imperfectam, vel nullam suscepit alterationem: insunt enim sæpenumero in sanguine quædam ciborum particulæ, quæ vt superatu difficiliores, nullam coctionem sunt adeptæ, etiam si tot pertransiuerint, quas tamen natiuus calor in caua, tanquam in officina coctionis euincere, exacteque elaborare solet: qui & repatitur quandoque, & quadantenus alteratur à facultate ex prompta in cibi alteratione, cum medicamentosi sunt, vt piper: cum sæpe etiam sanguis medicamenti facultate inspergi soleat, vt præter experientiam edocuit nos 5. in 6. t. 35. internarum humani corporis functionum spectator Hippocrates, cum dixit, mulier, capra elaterium, aut cucumerem siluestrem edentes, pueris purgatio. id Galenus in com. confirmat, & alibi passim edocet. quod puto rursus Hippocratem significare nobis voluisse, dum loco citato tex. 37. sic scripsit cibaria aliqua celeriter euincuntur, alia vero tarde: innuens alia in ventriculo, in iecore alia, aliaque in venis alterari, ac coqui.

Sunt & quædam alia, quæ neque in caua vlla ratione à calore euinci patiuntur: quæ tamen postquam diutius, ac quandoque diutissime in venis delituerint, tandem ex occasione secundum sui totum alterantur, & motu putri mouentur, atq; vno, & eodem tempore grauissima, ac sæpe mortifera inferunt mala. & hæc venena ad tempus cencenda sunt, etiam si sub specie cibi fuerint assumpta. ex quorum numero sunt olera quædam, quæ nonnumquam in quibusdam, cum secundum quasdam partes alterari â calore non permittant, succus valde maleficus fiunt; qui atræ bilis cuiuspiam nomine insignitur.

Cum igitur cibi, qui sunt superatu difficiles, non soleant prius elaborationem perfectam suscipere, quam in iecur, aut supra ipsum ascenderint, iam intelligimus, si calidum hominis natiuum contigerit esse ab austro dissolutum, compagine acieq; orbatum, hos cibos, aut horum partes ægre alterabiles, inibi neque alterationem suscipere, sed persistere inuictas, ac sic in dies cumulatiores factas congeriem, ac massam quandam prauam constituere.

Est autem hæc in pluribus percalidæ, in alijs quibusdam crudæ ac densæ substantiæ. illa propterea admodum calidæ est, quod ex percalidis, atq; acribus cibis, seu ciborum partibus calidioribus sit coacmentata: eo quod sint cibi huiusmodi coctu difficiliores. ratio est, quoniam important propter caloris copiam,

sub-

substantiæ densitatem: cuius densitatis ratione calor cibi proprius, à calore ab extra in se agente, ægre euinci se permittit, cum ad sui corruptionem, ipsius etiam substantiæ corruptio debeatur. nequit enim alteratio cibi, totiusue eius substantiæ, ac subinde coctio fieri, nisi caloris eius proprij ac naturalis iuxta putredinis definitionem à Philosopho traditam, ab extraneo corrumpatur. Quapropter cum contingit vt natiuo calore, robore acieq; orbato, cibi percalidi, acresq; ab homine assumantur, hi, eorumue calidiores partes quæ, alioqui eodem: existinte valido difficulter euincuntur, vt inalteratę remaneant necesse est: qm̃ nequit calor hominis, qui se habet velut extraneus, vt factus, vt hebes, euincere rarefaciendo, atque auocando proprium, ac natiuum percalidæ naturæ cibi calorem. coctio enim non importat aliud, quam cibi vt cibi corruptionem, & chili insimul generationem. In quibus vero crudæ est, ac densæ substantiæ congesta congieries, ea à similis succi cibarijs materiam sui generatricem agnoscit. in his igitur quibus austrino tempore consuetus est olerum vsus, generatus propter substantiæ cruditatem, ac densitatem vitiosum huiusmodi excrementum, quod miscelam habet alterius naturæ excrementi, siquidem simul calidi, atq: acris succi cibos ingesserit homo.

Per cibos acres intelligimus hos, in quem sensum Galenus 4. sim. sapores acres videtur accipere: siue nimirum salsi existant, siue amari, aut acidi, alioue modo acrimoniam inferentes, vt mirum minime sit; si supposita austrina constitutione in pluribus mortalium percalidi ac malefici coaceruentur humores, cum ingerere edulia in dies homo soleat, quæ vel vno, vel pluribus ex his modis acria existunt, & sæpe numero cibaria assummat, quorum succus, cum vitiosus, atq: ægre alterabilis sit, cha. hostem massam procreat. hinc defunctorum cadauera rubro, subuiolaceo sæpius, vt videbantur ægri fuisse flagellati, aut viridi secundum dorsum, erant insignita colore.

Sed artificiosus quodãmodo est modus, quo cibi percalidi, aut percalidas acresq: habentes in se partes, vt et, qui succo redundant vitioso, ventriculi, atq, adeo iecoris alterationem effugiant in venisq, inuicti ascendant. etenim sicuti acres ex toto nequaquam sunt, sed temperatas etiam, ac benignas continent partes, quamuis in vniuersum sint, & dicantur acres (sicuti de aconito scribitur, quod etsi calidissimum, & acerimum sit, quasdam tamen partes tenues ac dulces continet, quarum ratione gustatum primo dulcescit) ita non secundum omnes particulas inconfecti re-

linquuntur,sed secundum eas duntaxat,in quibus vis ignea est maxima sita:quemadmodum & olera,quorum plurima, etsi crudæ in vniuersum sint substantiæ,partes tamen coctas ac raras in se habẽt, quæ perfectam à calore excipiunt alterationem. Quæ igitur partes coctiones fugerunt, eæ in profundo proprij subiecti, seu partium subiectæ materiæ elaboratarum delitescentes cum alia chili mole in iecur ascendunt, a quo insimul aliqualem in superficie roborem susceptæ,sub forma sanguinis,quamuis vitiosi, cum probo sanguine in cauam transmittuntur:ac sic in dies successiue:vt tandem in hac, eiusq;amplioribus ramis praua coagmentetur massa,quæ à tempore, per secretionem,saniorem in modum prauior efficitur,vt iam ex dicendis patebit.

Quæ specificæ superfluitates pro austrinæ constitutionis differentia generentur.

Cap. XIII.

TAm etsi prævalentis sit austri superfluitatem in genere prauã, eamque vt plurimum percalidam in nobis ingenerare:hæc tamen est,pro austri potentia in caliditate, in prauitate non semper vna.fuit enim in superioribus insinuatum,maleficum hunc spiritũ nõ semper vnum,sed vt modo validus,modo validissimus, alias vero, vt cũ pluuijs ad nos accedat,contingere.vnde triplex hinc constitutio.

Quemadmodum autem infirmior austri potentia importat minorem aeris extensiue(minus nimirum vastam, & fortasse in subiecto loco non æqualem)& intensiue affectionem:sic pauciora animantia, eademque in proprio calido leuius affecta dicit. tibi hinc de validissimo illationem facere licet:tum enim hic aerem vaste admodũ immutat,tum illi alterationem incutit valde altam,vt necesse sit,ex subiectis per quam multa animantia morbosa,illaque lethaliter fieri.inter vtrumque hoc,medium quoddam malum excogitari libet. sic quanto austris pluuijs maiorem iniunges potẽtiam,tanto statum extensiue,& intensiue morbosiorem,atque perniciosiorem succedere comperies.

Quamobrem cum sub priori austri dominio naturale animãtium calidum noxam ferat minime altam,fit quidem vt in dies superfluitates ægre,nostro modo,alterabiles relinquantur; sed interim eædẽ modicæ,quæ propterea sanguinem vitiant,ac deprauant, cum eodem in vasis magnis commixtæ aut per illum disseminatæ. adeo tamen velim putes hoc, vt sanguis hic non sit totus vitiosus, ac

prauus, sed ex eo quod partes vitiosas in sinu proprio gestet, vitiosus atque improbus sit habendus. habet vero in improbitate ista latitudinem effatu dignam, cum alias quidem sit modice talis, alias vero admodum prauus: quam maiorem prauitatem importat feditatum copia quæ tum pendere potest à constitutionis intensione, tum vero & ipsius extensione, considerata non tantum secundum se tali, sed etiam quatenus homo, postquam maleficentiam in se contraxit austrinam, in longius protrahitur, antequam à morbo corripiatur: quæ feditatum copia additamentum accipit, si victus ratio fuerit interim praua adhibita: vt id circo sanguis prauior, sit & magis crassus, vt qui plus de vitio quam de bonitate habeat, vt plurimum per calidos, & subnigri, vel subuitiosi alterius coloris: cum sit, qui modicè talis est, substantia, alijsque qualitatibus à probo parum alienus.

Vt ex hoc iam liceat nobis de excrementi natura, quod sub validissimo austri dominatu locum habet, inferre. ideo enim, quod in dies cumulatiores in venis fiant relictæ à cibis superfluitates, ob altam, quam contraxit offensam insitum calidum, fit, vt non longo interposito tempore in vnum per repudium secretæ aggregentur, ac massam constituant de se toto genere præternaturalem: quam si diutius morari in animante contingat, iam comparat prauitatis extremum. cum enim rubris iam, alibilibusq; sit expers partibus; interim etiam raræ desuper, ac liquidæ à naturali hominis, nec nō austrina caliditate subtrahuntur, consummunturq;, igneis, vt calori obsistentioribus, cum quibusdam densis aquosis, terreis per paucis, relictis, insimul commixtis ac feruentatis; vt iam identificetur, identificataq; sit materia quædā crassissima, in vnum coacta, nigra, sed vt igneo spiritu feta, quodamodo splendescens, calidissima per quam malefica, quæ non aliud vere est quam venenum. Modus quo coalescit, æmulari videtur mihi chimicas quorumdam mixtorum, aut simplicium destillationes, per quas in vnum res per quam minimam, eamq; calidissimam molem, cæteris partibus secretis, ac resolutis reducuntur. exemplum sit vinum, quod destillatum, ac rursus elaboratū in paucissimū igneum spiritum, aquāue ardētē redigitur. cognouit hāc nouā rei formā, per vlteriorē totius eius substātiæ alterationē, Hippocrates, quādo in lib. d. aer. l. & aq. de quadā sicca constitutione, & eius morbis loquens, dixit, biliosis autē infestissimū hoc tēpus existit: aliquibus ēt bilis atra fit, si quidē ꝙ liquidissimū, & aquosissimū in bile est consūmitur, densissimū vero & acerrimū relīqtur. Acerimū plurimi est inditiū ignei: aqueū densissimū, maximā arguit cōtra calorē ab extra agētē obsistētiā.

Gal. hāc constitutā materiā, vel huicsimilē vidisse se passim significat, & eius effectus subodorasse videtur, dū pici liquidæ similē esse, dum terram fermentare scribit: sed vni quatruplici humorū generi addictis, generationis modum materiam, eiusq. naturam minime cognouisse videtur: qui hanc esse atram bilem ex melancholico, atq. assato sanguine, vel bile exusta, vbiq. exclamauit.

Sed hæc, quam venenum esse statuimus, materia sæpenumero à delineata deflectit natura. etenim quibus consuetus est oleum esus rutacea, vel isatodes, aut consimilis coloris progigni solet. sic in quibus naturalis calor est fædus, vt in chacomicis, vel quodāmodo intemperatus, alia quoq. ægre alterabilia præter constituta cibaria relinquuntur inalterata: vnde materia coalescit etherogenea eaq. minus malefica. ad differentiam, quę in homine robusto, ac mordacis caloris ingignitur: hæc enim exquisita, ac maleficentissima esse consueuit. Fit etiam quandoq; vt, cum à putredine corripitur siue hęc, siue illa, non dum secretionem totalem sit adepta alias quoq. cum pars eius sit prorsus impermixta, alia inest, quæ nondum secretionem est à sanguine sortita: quo stante ex his putrescentibus accidentia producuntur, quæ, & secretam, & quæ vitiosum sanguinem sequuntur.

Porrò excrementa, quę austram sectantur pluuium, sunt, & hæc admodum calida, atq; acria: sed in genere tenuuia; & propterea à materia exquisita iam constituta in caliditate remissione. in qua substantiæ qualitate non vna sunt, sed paulo varia, pro naturalibus hominum differentijs, ac varia viuendi ratione: nec non pro status minori, vel maiori perduratione: hinc sub tali statu plura morborum genera vagari assolent.

Quem morbum parere natus sit vitiosus sanguis. Vbi triplex austrinus status citra pluuias morbosus statuitur: & obiter priuatarum febrium malignarum caussa adducitur. Cap. XIV.

IAm modo speculandum superest, quæ mala ab his constitutis excrementis seorsim producantur sumpto à vitioso sanguine exordio: circa quem illud præsciendum venit, quod, & de alijs excrementis dictum velim, non prius homini efficere, quam à pu-

tre-

tredine corripiatur. ex quo statim inferimus à prauo hoc sanguine, vbi putrescet, febrem esse expectandam. Non abberrabis autem si hanc definies continentem, ardentem in internis magis, quam externis partibus: cum capitis dolore, vigilijs, ac delirijs, vitalis facultatis labore; vrinis crassis turbatisq; ex anthematum eruptione; contagiosã ex propinquo: perniciosã malignã vel pestilentẽ, vulgarẽ. Sed singulas seorsim partes iam expendamus. Definita est continens, quoniam eius proxima caussa prauus sanguis, vt qui vnus, & in vnum fit, vbi primum accenditur, successiue continuatis flammis totus putrescit, non tantum secundum prauas partes, sed etiam probas, quæ tamen immediate cum prauis commixtionem habent, reliquo probo sanguine imputrido remanente. (ardens) ob qualitatem materię, quæ per calida esse solet, nec non crassa; cuius crassitiei ratione, cum ægre à venis magnis amoueatur, fit, vt in his maiori ex parte secundam crassiorem partem accensa (internas magis, quam externas partes affligat) tenues enim, ac dilutæ eius partes ad minora, ac minima quoq; vascula transmissæ declarant reliquum quoq; venosi generis, focum istius febris esse. Interim autem putres iidemq; densi fumi cerebrum sursum lati percutientes, atq; excalefacientes (capitis dolorem) excitant. inde intemperie calida maiorem in modum in eodem introducta (vigiliæ quoq: ac deliria) accedunt, vel si adeo crassi densiq. extiterint, vt valeant cerebrum, eiusq, meatus valde replere, coma vigil locum habet: aut quoq, phrenitis, si vlterius quæpiam putrescentis humoris pars sursum rapta, cerebrum firmata iflamauerit. Quæ accidentia non habent locum in biliosis febribus exquisitis, quippe à materia calida, & sicca, qui subleuantur fumi, tenues, & rari sunt, & idcirco extremam quamprimum subeunt raritatem, vt non sit ipsis locum in cerebrum peruenire, vel saltem illud replere: qua etiam de caussa in his ipsi vitalis facultas non solet admodum pati, quoniam fumis statim resolutis, non datur locus venosum, arteriosumq, genus, ac cor ipsum posse repleri, ad huiusce febris continentis differentiam, cuius materies densa atq, humida, sed tamen per calida existens vapores, putrescens, subleuat, qui ægre resoluuntur: vnde venis interim, arterijsq, ac corde valde repletis, vt spiritus alteretur, fędeturq. (vitalisq, facultas non parum laboret) necesse est. eademq, ratione, cum calor putris quodammodo suffocatus remaneat, fit accensa materia digeri libere nequiens, ab incluso calore agitetur, ac in se deuoluatur, vt necesse sit ab hac cõturbata & per vesicã transmissa (vrinas reddi crassas, ac turbatas) quod nõ accidit in febribus à sincerabi-

le

le pēdentibus. quādoquidē per calida ac ſicca hæc exiſtens,flāmas accenſa nitidas liberaſq, de ſe emittit, quæ nil tenebroſi, ac craſſi, imperfecteq; deuoliti relinquunt: ſicuti enim magnus ex Galeno ignis exiguuā materiā deurit prius,quā fumū excitat 3.de humor. com. 13. ita quoq; euenit, ſi quidem calida hæc & ſicca exiſtat, & propterea in febribus hiſce bilioſis vrinæ non turbatæ,non craſſę, ſed tenues, ac lucidæ redduntur. hinc cum calor harum continentium quodāmodo halituoſus,& non colliquare natus ſit; bilioſarum eſt acerimus,& colliquare natus.

Exanthemata) ſeu peticulæ,quę ſunt cutis vniuerſalis abſceſſus, huius continētis febris ſunt propriæ ac peculiares. eruptionis cuius abſceſſus tēpus non eſt vnū,ſed varium,cū ſoleant pro materiæ qualitate intra ambitum quartæ ac ſeptimæ diei comparere. harū generatrix materia non alia eſt, quā pars vitioſi ſanguinis ichoroſa,cui propter tenuitatem datur in cutem penetrare, & has efformare maculas. quod reliquum vitioſi eſt ſanguinis præ craſſitie, attenta penes vaſculorum cauitatem, in venis pro qualitate ſubſtantiæ magis, aut minus altis cōputreſcit. tranſponitur autē in cutem hæc ichoroſa pars non vt qualis ſe offert per peticulas conſpicienda,ſed vt mirum in modum à calore febrili extenuata;quæ, vbi in cutem peruenit,per ambientis aeris frigiditatem rurſus cōpacta,denſataq; maculas effingit rotundas, oſculorum cutis figurā ſequentes. ſed habent latitudinem effatu dignam, in colore, magnitudine,numero,ſitu: quas omnes differentias facit materia tenuis,vel craſſiuſcula exiſtens. tenuis minus damnandas,immo laudandas,craſſa deteſtabiles. laudandæ ſunt rubræ,exiguæ,plurimę, ſuper cutem ſedentes. Rubræ oſtendunt prauum ſanguinem parū vitij in ſe habere. exiguæ tenuitatē materiæ ſui productricis ſignificant, cuius maior pars, vbi in cutem peruenerit, ſit in aerem digeſta; portione ad reſolutionē minus apta,ibi relicta. plurimæ vitioſum ſanguinem ichoris plurimum in ſe habere arguunt. non inficior tamen paucas eſſe meliores plurimis, ſanguine vitioſo in paucitate (ęquali data tenuitate) ipſis reſpondente. Super cutē ſedere; arguunt nullam materiæ craſſitiem adeſſe, quæ alioquin liberum eidem aditum in cutem prohibere valeat. ad differentiā, quæ ſub cuticula deliteſcunt,vel obſcure apparent. Quanto ab hoc bonitatis confinio in vnaquaq; differentia magis recedunt, & ad confinium accedunt maioris prauitatis, ita deteſtabiliores ſunt. vnde cum in conſtituta vniuerſali hac febre laudabiliter cōparent, inditia ſunt ſtatum minus pernitioſum,minuſq; vulgarem eſſe. ex aduerſo pernitioſiorē,vulgarioremq;:tu tamen ſcias quod dānandæ

per

per statum leuiorem: laudādæ per grauiorem in quibusdam comparent; quando natura hominis, eiusq; victus fuerit ad subeundam austrinam iniuriam magis consentaneus, vel in hoc vitiosus sanguis coaceruatus quā primum putrescit: in illo non prius putrescat, quam prauiorem à tempore contraxerit naturam. eadem quoq; ratione per statum grauiorem elucescunt in quibusdam paucis abscessus, qui proprij duntaxat sunt status pestilentissimi: vt papulæ vndequaq; damnandæ, carbunculi, bubones, adeo vt hinc triplicem liceat mihi statuere austrinum morbosum, ac sine pluuijs statum. Primus sit febrium vulgarium continentium cum peticulis laudandis parum vulgaris (habita ratione locorum affectorum nec non hominum statui subiectorum) parumq; exitiosus. Alter febrium cum maculis damnādis, vulgarior, exitiosior. Postremus febrium cum maculis vndequaq; detestandis, nec non carbunculis, ac bubonibus, maxime vulgaris, pernitiosissimusque, de quo in sequenti capite. & sicuti febres primi status malignæ proprie sunt: ita secundi pestilentes: postremi pestilentes exacte, aut pestiferæ merentur dici. quemadmodum autem peticulæ sunt harum febriū proprijssimæ, ita in biliosis exquisite febribus minime locum habent; quoniam flaua bilis ichore carere solet, etsi aliqualem in se contineat, is etiam consummitur à febrili igneoq; calore. si quando tamen bilis sero multo diluta sit, vt pallida in pituitosis, pars serosa in grandiori febris efferuescentia maiorem in modum attenuata ad cutem amandatur, hinc efferæ, vesiculæue: cum alioquin flauæ bili aditus in cutem minime sit datus, sic Gal. 14. meth. 1. & alibi. sic experientia docentibus. Est contagiosa ex propinquo) nata inquam inficere, qui ægrotanti inseruiunt, vt astantes, ministros, domesticos: non autē qui à fomite longius sunt: propterea quod contagiosa corpuscula ex vitioso, ac putrescente hoc sanguine sublata non valeant ius totius substantiæ diutius conseruare: sed celeriter transeant, & in aerem digerantur. ad differentiam eorum, quæ à veenosa attolluntur materia, quæ aduersa de caussa cōtagiū important tēporaneū, ac distantaneū. Sed hæc res de cōtagio in sermonis processu explicatissima fiet. verū nō oēs hæ febres cōtagiosæ sūt, sed illæ dūtaxat, quæ à prauiori pēdēt sāguine.

Perniciosa) non quod omnibus perniciem afferat: sed quod in vniuersum omnes in discrimen vitę adducat, ex hisq; occidat alias paucos, alias vero multos, pro vt prauum, vel prauiorem agnoscit sanguinem. Est tandem (maligna, vel pestilens vulgaris) ad contra distinguendam hanc febrem à maligna, ac pestilenti, quæ quandoque hominem priuatim inuadit.

Cuius

Cuius priuatę febris, vt istius vulgaris ęmulę (quãdo iã fit de hac sermo absolutus) germana caussa iam paucis statuenda, cum in hac inuestigãda tantopere laborauerint medicinæ scriptores, & adhuc in tali re nondũ cõperta fluctuet iure merito medicorũ animus. Si prius breuissime, quid circa hanc rem ij senserint in medium afferamus. etenim quidem malignarum febrium priuatorum proximam, in qualitatem loci referunt, qui boni moris febrium venas, malignarum præcordia, aut loca cordi proxima sedem esse volunt. si sic esset, sequeretur quod accidentia vitalem facultatem maxime laborantem existentia semper consequerentur: quodq. interitus quamprimum adesset. Quidam alij harum caussata statuerunt, materiam esse venenosam. at ista non malignam, sed pestiferam accenderet febrem: effectusq, venenositatem semper redolentes pareret. Febrem alij malignam adstruunt esse, cum accensa in tota sanguinea massa est putredo: sed hæc febris, quæ synoca est, propria nomenclatura non est fraudanda. Maior scriptorum pars harum caussam non à qualitate loci, non qualitate humoris, sed qualitate putredinis à Galeni doctrina sic excerptam petunt. quam putredinem sordidam alij, & profundam, multi excellentem, & insignem constituunt ex hac malignitatem, prauitatem, symptomata, & quamcumq; aliam differentiam, propter quam hæ ab aliis febribus distinguntur, suboriri asseuerant, humoribus iisdem existentibus, & speciem propriam seruantibus insinuantes bilem, veluti, flauam alias putrescere benigno, alios maligno modo posse.

Sed hæc quoq: cõmunis ac maxime recepta opinio, quæ nulla, vt mihi videtur, fulcitur ratione: quæ non explicat, quam ob caussam humores vario putrescant modo, qua ratione hoc fiat, in quo hæc excellens putredo consistat, in quo differat ab alia putredine, qua de caussa tam malefica existat, cur hęc, atq, illa symptomata, hos atq; illos effectus pariat, reiicienda mihi videtur: idem enim humor non poterit non semper producere, quæ sui essentiæ propria ac peculiaria sunt, quæ eius specifica mixtio, quæ eius natura fert. effectus varii à variis sunt petendi caussis. Vnde discere hinc licet, differentiam malignarum ac pestilentialium à febribus boni moris pendere, non à qualitate putredinis, sed materiæ, quæ harum non alia est, quam quispiam ex quatuor siue naturalis, siue præternaturalis humor, illarum sanguis quidam improbus, vitiosus, qui si per cõmunem caussam ortum habeat, febres producit malignas vulgares, si per prauam victus rationẽ, aut aliã caussam priuatam in hoc, vel illo homine fuerit genitus, priuatas accendit, & vt plurimum ob qualitatem ciborum eodem modo

gi-

gignitur, quo & sanguis vitiosus, ob natiui calidi iniuriam. Sed ſi-cuti ciborum ægre alterabilium qualitas non vna eſt, ita sanguinē vitioſum inde productum non vnius naturæ, non vnius ſubſtantiæ contingit eſſe, vndè modo huius, modo illius humoris naturam quodammodo conſequitur; & minus prauus eſſe ſolet ſanguine, qui per innatum calidum ſegne redditum producitur, cùm hic ex denſis, ac percalidis duntaxat ciborum partibus, ille vero ex promiſcua materia quouis modo ægre alterabili generetur (dummodo tamen ex cibis improbi plane ſucci, vt in maximis penurijs non creetur, vt vſuuenit in peſtilenti ſtatu, de quo Galenus in lib. de bonit. & vit. ſuc. cap. 1.) & ob id febres ab hoc putreſcente ſanguine pendentes contagio carere, & in vniuerſum minus perniciosæ eſſe ſolent.

Quæ mala à malefico humore producantur.

Cap. XV.

ETſi hic humor, qui carere venenoſitate haud ſolet, videatur venenatos effectus ſtatim producturus, ab ipſa venenoſa natura primum contracta: nihilominus potentia talis degit, nec homini officit, priuſquam tota ſui ſubſtantia moueatur. ex hoc putri motu quatuor ſuboriri maxima mala comperi. febrem, ſymptomata, abſceſſus, & contagioſos effectus. quamuis febrem in duobus caſibus abeſſe obſeruauerim: alter, & eſt ſaluber, quando ab inchoato primum humoris putri mota, natura ſtatim eliminat, & in externam quampiam partem, vel glandulam totum noxium humorem amandat, vt non ſit locus febris in venis accendendæ, hoc vſuuenit cum idem eſt paucus, ſufficienter compactus, nec valde prauus, qualis in ſenibus quibuſdam gignitur. Alter eſt perniciosiſſimus, quod fit, cum humor noxius venenum ſincerum eſt, citra cuiuſpiam alterius materiæ commixtionem, qui putrens fumos quoſdam igneos ſubleuat, à quibus corrupto, ac conſumpto vitali ſpiritu, mors citra febrem celerrima adeſt. Quo caſu fit, vt, interim quo homo per quendam totius corporis languorem male ſe habere ſentit, vrinæ & pulſus minime mutentur, vt ſaltem febrem adeſſe ſignificent; ideo quod venenum in igniculos totum abiens, natum non ſit lotium mutare, atq; non debite carnes ex-

calefacere; vt inde febris innascatur. Quæ res iam soluit illud indiscussum problema, cur per pestem vrinæ, & pulsus similes sanis in nonnullis appareant. vterque hic casus per quam raro visitur.

Cęterùm febris, quæ hunc putrescentem consequitur, etsi futura videatur esse ad sensum acutissima, molestissimaq; ratione insignis caliditatis, quam huic humori assignauimus: attamen non valdè calida, non valdè ad sensũ acuta, ac molesta existit. ratio est, quoniam fumi inde sublati, densi sunt, & aliquod ius totius substantiæ sibi asciscentes. vnde nec queunt in carnes penetrare, nec calorem acrem incutere, quemadmodum fumi, qui à cęteris humoribus pręsertim vero biliosis attolluntur. etenim biliosorum calor, vbi corruptionem, quæ est illorum putredo, subit, illico tùm actuatur, tùm inquam ex contemperato minime temperatus euadit, tum percalidũ, ac valdè acrem se præbet: quoniam qualitates elementares eidem contrariæ adeo sunt in eius respectu remissæ, vt ei ipsi nequeant aduersari: quin imo ab ipso præpotentiori trahitur simul earum subiecta materia in naturam igneam, maiorem in modum rarefacta: & ob id flaua bilis sincera non solet fumosi, nec aquosi quicpiam relinquere; quando fit ipsius miscela percalida sicca, ac rara. Propterea enim à quopiam putrescente humore (& hoc obiter adaperiatur, cum ab antiquis non fuerit explicatum) febrilis producitur caliditas, quod per putredinem humoris dissoluantur ad inuicem constitutiuæ eius qualitates elementares non amplius commixtæ, ac contemperatæ, proprio, ac natiuo calore, qui alioquin erat illarum gubernator, ac moderator corrupto ad Philosophi doctrinam in putredinis definitione. quo fit vt qualitas ignea nullatenus contemperata, vt omnium actiuissima, se talis subiectis carnibus præbeat, comunicetq, qualis est: hinc homo ab hac percussus, atq; supramodum excalefactus, vt febricitet necesse est. Verùm à putrente malefico succo caliditas neq; insignis, neque acris producitur, quod calor eius proprius, ac naturalis in transitu ad putredinem non satis adeo dissoluatur, ac seiungatur à suis contrarijs, quin aliqualem cum ipsis commixtionem, ac contemperationem seruet. ideò enim fit hoc, quod sicuti ad eius corruptionem debetur prius rarefactio, & tandem à qualitatibus sibi cõtrarijs separatio: ita & contrariæ qualitates easdem prorsus passiones sunt sibi subeundum: vt propterea cùm malefico huic humori substantiæ densitas respectiuè plurimi ignei fuerit assignata, fit, vt qualitas ignea non prius seiungi possit à suis contrarijs, quã per plures ac multiplices rarefactionis gradus transierit. vnde

interim

interim quampiam cum qualitatibus contrarijs conferuans commixtionem, ac contemperationem nequit soluta, & intemperata se carnibus morbosi animātis offerre: vt alioquin diuersa de caussa flauæ bili sinceræ euenit, cuius qualitas ignea, vbi corruptionem subit, trahit statim subiectam aliarum qualitatum materiam in sui naturam, ne dum contemperationem ab ipsis accipit: sed cum de motu venenorum putri tractabitur, innotescet clarius id, cuius sermonem paucis perstrinximus. hac igitur de caussa febris pestifera parum acuta, ac molesta existit. hinc puto Hippocratem 3. in 3. febres illas ardentes vulgares per tex. 34. non acutas statuisse: nempe non ex ratione fuisse calidas, ac molestas: vt propterea referat febricitantes illos non admodum fuisse sitibundos: vigebat autem in ijsdem, vt speculari licet, huiusce ferme naturæ humor, sed idem magis dilutus. Quiuis autem sit istius febris calor, maior in penitioribus est, quā exterioribus partibus: ideo quod ob insignem crassitiem protrudi longe se minime permittit humor. in multis tamen molesta esse solet, qualiter febris, de qua est in superiori capite actum, non ratione humoris, qui ex suscepta omnimoda secretione iā venenosus est: sed illius partis, quā secerni, præueniente putredine, aut alia de caussa, datus nō fuit locus.

Symptomata, quæ putrem istius humoris motum sequuntur, ad cerebrum per consensum, & ad vitalem facultatem spectant: cerebri, sunt dolor quidam extensiuus, ac magna in somnum delatio, à qua (siquidem mors non præueniat) deliria maxima, aut coma vigil. sequuntur illa, cerebri inductam à densis, ac crassis fumis repletionem: hæc vero idem supra modum ab ijsdem rarefactis excalefactum. cui affectuum ordini consentit quoq; putrentis materiæ qualitas: cum in primis raræ, & impuræ: postmodum densæ ac percalidæ eius partes putredinē subeant: quarū sicuti est fumos attollere calidiores, ita illarū crassiores, ac tenebrosiores.

Coma vigil dupplici de caussa (maxima imbecillitate, atq; caloris extinctione per Galenum 1. in 3. tex. com. 7. omissis, si tamen ab his cōplicatus hic affectus produci posse concedendū est) locū habet, altera quando fumi densi, tenebrosiq; sunt, successiueq; tales ascendunt, vt in materia ab insigni caliditate deflectente. fit enim, vt, cum cerebrum valde repleatur, ac simul non mediocriter excalefiat, ab illo somnolētus affectus, animali spiritu immoto ac quiescente reddito; ab hoc vero vigilantia quædam innascatur. ex quibus affectibus medius quidā insurgit, qui est coma nō somnolentū. Altera quando ijsdem nitidi, igneiq; sunt, vt in humore exquisite malefico: hi enim cerebrum sursum lati insigniter excalefacientes,

spiritumque animalem corrumpentes, dissipantesque, vigilantiam per illud, somnolentum quid, per istud inducunt. vnde interim coma vigil suboritur, sub quo certissimus celeri festinat pede interitus. vnde non mirum si, qui hoc complicato affectu detinentur; simul dementes sint. & longe magis, qui hoc secundo modo, aut saltem hac de caussa affecti sunt. hinc intensissimi quidam dolores, hinc furentia, atque horrenda deliria. & quid mirum, cerebrum ipsum proprie comburitur. Venerandus Pater Elæazarius ex Pio Capucinorum Grege publico peste ægrotantium loco à Publicis sanitatis Vrbis Moderatoribus Præfectus ministrorum constitutus, dum pestis Brixianum solum dire exercebat, testatus mihi est, plures ex his sic affectis sectos comperisse, quorum cerebrum totum combustum, nigrum, arefactumque erat. Quapropter cum recte Galenus in lib. d. com. & 1. in 3. tex. com. 7. ab hoc affectu frigidos, & humidos abdicauerit humores; non tamen recte sensisse mihi videtur, quando 3. in 3. t. com. 16. & 45. scriptum reliquit, coma, cui vigiliæ, ac dementia adiuncta sunt, pendere à frigidis, & humidis succis, atque acredine ex eorum putredine suborta. coma ex ijsdem, vigilantiam, ac dementiam ex acredine eorum produci. etenim præter quam quod implicat quandam contradictionem, quod eadem pars à frigiditate, ac simul caliditate acrimoniaque afficiatur à talibus etiam frigidis humoribus, quamuis putrescentibus, acrimoniam quampiam produci posse, ratio minime consentit, maxime in cerebro natura frigido: quæ enim acrimonia oriri à materia potest, quæ frigidis duntaxat constat partibus? à qua proinde cerebrum positiuè refrigerari, insinuat nobis idem auctor, dum in frigidos humores cerebrum refrigerantes comatis caussam refert? nequit igitur concurrere ad hunc affectum efficiendum caussa frigida positiue, cum fiat, vt licet passim ab Hippocrate colligere in acutis, ac phreniticis, in quibus morbis frigidi humores locum habere nequeunt.

Vitalis facultas in pestiferis febribus ijsdem de caussis, quibus & cerebrum dupplici patitur modo. etenim si fumi crassi tenebrosique fuerint, spiritum vitalem per vasa arteriosa diffusi perturbant, fedant, conspurcant: corq; valde replentes magnum facultati vitali laborem incutiunt, hinc pulsus vndequaq; praui. at tenues, atque ignei eundem spiritum corrumpunt, sanguinemq; tenui, ac spiritali substantia priuant, vt non detur locus nouæ spirituum generationi, hic mors celerima adest. Si tamen inter vtramq; naturam ambigant, morbus in prauitate, & acutie medio se habet modo.

Ab

Abſceſſus ſunt papulæ, ſeù peticulæ, carbunculi, bubones. quo ad papulas etſi virulento huic humori craſſities effatu digna aſſignata ſit, per quam excludi videtur harum eruptio: attamen non totus talis eſſe ſolet, ſed qui vt plurimum retinet adhuc tenuem quandam partem, quæ ad cutem miſſa papulas efformat, ſed toto genere à laudandis differentes. Sunt hæ nigræ, aut violaceæ, aut virides, ſeù quæ productricis ſui cauſſæ colorem retinent. Magnæ quoniam quicquid in cutem transmittitur, præ denſitate, ac craſſitie indiſſipabile, inibi totum remanet. Paucæ quod portio, quæ tenuis eſt, & ad peruadendam cutem apta, exiſtit pauciſſima: quæ quandoq; adeo craſſiuſcula eſt, vt ſub cuticula, vel altius deliteſcat. hinc maculæ ſubobſcure, vel nulla ratione apparentes. Quod ſi humor ex toto craſſus ſit, maculæ minime locum habent, ſed collectitij duntaxat abſceſſus, de quibus antequam loquamur, aduertas quod pro papulis vndequaq; damnatis, laudatæ quoquomodo aliquando comparent, quibus minime fidas: quandoquidem efficiuntur, cum maleficus humor ſanguinem vitioſum ſocium in putredine habet, cuius tenuis pars ad cutem amandata maculas pro ſui ratione efformat. at inter has quædam ex damnatis inſidere, ac quiſpiam collectitius abſceſſus comparere ex coagmentata materia ſolet.

Papulas, quæ ſunt vniuerſæ cutis abſceſſus, ſequuntur carbunculi, ac bubones, qui ſunt abſceſſus collectitij: atq; ideo fiunt in his peſtiferis, & non alijs febribus, quod, vt viſum eſt, maleficus hic humor nō ſit per vaſa diffuſus, ſed in vnū collectus, ac coagmētatus, craſſuſq;: hinc natura, cū mouetur ſtimulata, vni motui incūbens, intendenſq;, non poteſt non etiā in vnū collectū tranſmittere: hinc tranſmiſſus ad cutem efficit carbunculū: bubonē aut glādulā.

Eſt tamen qui carbunculum efficit minus craſſus, qui bubonem craſſiſſimus: qua attenta minori craſſitie carbunculus, qui & anthrax dicitur, ſubordinatur papulis, vt qui cutaneus ſit abſceſſus: & ſæpe ad inſtar maximarum macularum comparet. & quidem eius effectrix materia ad cutem peruenire haud poſſet, ſi ex toto eſſet craſſa. hinc propterea in ſtatibus pluuijs in 2. ap. ſec. 1. & 3. in 3. vt in quibus geniti humores quandam retinebant tenuitatem, carbunculi ſunt viſi, minime bubones. non tamen in gradu quodam qualitatis ſubſtantiæ limitata materia eſt carbunculos efficere nata, ſed nunc minus, nunc magis craſſa exiſtens non vnius ſemper formæ per ſtatum efformat carbunculos. namq; per peſtem iam graſſatam obſeruati ſunt in quibuſdam maximam, ac latiſſimam quandam maculam referentes in primis prærubro, ignitoq; colore,

mox

mox violacei, ac nigri effecti, citra quampiam vesiculam, citra quampiam eminentiam. transmissa nimirum ad vascula musculorum, cuteq; obtectæ carnis virulenta materia, præ crassitie repere vlterius nequiens, sed è vasculis excidens in carnem abscedebat, diffundebaturque, quæ in primis, totam sedem conflagrans, igneo inficiebat colore: mox eius calorem corrumpens, violaceam reddebat: ac tandem eo corrupto, nigra sedes efficiebatur. hæc si interim homo non consideret, sed protraheretur, vbi maturationem qualem eius qualitas ferebat, accepisset, facilè tota integra succidebatur, iuxta illud Hippocraticum in 2. pro. tex. 9. quæ nigrefacta sunt, casura necesse est. mirum dictu est, quantũ carnis quandoq; caderet pro carbunculi magnitudine: adeo vt succisa caro ad tres, quatuor, & quinq; libras ponderata ascenderet. idem Venerandus Pater Elzearius testatus mihi est, à quodam languente molem quandam carneam fuisse sublatam, ponderis librarum septem. & quid mirum? cum referat 3. in 3. tex. 25. Hipp. per sacrum illum ignem, multis bracchium, vel totum cubitum decidisse: non nullis totum fęmur, & tibias fuisse denudatas, pedemq; totum? sed huiusmodi carbunculi fiebant vt plurimum in partibus abunde carnosis, ac sufficienter distantibus. & vt qui totum in se exciperent noxium humorem magni efficiebantur, salutemq; ægrotanti sæpius afferebant: at cum intus quicpiam præ summa crassitie, aut alia de caussa relinqueretur, intus extremam languenti ruinam procurabat. parui tamen sunt magis probandi, dummodo humorem totum, quantus iste sit, in se includant, quoniam vt arguunt de istius paucitate, sic melius semper est paucum, quam copiosum esse. At si crassior, compactiorque humor existat, qualem solent agnoscere bubones, non æque lati, sed angusti, coactique, altius tamen in carne fixi efformantur carbunculi: qui & cum quadam vesicula, vel perexiguo, seu morbillo in ulceram sæpius finiente comparent. & huiusmodi solent effici frequentius circa thoracis ac colli, aut circa viscerum naturalium regionem; ideo quod natura præ grandi humoris crassitie non sit sui iuris ad partem distantem transmittere: hinc maxime expuncta, ac sollicitata ad proximam, sed vt plurimum imperfecte, sarcinam cogitur deponere. hi autem, atq; illi hoc habent, vt non extuberent: puta hoc fieri ob maximam humoris crassitiem, nec non ob corruptionem sedis, in quam abscedit, nequeuntis ob id vltra trudere.

Porro, cum insignem comparauerit hic humor vitiosissimus crassitiem, bubones extollit: propterea quod, cum natura transmittere

mittere tam crassum, adeoque coactum humorem à maioribus ad minora vasa nequeat, conatu quodam ad glandulas sub alas, aut sub inguina adiacentes protrudit: videntur hæ glandulæ à natura fabricatæ, vt quæ in vasis inter axillas, & inguina sunt infensa excipiant, cum aliunde nequeant transmitti. multa intereat cariora naturæ viscera pluribus muniri emunctorijs, plures ipsis assignari cloacas. & quoniam natæ haud sunt tam crassa excipere excrementa, fit vt etiamsi ex toto humor inibi transmittatur, glandula tamen pro ratione magnifieri, & intumescere nequeat, sed effingat de se eminentiam paruam ad instar oleæ, vel nucis dolorificam, portione tenuuiori duntaxat ebibita. quod reliquum est materiæ inibi transmissæ, in adiacentes glandulæ partes dispergitur. quamobrem tota glandulæ, & præsertim inferna regio dolore, atque inflammatione afficitur: hinc dolor, qui pleuritium interdum æmulatur, si quidem quampiam occupauerit thoracis regionem humor, vel qui coxas obsidet, cum sub inguina fuerit transmissus.

Non inficior quod in paucis quibusdam ad liberalem, ac perfectam extuberationem haud perueniant, fortasse cum humor paucus, idemq; minus crassus, ac maleficus: quibus quidem similes mihi videntur, qui priuatim quandoque hominem corripiunt: hi autem tùm minorem includunt prauitatem, tùm minus exitiales sunt, quam vulgares: in genere tamen maligni sunt, dico qui in febribus putridis comparent, qua ratione non sunt, vt simplices tumores attendendi, sed vt signa, & germina prauarum collectionum sunt audiendi. quemadmodum illos agnouit 2. in 6.t.10. coronatus senex: quibus idem respiciens in 4. aph. 55. scripsit in adenum tumoribus febres omnes malæ præter diarias. quoniam etsi ad glandulam pars quæpiam de materia morbifica transmittatur, maior tamen pars in vasis retenta præ copia, aut alia de caussa, febrem succensa putridam efficit.

Non raro etiam visi sunt per præcessam pestem tumores iuxta aures facti, sępius in mulieribus, quibusdamq; pueris: in quibusuis autem fierent, etsi tantam materiæ crassitie tantam prauitatem, quantá qui sub inguina, aut axillas non præseferrent, quippe ex his plurimi carbũculosa inducbantur natura, attamẽ nõ minus exitiosi erant, quam isti, indicantes non ob aliud fuisse excitatos, quam ob vim impense igneam, in visceribus naturalibus vigentẽ, quę potuit crassos sursum ferre humores. in paucis etiam quibusdam visi sunt bubones in alijs partibus corporis glandulosis, sed, vt qui essent vt plurimum germina venenosæ collectionis, exitium portendebant.

Et

Et quamuis ex qualitate substantiæ praui istius humoris videatur vel vnus tantum carbunculus, vel vnus bubo expectandus: nihilominus sæpius in homine præsertim saluando plures comparere solent: fit hoc, cum in visceribus, aut non vna, sed multiplex, aut eadem substantiæ diuersæ est collectio. hinc alter carbunculus in partibus supernis, alter in infernis, vel alia corporis parte pro commodiori naturæ sede excitatur: vel hinc bubo, & carbunculus: aut bubones & carbunculi in eodem languente efficiuntur. Quandoq; fit, vt non in externam, sed internam quampiam partem humor abscedat; quo casu languens magno afficitur cruciatu, sub eodemque quamprimum opprimitur.

Hæc cum sint mala, quæ á validissimo, cum vacuitate pluuiarum statu austrino, producuntur, ac pestem exitiosissimam efformant, iam puto hanc apte nos posse definire, quod sit morbus maxime vulgaris, perniciosissimus, contagiosissimus, per febrem pestiferam, atque abscessum quempiam valdè prauum elucens, á malefico, per statum genito, ac putrescente humore productus.

Quos morbos vitiosi humores per pluuium austrum geniti pariant.

Cap. XVI.

QVamuis humoribus istis generalis quædam tenuitas, atque insignis caliditas, acrimoniaq; fuerit ascripta; vt ob id videantur morbi vnius speciei, vnius naturæ suborturi: attamen cum limitatæ in quodam gradu minime sint qualitates istæ pro hominum differentijs, ac præsertim pro breui, aut diutina status perduratione, quæ copiam desuper eorum minorem, aut maiorem importat, propterea vt morbos, qui ex his producuntur, distinctè colligamus, statum hunc in breuem, ac diutinum diuidemus. breuem, quem æstate duntaxat, diutinum, quem per totum annum dominari contingit. Priori modo expectandi sunt cutanei abscessus non solum quod excrementa tenuuia, simulque percalida in venis contenta ad cutem tanquam proprium emunctorium amandentur: verum etiam quod æstiuus calor aduocet, trahatq; hos ipsos in externam corporis circumferentiam. præter rationem, atq; experientiam, extat in 4. acut. tex. 1. auctoritas.

causon

causon fit, cum venulæ exsiccatæ acres ac biliosos ichores æstiuo tempore ad se traxerint, accedit quod cutis, ac corporis circumferentia inter alia membra status istius maleficentiam persentit: scimus autem ex Hippocraticis Galenicisq; scitis ad sedes debilitatas, ac male affectas excrementa potissimum amandari.

Qualitas horum abscessuum ex qualitate excrementorum est conijcienda, cum enim calidissima sint, fieri minime poterit, quin quendam combustionis sensum abscessa inferant: adeo vt homo, cui tale quid contigerit, videbitur sibi sub cute vri. Pluribus fient etiam carbunculi, sed ijs quorum calor mordax existens, potens est excrementa, vel quasdam excrementorum partes, absumpta quadantenus humiditate, incrassare, ac cogere, ambientis aeris caliditate operi manuum porrigente. quibus omnibus par est febrem adiungendam, essentialem, aut symptomaticam: illam, cum venosum genus haud probe expurgabitur: hanc ex inflammatione, atq; efferuescentia pendentem. de cœtero non alius morbus, non alius abscessus decumbendo, aut effluendo est expectandus: propterea quod vbi status breuis, ibi excrementorum paucitas, cuius ratione transmittenti naturæ, quo vergit, de facili, attenta tenuitate, obediunt.

Exemplum æstiuæ huius constitutionis præclarum habemus in 2. ep. sec. 1. vbi sic habetur, carbunculi in Cranone æstiui, pluebat in ardoribus aqua larga: contingebat hoc per totum, & maxime ab austro. subnascebantur in cute sanies dum autem concipiebantur, calescebant, & pruritum inducebant, deinde pustulæ velut ab igne exustæ excitabantur, & sub cute vri sibi videbantur. ecce pluuia & austrina constitutio, cum æstate coincidens; ecce vtriusque sortis abscessus.

Posteriori modo alios, sed parum diuersos expectabis morbos: quorum qualitatem, vt cum ratione colligamus, noscere prius oportet, constitutionum diuturnitatem facere ad copiam excrementorum: vnde supposito anno austrino pluuio de maxima excrementorum tenuuium, eorumdemque percalidorum, ac in pluribus impense acrium congerie est arguendum. Rursus naturam in tali congerie, quo tempore ab his putrescentibus stimulari contingit, ad plura transmittere emunctoria: maxime ad ea, quæ proximiora sunt, sibi ipsi commodiora, & ad eadem excipienda magis parata. transmittit, si sane nihil prohibet, quod inter cętera excrementorum crassities est. vnde cum in nostro casu tenuuia hæc sint, varios attendes abscessus, ad aluum, ad vesicam, sed præsertim ad cutem: talia enim vt percalida, atque

acria facile permittunt se ad hoc vniuersale emunctorium amandari. ad aluum, & vesicam, ea præsertim concurrere scias, quæ ex sui natura ad hæc emunctoria vergunt, ea inquam, quæ vt liquidiora, minus quoq; calida, sed ponderosiora sunt: vt ex hoc intelligamus, abscessus, qui per effluxum fient, non magnam caliditatem, acrimoniamque: qui per decubitum in cutem, summam caliditatem, maximam acrimoniam, subindeque exulcerationem. & exesionem esse importandos: adde tu quod maiorem caliditatem excrementa concipiunt conclusa, quam per latam viam dilabentia. conclusa dices, cum euasculis excisa, dilapsaq; in carnes infiguntur: ad differentiam cum per intestina, & vesicam effluunt. vt hinc, si magis specifice omnes huiusmodi abscessus sint definiendi, dicendum sit, qui in cutem excitabuntur, non alios fore, quam sacros ignes, vlcera inquam putredinosa, serpentia, carnem depascentia. qui ad aluum, erunt dysenteriæ, fluxiones biliosæ, pingues, tenues, crudæ. qui ad vesicam vrinæ potum excedentes, vitiosæ, turbatæ, vel tenues. multis etiam fiant herpetus, nec non carbunculi, in ijs scilicet, in quibus excrementa incrassationem, ac sufficientem coagmentationem comparauerint. & propterea æstate potissimum grassabantur istiusmodi abscessus. vnde morbosissimi istius status aspectus fulgebit præsertim per cutaneos huiusmodi decubitus.

Non aberrabis autem si tam ijs, qui inquam effluendo fient, quam his abscessibus febrem concedes aliquam, quando profundum corporis probe non expurgabitur: quod tunc præsertim vsuuenire putabis, cum natura tenuiori liquidioriq; parte per aluum euacuante, crassiorem noxij humoris retinere in se cogetur: quo modo ægrotus feret laboriosè morbum, à febre & alui incommodo valde fatigatus, & sub quo tandem deficiet: cum alioquin abscessus in cutem, si totum illum in se excipiet, dummodo non retrocedat, certam homini salutem afferet.

Et quamuis congestæ austrinæ superfluitates, ob copiam, atque earum tenuitatem huc, vel illuc abscedere natæ sint, in multis tamen, fortasse contrarijs de caussis, in venis retentæ febres varij generis, præcipuè vero ardentes, attenta insigni illarum caliditate, generabunt. Quarum ardentium focus, cum soleat esse penitiora vasa, ratione aut obstructionum, aut præsertim crassitiei illarum, intelligimus has potissimum inuasuras illos esse, quorum calor, vegetus, ac mordax existens, poterit redundante consumpta humiditate, superfluitates incrassare; vnde contraria ratione, arguimus pueros, atq; impuberes ab alui incomodis esse molestaturos.

Cuncta

Cuncta autem hæc erunt difficilis iudicij, à vigente constitutione excrementorum copia, nec non carnium discrasia pendentis.

Habetur hæc morbosissima constitutio 3. in 3. per statum illum austrinum pluuium . si quis istius historiam, morbosque vagatos legere voluerit, facile comperiet, quæ cuncta cum ratione nos excerpsimus, cum experientia, effectuq; ipso plane congruere.

Si quis quæret, cur per statum æstiuum pro sacro igne combustiores illæ effectæ sunt. is sciat ratione temporis æstiui maximã humores contraxisse caliditatem: at ob status breuitatem, non potuisse humiditate exui æque, ac qui per annum statum geniti sunt. vnde hi, vt crassiusculi, & acriores potuerunt serpens vlcus, illi vt liquidiusculi efferuescentiam, ac combustionem inducere.

Vnde hic firmissimum intensissimæ caliditatis venenosi humoris, per statum sine pluuijs austrinum geniti, elicio argumentum. etenim si per pluuium 3. 3. calidissima, atq; acerrima producta fuit materia, quæ potuit carbunculos, herpetes, & deposcentes morbos parere? si rursus per statum 2. ap. sec. 1. alia materia breui admodum tempore fuit genita, quæ carbunculos, atq; combustiones inducere potuit: etiamsi ratio exposcit, vt istarum materierum caliditas à pluuijs esset non parum castigata, quid superest nobis excogitandum de venenoso humore, veneno dico per statum citra pluuias genito? sane infici minime potest, quin in extremo quodam caliditatis consistat, cuius ratione, venenorum vere æmulum, in animantibus venenosos producit effectus.

Quamobrem non video quo iure, quaue ratione medicinæ scriptores à Galeno edocti, caussam carbunculorum, qui tantam abscondunt prauitatem, qui tantopere exitiales sunt, qui ignem vndequaq; expirant, qui statum pestilentem designant: quorum effectus per summam elucent putrefactionem, in vnum crassum, & vlterius excoctum, vel feruentem melancholicum sanguinem referant. sed hæc reiectanea omittamus.

Interroganti autem, fuerint ne contagiosi deposcentes illi morbi, an non. Dico fieri nequaquam posse, quin extiterint contagiosi per immediatum contactum, non autem ad distans: ideo quod materia illorum extitit calidissima, atq; acerima. consistit autem contagiositas in calida, atque acri materia. & forsan ex hoc contagio ægrotarunt illi de quibus in tex. 22. sic dicitur. multos quidem sacer ignis, cum occasione ex quibuslibet, & admodum paruulis vlcusculis in toto corpore accidebat. Non ad distans, quoniam istius contagij productrix materia vult alioquin crassa, ac densa, non rara, atq, humida esse, vt suo loco videbimus.

Et cum non aliud fit, quantum ad noſtrum inſtitutum attinet, quod ad explicationem peſtilentium conſtitutionum faciat, huic capiti, ac ſimul huic libro finem imponemus. Si tamen prius viſum fuerit, quæ extiterit germana peſtis iam graſſatæ cauſſa.

Auſtris dominantibus, in tectis, quotidianis præſertim incendijs expiatis, domorum ſublimioribus vitam degere; cibos, nullam penitus acrimoniam in ſe habentes, oleribus reiectis edere ſetaciumq; ſub inguina in coxa, vel coxis inuſtum geſtare, ſaluberrimum ſentio. interim pijs priuatis, ac publicis precibus, pœnitentijſq;, qualiter de Niniue in Sacris chartis habetur, Cœlum placetur. quandoquidem peſtilentias Cœlitus datas pie agnoſcimus.

Quæ cauſſa extitit Peſtis, per Italiam immaniter graſſatæ cauſſa anno 1630. & partim 1631.

Cap. XVII.

EX cunctis, quæ de auſtrina conſtitutione Superius ſunt definita, iam ſtrata via mihi videtur, qua cognoſci poteſt, quæ fuerit tam immanis peſtis cauſſa. hanc etenim à maxima temporum mutatione, quæ annis 1629. & 1630. prædominata eſt, petendam eſſe conſtanter affirmo. non me latet, peſtis iſtius cauſſam vulgariter, & quod magis eſt à pluribus Medicis vni comportato contagio fuiſſe aſſignatam verum videntur hi mihi in anguſtum ſe redigere, & minimum Hippocraticam Galenicamque doctrinam curare, quæ vult communiſſimum morbum communiſſimam cauſſam agnoſcere, hanc autem tempora eſſe maxime mutata. Non alia igitur extitit hæc maxima temporum mutatio, ob quam tot mala euenerunt, quam diutinus, ac ſumme validus ſtatus auſtrinus. compertum eſt enim, æſtatem anni 1629. pluuiam, atq; calidam extitiſſe, at pluuiæ cum calore iunctæ ſtatum auſtri æmulum efformant: hinc Vrbes quippe in quibus calor, ob ventorum tranſpiratum minime liberum, maiorem in modum polleat, à malignis; nec non peſtilentibus quoq; febribus eadem æſtate vulgariter correptæ fuere: quæ etſi peſtilentes exacte minime fuerint, in quibuſdam tamen viſæ ſunt maculæ nigræ; nec carbunculi prorſus ſiluere, vt etiam Bergomi; ſed hoc prænuntio

nuntio minime animaduerso, de hisce nullus abijt rumor: qui abscessus certissimè testati sunt, austrum quoddam simul dominium tunc temporis habuisse.

Hæc æstas sicuti caussa extitit, vt multi maligne, ac pestilenter ægrotauerint, quandoquidem non pauci interiere, ita potuit cæterorum animantium corpora disponere, vt facilius ab austro sine pluuijs subsequuto, ac contagiosissimæ postmodum pestis caussa, afficerentur. Etenim arcturo statim oriente, atq; ipso autumno calores accessere, qui comitem habuisse austrum indicarunt, vt non de more aborti; hyems lexis, quædam tonitrua. non ninxit, parum pluit. rursus ver calidum austrinum: circa medium quædam pluuiæ: æstas feruens austrina, pluuiæ perpaucæ; in qua nihilominus ob austri humiditatem quamplurima insecta præter morem genita; frugesque, ac cerealia grana putrefacta, linumq; ac fęnum moxescentiam quandam sunt perpessa. illud etiam certum est, quodque à non paucis fuit obseruatum, quod interim venti Etesiæ, qui alioquin in vigore æstatis spirare soleat, siluere: aerq; summæ serenitati minime respondit, qui caligine non nihil videbatur consperfus, quod est Hippocrati in lib. de sac. mor. dominantis austri effectus. autumnus calidus, & ab æquinoctio pluuiæ lenes.

Hæc cum fuerit series austrinæ sine pluuijs constitutionis, morbus hyeme 1630. eluxit: & primum Palatioli erupit: vere maiorem in modum creuit: quo tempore Hospitaleum de eadem lue fuit notatum. Brixiæ, ac vndiq; per Brixianum solum, cum eodem tempore omne morborum genus sileret: nihilominus cuncti ob impendentem, ac pullulantem iam pestem trepidabant, ferme certissimi aduenturam. visæ tamen sunt sparsim in paucis quibusdam febres pestilentiam redolentes, à quibus inter alios correpti duo egregij viri Franciscus Cuccus I. V. Doctor, & Thomas Sandrinus Pictor, sublati sunt. nempe huiusmodi febres in ijs primum excitatæ fuere, in quibus ex occasione humores concreti à putredine correpti antea fuere, quam coagmentationem, ac maleficentiorem naturam contraxissent: qua postmodum à statu, & mora in multis comparata, æstate ineunte pestiferæ eluceslere, cum vitiosissimis papulis, ac collectitijs abscessibus: at in pueris, veluti in quibus humores coagmentatam crassitiem comparare haud soleant, raro collectitij, sæpius papulæ vicebantur. & hoc sit tibi maximum insignis sine pluuijs austrinæ potestatis argumentum: quando proprissimum sit in pueris succos liquidiores esse, & ob liberalem ichorem sibi associatum in cutem extuberando

rando variolas; non peticulas præsertim vitiosas; crassitiei eorum argumentum, efformare.

Cunctis autem hę febres fuere mortiferæ, præsertim iuuenibus, ac ęstate florentibus maxime autem omnium infantibus, ac pueris; qui si non prius, intra ambitum tertiæ, & sextæ tollebantur. sed & ex ijs quosdam celerima, atq; inopinata mors opprimebat, inducta à venenosis igniculis cita spiritalis substantiæ, corruptione: ex his autem, qui vlterius protrahebantur multi illicò, cum nil tale putarent, à liuore, & quodam rigore correpti opprimebantur, spiritum maxime fętentem expirantes.

Interim praua elucescebant symptomata, præter, ea, quæ in decimoquinto capite sunt enarrata. etenim quibusdam præsertim fęminis circa viscera dolor maxime molestus fiebat. An quod excitabatur à densis, ac iugibus fumis, qui ob densitatem sui resolutionem non inuenientes, retenti viscera maxime extendebant. An quod à crassis, ac maleficis succis transitum per iecur obnixe quærentibus dum nitebatur natura profundum corporis expurgare, & nocentia à se repellere.

Quibusdam mortiferæ, ac sæpe incessantes sanguinis effusiones per nares, per aluum, vesicam, ab vtero. An quod hic erat sanguis ex toto prauus, qui accensus ob vim impense igneam exitum sibi efficiebat, quo exitum faciliorem comperiebat. quidam, cui secta fuit vena, cum sanguis sisti minime potuisset, animam pro pecunia barbitonsori erogauit. quibusdam tamen paucis in processu morbi contulere. Mulieres vero, quibus ab vtero sanguis excernebatur, dum abscessus fiebant, omnes tollebantur.

Multis tractus vomitorij. An quod fiebant ob maleficum succum ventriculum lancinantem, qui tamen ob crassitiem, ac ponderositatem subuehi non valens, intus retinebatur. pueris tamen quibusdã etiam per vomitum nigrorum excretio sub mortem facta est.

Ex omnibus hi, quibus lingua fiebat sicca, aspera, & nigra: quibus maculæ nigræ, aut virides: quibus vrina crassa turbata, aut praui coloris, præsertim tollebantur. certam quoq; ferme mortem portendebat, cum quis in morbi principio extendebat se, qualiter solet homo, qui à sommo expergiscitur; aut cum quis per morbum sibi nares confricabat. Pessimi erant bubones violacei, aut nigri igniti. carbunculi in eminentia perforati, si quidem sanguinem, & aquam emittebant, bonum: si exsiccabantur, & duri fiebant pessimum. Ex his, qui à carbunculis corripiebantur non pauci si quartam pertransibant, saluabantur; sed in

quarta

quarta deliria fiebant maxime. erant ex delirijs multa deambulatoria.

Cum igitur hæc esset prima morborum facies, mox per contagiosa communicata corpuscula morbi alij excitati sunt: vnde simul & eodem tempore horrendam, ac vastam effecere cladem: vt nemini dubium esse possit, quin contagium in hac peste maxime viguerit. qua de caussa ex morbis, qui postremo sunt grassati, plurimi per contagium producti esse arguebant, in ijs maxime locis in quibus studium separandi sanos ab infectis, atque vel tollendi, aut expiandi fomites minimum habitum fuit.

Sed cur, quo tempore pullulabat, sæuiebatque hæc pestis, morbi duntaxat pestiferi visi sunt. An quod cum auster dominatur, vt calidus & humidus, viscerum maxime vero iecoris temperies ad nullam intemperiem mutatur, ex qua alioquin exuperantes humores, morborum feraces gigni possint, vt alias vsu venire solet: vnde vna duntaxat malefica colluuie suborta, morbi hanc vnam sectantes geniti sunt. Si quis enim humorum, qui per anni tempore redundare solent, generatricem caussam recte perpendat, inueniet hos sub statu austrino locum habere non posse. flauæ enim bilis generationi obstat austri humiditas: pituitæ caliditas, & melancholiæ caliditas & humiditas: vnde prauum & horrendum signum, cum spirante austro morbi omnes silent, vt vsuuenit cum pestis ista imminebat, cum pullulabat, cum sæuiebat. tu vero hinc colligas, si fera hæc à comportato producta fuisset contagio, alii quoq; morbi essent visi. & qui concreti fuere, non extitissent austrini. Etenim si conferas hos, cum iis, qui in 2. sec. 1. & 3. 3. ep. sunt grassati, facile comperies minimum inter se dissimiles fuisse, & differentiam, quanta ista fuit, statuisse materiam non naturæ, sed qualitate substantiæ paulo differentem, vt quæ vnam agnouit sui productricem caussam.

Comprobat hoc vulgaris lues, ac clades, quæ sæuijt inter hominum genus, vt alia omittamus animantia: at hæc sicuti testatur aerem maxime mutatum, ita excludit comportatum contagium. alioquin qua ratione mulier hæc atque illa, quæ è domo egredebatur numquam: illa atq; illa familia, quæ intra suos lares admittebat neminem atque ex suis exire quempiam non permittebat: illud oppidum, illa Vrbs, quæ occulatissima nullum aduenã excipiebat, à morbo primũ fuissent correpta? nihilominus innumerabiles sunt casus inuasionis morbi, & hos potissimũ pullulante peste in considerationẽ voco, quos tamẽ nulla de excepto cõtagio suspicio vindicare potest. Veh nobis, si excitari pestis per vnũ cõtagium

tagium possset: æque enim esset affirmandum, per quam minimam infecti fili particulam, vel vnum duntaxat ægrum, totum penitus terrarum orbem coinquinare posse, ex hoc vno in plures, ex pluribus in totam ciuitatem; ex vna hac Ciuitate in Prouinciam; ex hac tandem in totum Terrarum Orbem contagio communicato. Etenim, & vt vnusquisque illud sciat necesse est, quod ex ijs duntaxat corpuscula attolluntur contagiosa, in quibus venenum genitum est: adeo vt quos ex his infici contingit, alios inficere minime valent, vt suo loco demonstrabimus. alioquin re vera numquam cessaret contagium, vbi semel incepisset, sed continuatim serperet, propagareturq; ad vnum ferme hominem.



LIBER

LIBER SECVNDVS

De Peſtilentibus, ac Venenoſis Morbis.

Quid actum, & quid agendum ſit.

Cap. I.



Vm ſit iam modo de auſtrina cõſtitutione quatenus cauſſa, ob quam in animantibus venenum aliquandiù generatur, pertractatum; in ſecũdo hoc libro occaſione iſtius veneni iam potentialiter conſtituti; quidditatem ſtatuemus venenorum omnium; eandem ad actum reducemus, & vndequaq; examinabimus in genera, ac ſpecies diſtinctam.

Quomodo præternaturales, ac venenoſi humores citrà noxam in animantibus diù degant, & quando putreſcere eos contingat.

Cap. II.

ANtequam ad id, circa quod primario verſandum eſt, deueniamus, paucis eſt huic vtriq; propoſitioni ſatisfaciendũ. Prior eſt, quomodo tûm preternaturales vt flaua bilis, tum prĕſertim venenoſi humores in venis ſine animantis noxa diù degant. Etenim quibuſdam eruditiſſimis viris, inter quos fuit etiã

doctissimus, ac vir in medicina maxime insignis Thomas Minodous, quem olim præceptorem audiui, in suo de febre maligna tractatu, visum est, venenum propriè tale generari nequaquam posse: deesse materiam ex qua generari, deesse caussam, quæ generare possit. Et genitum cur non statim mouetur? vires in animans non exerit? quid feriatur? sed cum his quæ priori loco dicuntur abunde sit satisfactum, reliquum est, vt ostendamus quomodo venenum in homine iam concretum diù, ac quandoque diutissimè citra vllam sui notam delitescat. Nihil autem habet difficultatis res ista: ad hoc enim vt humor quispium, aut venenum officiat, necesse est vt ad actum perducatur: ad actum vero tunc perducitur, cum per putredinē dissoluitur. Quamobrem intelligimus humores præter naturales, nec non uenena quo ad à putredine uindicantur, & propriam seruant consistentiam, hominem minime lædere. Sic aconitum, arsenicum si manibus contrectentur non officiunt, quin nec si per os assumentur, donec non fuerint a calore animantis actuata, sic uiridem, & atram, & isatodem bilem absque ulla prorsus sui mora in homine per multū sępe tēpus latitant. Casus, Nobilis Vidua Brixiensis ex familia Zanibona tpe, quo praxim factitare ediscebam, nocte cæpit conflictari, mane languores ingrauescebant, vomitus materiæ qualis amurca olei est. circa horam diei vigesimam secundam, dum duo præclari, Medici de proroganda imminente morte consulunt, affligentibus adhuc vomitibus, efflauit animā, naturæ excretæ copia profectò ad pondus librarum sex ascendebat, facilè indicans longe collectā fuisse, & tunc solummodo infensum se obtulisse, cum est motū putrem nacta. Debent igitur, ad hoc vt officiant, puta naturales humores putrescere, totaue moueri substantia.

Vnde posterior insurgit propositio, quando putrescere illo contingat, pro cuius cognitione reminiscendum est, putredinem in re quapiam propterea eccitari, quod ab extraneo calore agente eius rei proprius, ac naturalis ad Aristotelis doctrinā, corrumpitur. hoc stante, cōsiderandum nobis est, nullum aliū calorem in corpore nostro integra fruente sanitate vigere præter natiuum, vt iam satis constare putem, excrementitius humores, cum à putredine corripiuntur, ideò corripi, quod à calore hominis repercusſi supra propriā temperiem, adeò excalefiant, rarefiantque, vt inde calore eorum proprio ac naturali corrupto putrescendum sibi ipsis sit, verum etsi res sic se habet, fit tamen vt plurimum, vbi iam geniti sunt, vt diù à putredine via dicen-

dicentur, ideò quod non satis excalefiant, vt motum putrem sint contracturi, quod beneficium agnoscere potissimum à sanguine comperio: quandiù enim cum ipso fuerint permixti, aut per eiusdem disseminati, & abunde diluti, non solent a corruptione appræhendi: quoniam hac ratione calorem experiuntur uaporosum, ac minime sufficiētē. at cū secreti inpermixtiq; sunt facti, putredinem, abunde excalefacti, subeunt: quod illum excipiant acrem, & sine medio in se agentem.

Attenta igitur hac humorum cum sanguine permixtione; aut impermixtione, quæ illorum ineptitudinem quandam, aut aptitudinem ad putrescendum important; seu mauis caloris natiui hominis impotentia, vel potentia ad excitandam in eis putredinem, iam liceat de tempore putredinis quicpiam definire.

Etenim cum verè, & ineunte æstate venæ sanguine abundēt, humores si qui sint, aut gignantur reiectanei, a putredine, abunde diluti, facilè arcentur: hinc ver hac præsertim de caussa saluberimum. æstate postrema, & autumno, quod paucus sanguis sit, putredinem non ægre subeunt: hinc hisce temporibus plures febres.

Huic rei respicientes, intelligimus tunc quoque ad putredinē subeundam fieri paratos, cum calor hominis adauctus, aptus iam est ad eorum corruptionem, velut cum qualitatiue est maior factus, vt æstate media postremaq; maxime si feruens extiterit: hinc solet tempus hoc febribus maxime abundare, occasione sibi pręstita, quod tunc biliosi in redundantia generentur humores. Aut cum vigorosior, ac luxurians est redditus, vt per largiores cęnas, ac liberalem vini generosi potum: hac de caussa quidam in morbum incidunt, & hoc est quod Hippocrates in 1. & 3. ep. multos, & relatis ęgrotis ex occasione igne correptos fuisse scribit. non enim caussa morbi proxima extitit liberalis ille potus, sed humores iam antea geniti, & ex occasione copiosorum poculorum accensi. Ac rursus, cum per prohibitam transpirationem euadit fuliginosus: qua ratione non solum pręternaturales, sed etiam naturales putrescendi locum nanciscuntur.

Addamus quod, cum humores motu locali moueri cōtingit, motum etiam putrem sortiri solent, agitati, excalefactique, vt per solutiuum minime conueniens: itidem si à vasis magnis in parua fuerint transmissi: quoniam etsi in magnis vigeat magis calor, in paruis tamen circumferentiæ acutiorem experiuntur,

vt impermixti,& minime irrigati. hinc sub æstati feruenti frequentes tertianę, quod biliosi humores ad corporis circumferentiam quodamodo auocati concurrere, vt ex 4.auct,tex.1. Id etiam cum vsuueniat ob validas exercitationes, fit postmodum, vt homines in morbum incidant,& putent ob laborem à morbo fuisse correpti, nescientes quod genita per antea erat caussa: morbi inquit Hippocrates in 1. d. diæt. sensim colliguntur, & aceruatim apparent. cui rei respiciens 5. in 6. idem auctor vndequaq; admirabilis, si impurgatus, dixit, laborauit, vlcera erumpunt.

Ve ex his liceat tibi inferre, quod si quando præternaturales humores, æstate,& autumno geniti, à putredine vindicantur, potissimum vindicari sanguinis beneficio, a quo veluti proteguntur: hinc cæteris paribus, qui sanguine abundant hisce temporibus salubrius degunt, quam biliosi: sed ex aduerso verè obnoxij sunt cutaneis quibusdam abscessibus, quos in 3. aph. 20. recenset Hippocrates: quorum generatricem materiam, si quis rectè attendat, comperiet non aliam esse, quam biliosam, aut atrabilarem superfluitatem non vere, sed æstate, aut autumno superiori genitam: & vere subsequuto, ob sanguinis redundantiam, nec non temporis qualitatem, ad cutum transmissam.

Quo sane tempore, si contingat, vt continens quæpiam febris hominem inuadat, non errabis si talem febrem mortiferam pronunciaueris: inditium est enim, productricem eius materiã crassissimam, eamque multam esse: ob quam propterea crassitiem amoueri à cæcis vasis, & aliunde transmitti minime potuerit: cum alioquin humores à sanguinis copia id beneficij accipere soleant, vt diluti in hanc, vel illam partem facilè transportentur. vrinas in his obseruabis, quæ quasdam densas, & vitiosi coloris gestant nebulas, ad interitum vsque ægrotantis, si materia extiterit valde lenta, perseuerantes vel quæ grandiores, si illo lentore caruerit, successiuè factę tandem totum occupantes vrinam turbatam,& crassam, obscuramque reddunt. quam vrinam, illustrationem accepturam, minime putes: quoniam præterquam quod talis materia difficilis est resolutionis, multa etiã est, vt prius sit sibi languens, viribus resolutis, succumbendum, quam ex toto sui consumptionem, aut alia ratione digestionem adipiscatur; cuius multitudinem hinc arguere licet, quod adeo de se venas oppleuit, vt potuerit, nullatenus irrigata immediate calorem sui corruptiuum excipere.

Vt

Vt ex his omnibus, computo quodammodo facto, iam colligamus, præternaturales humores natos esse quocunq; tpe putrescere, maxime aũt postrema ęstate, atq; autũno: minus verè, ac tandem hyeme, quoniam hoc tempore in vasis magnis delitescunt, in quibus, etsi maximus vigeat calor, attamen facilè obsistant abundè irrigati, dilutique à sanguine, qui in his multus semper inest: non inficior tamen quod hyems non sit longe, non febrium saltem essentialium, sed aliorum morborum ratione, vere morbosior.

Sed quomodo, obijcies, venenosi humores poterunt vnquam à calore nostro ad putredinem induci, ob densam illorum substantiam; ob quã propterea locũ in nobis sibi vendicarunt. Dic, quod, quo tempore ob densam sui substantiam locum in animante inuenerunt, cõsiderandi ueniunt non ut succi uenenosi, sed ut partes cibi uitiosę: quę etsi, ob innatum calidum segne factum, inuictę remanserint, ab alia tamen, in alto subiectæ materię existentes, fuerunt humorali materia, quo minus actuationem reciperent, tutatę. at cum iam in humores concretos facesserunt, non ęgre calori hominis ab extra agẽti cedunt, tum quia illum experiuntur immediate in se agentem; tum etiam quia eorum substantia, ut calore abunde fęta rarefieri luxuriat, ubi sufficienter sit concalefacta: quemadmodum uenena, quę inter assumpta, uel ab extra incussa à calore hominis, etiamsi comparatiuè remisso, illicò actuationẽ accipiunt.

Quomodo venenum tùm in homine concretum, tùm cætera illi occurrentia venena ad interitum transeant. Vnde quidditas veneni ad actum reducti, et Hippocratica materia turgentis natura in lucem prodit.

Cap. III.

NOn alia, ut sentio, de caussa uenenorum ad actum perductorum natura, atque agendi modus Philosophos omnes, ac Medicos latuit, quam ob eorum consistentium non perspectum calidissimum temperamentum, ac modum, quem ser

uant

uant iſta ad interitum tendentia,& quamuis ex his quidam legitima non fraudarint natura, nihiloſecus modum eorum corruptiuum, in quo uno ſumma rei,cognitio inquam naturę eorumdem actuatorum,agendique modus conſiſtit,minime perſpexerunt.& propterea putantes percipi hæc ab homine per philoſophica principia nequaquam poſſe,naturam noluiſſe miſteria hæc in ſe occulere,in vnum cuncti conuenere, quę,qualiſq; de his haberi poteſt ſcientia ; illam eſſe ab occulta petendam proprietate,ab arcana qualitate. Sed hoc quod philoſophiæ detrahit,medicinam deturpat, omiſſo, eſt modo quæſtioni propoſitæ ſatisfaciendum.Suppoſito in primis,conceſſoque venena omnia calidiſſimo eſſe prędita temperamento; talia vero eſſe, quamprimum oſtendetur, & ex dicendis in ſermonis proceſſu clarius patebit.velim tamen vt,cum hæc cuncta calidiſſima eſſe ſtatuimus,tu calidiſſimi appellatione ea non fraudes, quę ab extremo ſatis diſtant: quod temperies hæc calidiſſima latitudinem habeat eſſatu dignam.

Hoc ſic præmiſſo,tibi eſt reminiſcendum, nullum venenum, quemadmodum & nullum medicamentum in corpus noſtrum agere,niſi ad actum perducatur,quod eſt,niſi ſubeat, ſuique ipſius admittat diſſolutionem:hac enim ratione facultas, quæ virtualiter in veneno ineſt conſiſtente,in eius diſſolutione actualis efficitur,quæ ab illo potiſſimum prouenit elemento, quod,cum in mixto prædominabatur, in eius diſſolutione alia quoque ſuperat.Quamobrem cum venena calidiſſima ſint,fit vt eorum facultas nequeat non eſſe impenſe calida . ſed opere pretium eſt audire,quomodo hæc ſe habeat; quandoquidem facultas calida in alijs mixtis, infra calidiſſimum temperamentum calidis, attenditur,vt pura qualitas,quæ cum ineſſet in mixto conſiſtente potentialis, in ipſius ad actum reductione, in ipſius inquam diſſolutione,actualis efficitur . verum conſiderata in venenorum interitu, non ſe habet vt qualitas calida, ſed vt tota quædam ſubſtantia actu calida:ideo quod venenum, in tranſitu ad corruptionem,non reſoluatur. ſecedatq: in ſubſtantias elementares, ſed ius retineat totius ſubſtantię ad exactam , vſque corruptionem , & nouę formę productionem per maiorem ſucceſſiue adeptam ſui extenuationem , vt iam iam explicabitur. qua verò ratione inſurgat interim tota quædam ſubſtantia actu calida,iam enodandum venit,cum in hoc vno ratio, atq; actio veneni ad actum reducti conſiſtat. ſed priùs mente voluendum nobis eſt,venena propterea eſſe calidiſſima,quod de igne pluri-

mum

mũm,de aqueo,& terreo minimum assummant; Sed de igneo plurimum assummere non possent, nisi densæ essent substantiæ: alioquin si corpora igneo aduersantia, aqueum, & terreum, rara mixtionem venenosam ingrederentur, vtique illud coercere,ac castigare,& in proportione, quæ veneni importat temperamentum, retinere minime possent. Quę res excludit quò minus in hac venenosa mixtione aereum corpus detur,vt summe rerum: cum etiam terreum in paucis quibusdam venenis pollens, in cęteris nimirum habeat locum: idemq; in veneni transitu ad interitum calidam subintret, mutuetq; naturã: adeò vt in pręsentia ad clariorem pręsentis quęstionis intelligẽtiam, venenum ex igneo,& aqueo duntaxat conflatum considerabimus: verum in subsequenti capite,ac de catero non solũ hæc duo corpora,sed etiam terreum ad quamminimum vsq; pondus perpendimus: examinabimusq; in vnaquaq; veneni differentia horum omnium affectiones.

Igitur,vt sciatur primo necesse est,igneum, aquemq; potissima veneni constitutiua,in eorum ad corruptionem transitu, in aerem tandem simul, & semel transmutari transformariuê: adeò vt veneni ab homine asumpti, aut ipsi exterius incussi exactus interitus importat non aliud, quam aereæ formæ productionem cum autem maxima substantiæ densitate,consistẽtis veneni constitutiuæ ad aeream formam,quæ summam quâdam dicit raritatem,plures, ac multiplices intercedant tenuitatis,ac raritatis gradus,fit vt venenum, in transitu ad corruptionem maiorem successiuè acquirat tenuitatem, ad gradum vsque raritatis extremum à quodam inquam summo densitatis recedendo,procedat per maioris successiuè tenuitatis,raritatisq; gradus ad aeream formam,adeo vt in tali transitu efformat de se nunc quidem tenuem,nunc vero tenuissimam, nunc & præ tenuitate insensibilem, & cum aerea terminantem substantiã, ex eo quod calidum,& frigidum, veneni constitutiua,ab inuicem separentur nunquam,sed ex æquo insimul,commixtimq; recedant a summo densitatis, & ad extremum contendant raritatis, qua de caussa in quouis tenuitatis gradu venenum non simpliciter substantia, sed proprius tota substantia venit dicendum.

Fit autem hæc tota substantia, cum sufficientem comparauerit tenuitatem,actu calida, ideò quod aqueum pro sui extenuationem, ac rarefactionem dependat primum de propria potentiali intensione,mox & natura,ac sensim trahatur in naturam

ram calidam ab igneo præpotenti,quod, etsi per coadæquatam rarefactionem de potentiali itidem emittat intensione,actualem tamen intensionem succesſsiuè magis acquirit, succesſiuè se magis supra suum contrarium eleuando, vt fieri nequeat, quin interim vna tota substantia actu calida coalescat. Quæ varia in intensione in hoc transitu se præbet, propterea quod, vbi incipit esse calida,tunc aqueus humor aliquid de propria natura adhuc retinet; & igneum præ quadam humoris aduersantia, nondum absolutè in actuali existit intensione;quàm tamen successiuè comparat maiorem; quoniam ex coadæquata vlteriori attenuatione aqueum successiuè magis de sua natura amittit, & igneum minorem aduersantiam à suo contrario inueniens,de intensione magis aquirit.Cum primum igitur hæc tota substãtia actu efficitur calida, remisse talis est,humore aqueo de propria natura quicpiam adhue retinente, ac quadantenus contemperante;mox calida effulget,ac successiuè calidior ad terminum,a quo postmodum humor nulla amplius ratione obsistens,ac contemperans,naturam mutuat, subitque calidam, cum igneo æqualem;vt iam substantia ignea pura existat, quæ deinceps per gradus maioris successiuè raritatis, & remissionis, tandem in esse formale aereum desinit. vt propterea statuẽdum veniat venenum ad actum reductum,non aliud esse, quam totam quandam,eamque tenuissimamsubstantiam actu calidam, seu mauis substantiatam caliditatem. vnde qui in primis vsus est dicere,venena tota substantia agere, venenorum naturam subodorasse videtur.

Modus venenorum correptiuus iam explicatus perquam venustè nobis designat,quę sit materia turgens ab Hippocrate in 1. aph.& alibi nobis proposita,ac iure merito ab eodem tantopere damnata, quandoquidem turgere aliquid, aliud nõ sonat, quam extenuari,rarefieri,& intumefieri, ex densaq. ac parua, in raram,ac grandem abire molem, vt pateat,virum hunc naturæ miraculum venenorum naturam cognouiſse,& per turgentis materiæ denominationem nobis insinuaſse; quamuis, nutu hoc minimè perspecto,vnusquisque auide acceptauerit, quod de materiæ turgentis natura Galenus scriptum reliquit, quod tamen respondet menti Hippocratis nulla ratione,qui propterea,cum ex tali materia nullam prorsus coctionem expectandam eſse,atque ex eius tracta in corpore mora perniciosissimos suboriri posse effectus animaduerteret,sanciuit sapientisſimus hic medicinæ legislator,quam primũ eſse e corpore deturbãdã.

Illud

Illud verum est, quod materia turgens apud ipsum latiori modo intelligenda venit, quatenus ad quasdam quoq; toto genere præternaturales collectiones, densam ac crudam substantiam habentes, adaptatur, siue turgeant, velut quando in intestinis visceribus continentur, quo casu dolores quosdam extensiuos, ac simul suffocatiuos, aliaque lethalia inferũt symptomata: siue turgere natæ sint, non tamẽ turgent quod a calore hominis natiuo non satis excalefiant, ob densum crudumque quo sunt refertæ, aqueum, hinc mortiferi uomitus, huiusmodi sunt bilis isatodes, rutucea, ęruginea, atra Hippocratica.

De Differentijs actuati veneni, quæ quatuor potissimæ esse statuuntur eædem ad summum excutiuntur, vnde contagiosi veneni ratio vndequaq; elucet.

Cap. IV.

ETsi veneni cuiuscuis sit in via ad interitum in totam, quãdam substantiam actu calidam conuerti; nihilominus pro veneni consistentis diuersitate tota hæc substantia varia exoritur. Quot igitur, quibusque modis hoc vsu ueniat, est in hoc capite inuestigandum. verum quia hæc consideratio immediate pendet à commixtionis venenorum consistentium qualitate, propterea ante alia vniuscuiusque veneni ratio examinãda, & constituenda est. quod tamen foret impossibile, nedum difficilimũ obtinere, nisi à nobis venenum omne in sua actualitate speculatum prius, ac deinde cum eodem consistente collatum fuisset.

Vt autem in hac re tanti momenti ordinata procedat oratio in primis venena omnia in sua genera diuidemus; examinabimusque vnumquodque genus in suas species distinctum. deinceps eadem arte, eodemque ordine, quam, qualemq; substantiam de se actu calidam in transitu ad corruptionem producat, inuestigabimus.

In quatuor genera, summasue differentias liceat mihi venena diuidere, sic a qualitate mixtionis eorum insinuatas; quatenus hæc capit præter plurimum igneum, de terreo, & aqueo minus, aut magis, hisque coctis, aut crudis; raris, aut densis: qua

ratione enucleabitur non solum actuati veneni intensio, vel remissio: sed etiam qualitas; quatenus hæc dicit tenuitatem eiusdem, aut crassitiem: densitatem, aut vanitatem: extensiuam dimensionem, aut contractionem, iuxta quas affectiones huic, vel illi hominis membro venenum existit peculiariter infensũ.

Primum genus ijs, assigno, quę à multo, in genere, terreo, aqueo pauco, & excocto, atque igneo, quod in cunctis longè præualeæ, plurimo efformãtur, quod genus in tres seco species, à quantitate, & qualitate terrei, & aquei specifica desumptas, etenim quædam præter igneum prępollẽs, de terreo multo, eoq. crudiusculo, aqueo valde, pauco, & sufficienter concocto capiunt, vt arsenicum, resigallum. Alteram speciem statuunt cantharides, quarum substantia ignea plurima est, terrea pauca, aquea paucissima, eaq. valde cocta. Sunt alia pro tertia specie, quæ de terreo nõ multum, de aqueo plusculum capiunt, vtroq. sufficienter cocto, igneo longè prædominante. huiusmodi sunt putrefacientia venena, vt Salamandra, Lepus marinus.

Ascribatur ijs alterum genus, quorum igneum plurimũ est, aqueum valde paucum, idemque in genere crudiusculum, terreum paucissimum, ac valde coctum, vnde sicuti quæ igneo aduersantur, in paucissima ingrediuntur quantitate, ita genus hoc omnium calidissimum existit, vt ob id humor aqueus crudiusculus, ac subinde densiusculus debuit esse, cum alioquin si coctus esset, tanti ignei non posset esse subiectum, quod coctio raritatem, densitas cruditatem nostro modo importet, vnde quod ex hoc genere humorem aqueum coctum includit, illud etiam minus intensum est. quæ humoris affectio cum nõ vna sit, propterea genus hoc plures includit differẽtias. etenim quædam venena si venena merentur dici, humorem quem excipiunt paucum, adeò excoctum habent, vt vix sufficiat igneum castigare, ac coercere, vt venenum segtalæ, amphiebanæ, inter quæ vult quoque adnumerari venenum vesparum, apum, & huiusmodi bestiarum, quod per aculeũ homini incutitur. Sunt quamplura serpentia, necnon quædam ferę vt bufones aquatici, quorum venenum non admodum intensum est, quod eius igneum sicuti non æque multum, ita aqueum parum densum. eleuatur multum supra hoc, quod igneo maxime præualet, & aqueum habet densius, sed id paucissimum, terreum vero iam definitum, vt venenum viperæ, Dirijni. Superat hoc in igneitate venenum aspidis, chelidonij, basilisci, quod de aqueo densissimo tantum duntaxat capiat, quantum sat est ad coercendum,

ac contemperandum igneum, quod in hoc veneno in summo quanto existit.

Vult in hoc genere adnumerari venenum, cuius igneum non ægre multum, ac in his, de quibus iam modo dictum est, & aqueum paulisper magis copiosiusculum, pariterq; crudiusculum. est hic venenum, quod dominante ad summum austro in homine quandoq; gignitur, vt in priori libro visum est. cui subordinatur venenum, cuius ignotum est quoq; minus quantulum, & aqueum quadantenus coctum, & rarum, & est sanguis quidam maleficus, pariterq; austrinus: seu satius, quędam huius sanguinis particulæ reliquo sanguine calidiores, ac densiores.

Tertium genus statuunt venena, quæ ex superante igneo, aqueo magis copioso, quam alia cuncta, sed eo valde cocto ac pingui, paucissimo terreo, similiter probe cocto constant. sunt hæc venena nuncupata soporifera, quod inter alia accidentia soporem homini venenato inducant. in quo sopore, ac quibusdam alijs accidentibus inducendis paulo inter se euariant, quod aqueum minusculum, aut maiusculum sit, idemq; magis, aut minus coctum, ac purum: vel de igneo magis hoc, illud minus excipiat. etenim opium tum de aqueo non nihil minus continet: tum vero illud magis coctum, ac purum est. iusquiamum ac mandragora ex ægro ferre commixtionem sunt sortita, quę cum plusculum de aqueo capiant, illud etiã est minus coctum, minusq; purum. sed iusquiamum de terreo non nihil plusculum assumere videtur. cicuta, cum supra hęc non mediocriter sit calida, de aqueo partim probe elaborato, partim imperfectè cocto, atq; impuro includit.

Postremus locus detur ijs, quę præter igneum præpollens (quod tamen in genere minus omnium quantum existit) aqueum assummunt non æque paucum, ac crudiusculum, vt venena secundi ordinis, nec æque copiosiusculum, & coctum, vt venena in tertio loco posita, sed quod in qualitate, ac quantitate inter aqueum huius vtriusq; generis ambigit: verum de terreo plusculum capiunt: adeo vt cum in ijs minimum habere locum ex effectibus videatur, in his manifestam sui notam præbet; tres deriuant ab hoc genere species sunt enim ex his quædam, quorum mixtionem aqueum, ac terreum in quantitate iam definita ingreditur, sed vtrumq; in suo genere maiuscule coctum, atq; elaboratum, cuius sortis venenum est scorpionis, ac phalangiorum. tarantulę autem virus, quod

ſub hac ſpecie pariter militat, præter quam quod vtrumq;hoc corpus crudiuſculum,ac ſufficienter denſum includit, videtur etiam de vtroq non nihil plus aſſumere. ſunt alia pro ſecunda differentia, quæ preter terreum iam definitum,de aqueo paulo abondantius excipiunt: ſed hoc idem eſt valde elaboratum ad inſtar quod eſt ſoporiferorum, quibus tamen in caliditate preualent, vt herba quędam à Plutarco relata de qua ſuo loco, & ſardonia: ſed hæc minuſculum terrei habet. Vltimę differentię ſatisfit venenum canis rabidi, quod pręter calidum corpus ſupereminens, ex pauculo aqueo,ac terreo non parum elaboratis,eſt conflatum. Alię quoq. inſunt in vnaquaq. ſpecie magis ſpecificę differentiæ,ſed hæ cuiq; facilè innoteſcent, vbi de venenorum effectibus,horumque cauſis ſpeciatim agetur.

Sic vnoquoq: veneno in ſuo eſſe potentiali conſtituto,quam ſubſtantiam de ſe actu calidam in tranſitu efformet, iam ſpeculandum,ſtatuendumque Arſenium,reſigallum,& huiuſmodi prioris ſepeciei eo primo ordine conſtitutiua,alterata igneſcentem,atque acerimam de ſe producunt ſubſtãtiam,ſed eam nullatenus turgidam, & extenſam · in qua enim ſede ab homine aſſumpta firmari contingit, in eam noxam inferunt potiſſimã. Chantarides alteram ſpeciem efficientes,vbi actuantur,in quãdam igneam,eamque acrem ſubſtantiam abeunt,nõ denſam, ſed raram,vt æmuletur quadantenus calidiſſimum,atque acerimum fumum,ſed ſicuti non ęque terrea, vt de qua modo dictum eſt,ita non æque acer,atque actiua, velim autem vt,dum venena ad actum reducimus,tu eadem tunc temporis ab homine aſſumpta,aut ab extra incuſſa conſideres, quæ ſuperſunt ex hoc genere venena,cum dimota e propria conſiſtentia tranſeunt, quandam non ſegniter calidam quadantenus extenſã, minimumq. acrem in primis: non vero ſecundum terreas partes actuata,acrem præſeferunt,non æque tamen vt alia,ratione paucioris terrei,& humoris copioſiuſculi.

Venena ſecundi ordinis,& ex his illa,quorum humor pauciſſimus,elaboratus,ac rarus eſt, vbi primum corruptioni ſubijtur,in igneam ſtatim,puram potius,quam ſubſtantiã caliditatẽ conuertuntur.His ſuccedanea,quam de ſe efficiunt, ſubſtantia ſicuti non impenſe calida,ita eſt parũ denſa,nec multũ extẽſa. eſt vero calidiſsima,maxime extẽſa, eaq;ſubtiliſſima tota ſubſtantia,in quã commigrant venena,quæ ſupra illa in intenſione eleuantur,& ea maxime,quę ſunt in ſũmo ignea, quanto enim venenũ copioſiori eſt fætũ igneo; & de aqueo crudiuſculo m-

nusi

nus assumunt, tanto in subtiliorē, eāq; magis extensā substantiā abit, & idcircò incredibile loci spatium occupātē, ex eo quod supra aqueū polleat maxime igneum, vbi venenū, vel minimū in tota alternatur substantia, continentissime, ac celerrime ad extremū properat tenuitatis: igneo in suū contrarium maximè imperante, crimenteq; e contra venenum remissū tum minus calidā subtilēq; de se efformat substantiā, tū & parū extensā, lentèq; transeuntem, in aqueum igneo non multum pollente.

Venenum austrinum prout successiuè secundum partes venenosas putrescit (in paucissimis enim sincerum concrescit) successiuè in quædam quamminima commigrat corpuscula, quæ deflectunt ab illa insigni caliditate, qua cætera huius generis venena pollent, ob copiosiusculum, idemque respectiuè crudiusculum aqueum: cuius ratione inquinamenta hæc ex ipso producta, etiamsi insensibilem sint adepta tenuitatem, sæpe tamen non adhuc actu calida sunt: & non solum sunt tardi transitus, sed etiam in medio ipsius consistunt: adeo vt vbi à proprio fomite sublata, & e morboso corpore effluxa, in externam venerint regionem, quam acceperunt tenuitatem retinent, non valentia vlterius rarefieri, & ad exactum contendere interitum, impedita ob humorem, qui sicuti in alijs venenis, vt paucissimus in respectu sui contrarij, longe insuper potentioris, minimum obsistit, calidamque quamprimum subit naturam; ita in hoc contrarijs de caussis igneo adeò repugnat, vt perquam tenuissima facta cogantur pedem sistere, vsque quo externum quempiam nanciscuntur calorem, à quo vlterius concalefacta extenuari, & perfectum actum comparare valeant: par tamen est, vt sicuti ambiente nos aere frigido existente quadantenus compinguntur: ita eodem calido, aliqualem vlterius attenuationem acquirant: sub quo tamen ad exactam haud perueniunt rarefactionem, alioquin ęstiuo tempore, quo ab hisce producitur, cessaret contagium; cum nec ab animantis calore, à quo ea intus excipi contingit, hoc ipsum patiantur, à quo duntaxat paululum magis rarefacta ad actualitatem perducuntur, alioquin si digeri ad summum, ac dissipari se permitterent, vtique nullam homo ferret noxam. Ideò autem quod in transitu consistant, exitiosissimum statuunt contagium: temporaneum inquam, ac distantaneum. scimus enim per fomites, seu subiectam horum materiam diutius, ac diutissimè conseruari, & ad loca transportari maxime distantia.

Qua

Qua propter corpuscula hæc, cum proprius nesciam, definire posse mihi videntur, quod sint quam minimi igniculi, non nihil lenti, totius substantię rationem habentes, actu calidi. libuit igniculos vocare, quoniam in actu corruptiuo, fermentosouè considerati, ignis quidam sunt, & ob id venenosi, quatenus ius insimul totius substantiæ retinent: sed ęque contagiosi, & fermentosi merentur dici, quod officiant, quem contangunt, & sanguinem fermentando corrumpunt. sunt autem ita perexigui, vt nec tactu, nec visu percipi ab homine valeant. & ratione qualitatis aquei humoris sunt vel quamminimum lenti, vt rebus facilè adhærescant.

Differunt paulo, qui â malefico sanguine putrescente, eiusuè maleficis partibus producuntur, quod hi quadantenus sint rariusculi: propterea vbi, e morboso corpore eruperint, continuatim ad aëream tendunt formam, igneo in humorem, aere quadantenus fætum, agente, superanteq.

Quę tertium statuunt genus soporifera, cum ab homine assumpta, e propria dimouentur substantia, vaporosam, eamq; igneam mutuant. sed quę ab opio efformatur, nitida, splendescens, ac tenuis: â iusquiamo, â mandragora crassiuscula, tenebrosa, & minus ignea, est tamē paululum acer, quæ iusquiami est. Quæ â cicuta atollitur partim tenebrosa, secundum partes non probe coctas, partim maxime ignea, ac subtilis existit.

Quę tandem quarti sunt ordinis, alterata substantiam de se efficiunt, nec plane densiusculam subtilem, ac calidam, vt quā venena secundo loco posita: nec vaporosam vt soporifera, sed quæ inter vtramq; medio se habet modo: adeo vt definire posse mihi videtur quod hęc sit in genere subtilissimus quidam fumus, sed alio fumo longe calidior, acrior, ac densior. Qui tamen ex phalangiorum, ac scorpionis veneno efformatur, rariusculus aliquantisper. qui ex tarantulæ viru, densiusculus: & ad actuationem difficulter perueniens, aqueo, ac terreo in transitu non parum aduersantibus. Qui vero cardonię est. & herbę Plutarchi vaporosiusculus, vt æmuletur quadantenus vaporosam, quæ â deleterijs soporiferis efformatur, substantiā: qui tamen violentior, ac mordacior se prębet, ratione intensioris caliditatis, ac maioris terrestreitatis. Rabientis canis virus, in percalidam, alternatum abit, atq; acrem substantiam, sed ob terrei, atq; aquei coctionem, minime extensam, vnde, & tenuissima, & ferme pura existit. qua de caussa in qua parte, recipit actua-

actuationem, in eadem figitur. cuncta hæc cuiq; fient notiora, vbi recensebimus vniuscuiusq; veneni symptomata, atq. effectus, horumq. caussas explorabimus.

Hęc cum sint veneni ad actum reducti differentię essentiales: cumq. iuxta has hoc vel illud vniuersale humani corporis mēbrum oblædatur, propterea de cætero inuestigandum est, quot, quæq. sint membra ista venenis obnoxia: cuiq. ex his sit hoc, vel illud venenis genus peculiariter infensum: & quomodo eidem in vniuersum, ac deinceps quomodo speciatim officiat, quosq. interim producat effectus, quorum etiam caussas trademus. vnde nil, puto, desiderabitur, quod ad naturam, & modum agendi venenorum spectat. sed antequam ad hæc deueniamus expedit in medium afferre, quę venenorum temperiem calidissimam esse satis probare possunt.

Temperiem Venenorum omnium Calidissimam esse probatur. Cap. V.

SI, quæ sunt de venenorum actuatorum natura, ac differentijs pronuntiata, vera ac stabilia sint, vtiq. superuacaneum videtur, velle horum calidissimam temperiē rationibus demōstrare, quando actualitas hæc ita ferat, vt venena nullam aliam habere temperiem valeant. verùm ad tollendum omnem scrupulum, & placandum legentium animum, libeat hic in medium afferre, quæ hanc temperiem maiorem in modum declarare, atq. illustrare facilè possunt: præsertim cum antiquam ac communem, e medio tollimus, dum nouam hanc opinionem configere curamus.

Seclusis igitur in præsentia tabefacientibus, ac suffocantibus quibusdam venenis, ad institutum nostrum minimę spectantibus, quorum tamen naturam, atq. interficiendi modum in processu operis obiter insinuabimus, dicimus primo propositioni huic fauere admirandos. à quamminima, eaq. tenuissima veneni mole, & cum maxima celeritate productos effectus. manifestum est enim, quod multa ex his in insensibili mensura hominem sibi oblatum perdunt, vt apud Aponensem in suo de ven. trac. cuius naturę sunt etiam contagiosi igniculi tenuitatem illorum testatur venenum, quod à Drijno vibratum, pedes

medio

medio calceorum excoriare facit : ficuti, & illud, quod per ftapedes illinitas hominem enecat, ocreis non obftantibus. quod fi Bafilifcus venenum, quo animantia iugulat, ab oculis ne dum per fibilum vibrat, non ne tanta in hoc arguitur tenuitas, vt maior imaginari nequeat? etenim fi fic eft, venenum hoc non aliud effe declarat, quam virulentiffimum quendam fpiritum, tum fenfum noftrum fugientem, tum, & totius fubftantię rationem fibi ofcifcentem. celeritatem agendi, & homines quamprimum interficiendi, compertiffimam in quamplurimis habemus: fed maxime in veneno ab eodem bafilifco vel vibrato, vel per vulnus incuffo, à quo ftatim hominem interire fcribit Aetius. Ioães Leo fcribit, reperiri in Nubia quoddam veneni genus, quod ad pondus grani vnius propinatum decem homines iugulat spatio quartæ partis horæ; quodq. ftatim perimat, qui totum affumit. fic illico exanimatus concidit Britanicus à locufteo veneno, iuffu Neronis ipfi tradito apud tacitum. hæc autem certiffimè teftantur, venena non ab aereo elemento, quod homini familiariffimum eft, non ab aqueo, quod vtiliffimum. non à terreo, quod citrà vllam noxam pertractatur, fed pendere ab igneo. cum fit etiam rationi maxime confonum, vt nonæ venenofæ fint ab illo elemento petendæ, quod per fe actiuiffimum eft, quodq. tam genti eft infeftiffimum, fed hoc eft ignis.

Si quis præter hæc vniufcuiufq; veneni effectus, ac fymptomata inde producta examinare velit, arguet de maxima illorum caliditate. etenim à reptilium venenoforum morfu vt à Diofcoride, Galeno, Auicenna, Aetio, & alijs fcribitur excitantur puftulæ circa demorfum locum, exulcerationes, carnium depaftus: corpus totum aut turgefcit, aut tabefcit. iecur inflammatur, fanguis efferuefcit, corrumpitur, effunditur, totius virefcit, aut flauefcit color, ac fępe à veneno, dico ignea vi diffipatis, fugatifq. fpiritibus, vel alia ratione corruptis, natiuo calore emoriente foporofi, ac funebres effectus in confpectum fe ferunt. & quid fane aliud hę feræ fpirant quam ignem? vt declarant inceffus fuperbi, micantes oculi, furentes afpectus, agreffus celeres, ac rabidi, & cum calidiffimæ fint, propria funt eorum habitacula percalidę regiones.

Non me latet, quod qui ferpentes omnes exiftimant effe, frigidos, in medium afferant ad fenfum frigidos effe, pauci cibi, hieme fine cibo degere, in latebris terræ se condere, paucum habere fanguinem, & frigidis abundare, humidifq. homoribus

Hifce

Hisce in ordine dicimus, quod hoc ferè natura cutis eorũ, quæ dura, quæ densa, frigidaque est, & iure tali amictu indui debebantur, ad prohibendum, quo minus effluere calidissima eorum corpora possent. sic natura donauit spiritibus dura conceptacula, arterias inquam, ne alioquin illustris, ac tenuissima hæc substantia extra effluens consumeretur, cuius qualitatis cutis ratione, vt quę amicta à se corpora minus fluxilia reddit, non multò egent alimento, maior enim vel minor cibi indigentia prouenit à maiori, vel minori effluxa, adeò vt scribat Galenus in 2.d.alim.& alibi, & nihil e nostro corpore efflueret, nihil opus esset alimento, qua quoque de caussa hyeme sine cibo degent, qđ ob circũstans frigus corpora eorũ nullũ, vel minimũ habeant effluxum hinc tum hæc, tum plura alia animalia, etiãsi ab esca se abstineant, pinguia sunt in latebris terræ se condere, argumentum certissimum est non frigidę, sed calidissimæ illorum naturę, cui frigus inimicissimum est, quæque à simili cooptat conseruari, recessum effugiens, paucum autem sanguinẽ habere contrarium infert, alioquin vespę, apes, & similes bestiæ calidissimæ, essent frigidissimæ statuendę. Lepus vt plurimi sanguinis, calidissimus, frigidis, & viscidis abundare succis sensui repugnat, & quamuis Galenus in 2.d.loc.aff.cap.vlt. sentire videatur viperam frigidam esse, aspidemque perinde ac cicutam frigidam esse scribat, in lib. quod anim.mo. cap.3. motus fortasse auctoritate Dioscoridis, qui lib.6. venenum cerastę, aspidis, & basilisci sanguinem in uenis gelare scribit, vt propterea scriptores ferme omnes opinati fuerint, omne serpentum genus frigidum esse, nihilominus contrariam habuisse sententiã inferre licet, ideò quod in 3.de humor.tex.com.3.& alibi scriptum reliquerit à morsu ferarum sanguinem hominis flauescere, icterumque succedere, flauities autem apud ipsum caliditatis effectus semper extitit, sed quamuis sententiam habuerit Galenus, Auicennas, cui hoc ferarum genus, seu cui propter regionem notum valde esset, legitima non fraudauit natura.

Examinet quispiam effectus in humana corpora per morsum, per ictum lethaliter incussos, dolores, inquam loci affecti, ac cruciatus statim productos, inflamationes, stomaci erosiones, carnium putrefactiones, animi deliquia, interitum præcipitem, velut rubetæ, scorpiones, aranei muris, pastinacę marinæ, scolopendræ, inueniet profectò igneam duntaxat vim redolere.

Quod si sopores, uertigines, temulentias, faciei atque oculorum ruborem, mentis turbationes, alienationes, singultus, carnium liuorem, ac tandem natiui calidi mortificationem, peculiares opij, mādragoræ, iusquiami, ac cicutę effectus rectæ perpendat, non sane à frigidissima, sed à calidissima caussa productas esse facilè intelliget. & quoniam in vulgatissimam abijt sententiam, hæc omnia deleteria frigidissima esse, ideò expedit latiùs demonstrare hęc eadem calidissimę esse naturę, exemplo opij, velut quod in dies opera medicinę salutariter ingreditur.

Opium natura esse calidissimum ostenditur. Cap. VI.

OPium frigidissimum esse ita inualuit cunctorum opinio, vt cum aliter res se habeat, ad hanc heresiā tollendam validæ sint afferendæ rationes, quamuis non me lateat, in nonnullis ita alte radices habere fixas, vt apud istos ratio sufficiat nulla, hoc vnum exclamantes, docuisse hoc, statuisse Galenū, à quo recedere pro maximo haberet piaculo, nulla proinde de re, quę pertractatur, examinatione facta. Alij quod tantùm sectantes magistrum, si cui alteri adhærerent se propriæ existimationi valde derogaturi esse putarent: peior conditio est illorū, qui rectè sentientem, sed à Galeno dissentientem scriptis acriter oppugnant; et perspecta rei veritate hoc autem faciūt, vt videri velint se aliquid scire, sed quicquid de his sit, opij temperiem calidissimam esse, vel sine vlla hęsitatione cōstātem affirmo. quæ autem id demonstrare valent, ita manifesta sunt, vt nō sine dedecore eorum, qui opium frigidissimum esse statuerunt, ac non sine rubore, qui id temporis hoc ipsum sentiunt audiri minime possunt. hoc in primis iacto fundamento, quod rerum proprietates, atq; effectus naturam suorum principiorum redolet; quo innuere volo caussam effectuum opij peculiarium, deriuare à principijs illius cōstitutiuis, & propterea non esse, nec posse esse occultā, sed manifestā. hoc sic stante eius qualitates, atque affectus seorsim examinandi, ac perpendendi veniunt.

Et primum sese offert odor opij grauis, qui naturam eius calidam facilè testatur, quando odores omnes à calido sint Arist. in l.d.sen. & sen.5.Gal.in 4.sim.2.& experientia docentibus, cū ex aduerso frigida nil redoleāt, ut nix, glacies, saxa, ferrum, & alia

alia metalla, etenim quod expirat, calorem habet mouentem. Nec valet quod odores praui ab inconcoctione proueniant, quoniam etsi hoc non tollat, quo minus quodpiam incoctum possit esse calidum, nec rursus inferat opium esse incoctũ, odor tamen opij non est prauus in suo esse, sed bonum, ceu qui designat propriã opij formã, quæ omnem excludit incoctibilitatẽ.

Clariùs hanc opij calidam mixtionem declarat pinguis, atq; inflammabilis eius substantia, cuius ratione lucernæ admotum non caliginosa, inquit Dioscorides, ardet flamma, atqui si frigidissimum esset, quomodo exardere, & abire in flammas posset? illud enim certum est, quod si sic esset, de terra, & aqua caperet plurimum, qualiter glaucium, quod ex Galeno 6. sim. propterea frigidum est, quod ex terrea, & aquea substautia mixtionem habeat; hæc autem duo corpora ignem extinguere, ne dum in ignem abire nata sunt.

Scio, quod ad euitanda hæc scopula, machinatũ non sine Aristotelicæ doctrinæ iniuria à quibusdã scriptoribus fuit, opiũ frigidæ in quarto, & calidæ in tertio tẽperiei gradu esse; & nõ esse vniformis, sed difformis naturæ: qm̃ præterq̃ qđ mixtio phisica figmenta hęc reijcit, hoc dãnaret eius tẽperamentũ, si alioquin frigidissimũ: temperamentũ.n. alicuius mixti intensum, ppea intensum existit, qnod mixtum corpora illa excludat elemẽtaria, ĩ quibus alioquin corrigi eius natura posset, & illa includat pp quæ tale, vel magis tale est: vnde si opium caperet, quæ frigidum in quarto, & quæ calidũ in tertio nata essent, mixtũ quodpiam efficere, vtiq. ex his phisicè commixtis, nõ insurgeret aggregatum in temperie difforme, sed mixtum vniformis naturæ temperatum; quando non dicat aliud mixti temperamentum, quam primas qualitates esse ad mediocritatem reductas; & cũ sit quædam dispositio, per quam forma in materia cõseruetur, fit vt mixtum nequeat duas importare formas.

His sapor accedit opij amarissimus, qui, vel ipso teste Galeno calidissimã rei naturã designat: quæ in opio tanto nobis certiùs ostenditur, quãto quod post amarorẽ, quẽ sensorio infert, si paululũ magis q̃ par sit in ore detineatur, ẽt linguæ vesiculas inducit, teste Matheolo, quod concordat cum eo, qđ Gal. scribit. 7. sim. de papauere conuto, qđ, inquit, vlcerib. oppositũ purę quoque carnis non nihil eliquere valet. hoc autem opus insignem in medicamento statuit caliditatem, & putrefacienti veneno efficit simile. atqui si papauer cornutum id efficere valet; cur non & opium, cum liquor, qui ex cornuto papaue-

re extrahitur, alterum opium exiſtat? qui propterea in cibo, potuue ſumptus eoſdem quos opium producit effectus, atque iiſdem curatur remedijs, apud Dioſcorid. lib.6.cap.60.

Addas ingentem pruritum, qui ab opij aſſumptione excitari ſolet, Nicãdo, Dioſcoride, & Aetro teſtibus, qui adeò moleſtus eſt, vt quandoque ægrum alto preſſum ſopore expergifieri neceſſe ſit. hic autem pruritus, torpori contrarius, non ab alio excitatur, quam ab opio actuatuato, & in flammeam quandam eãdem acerimam ſubſtantiam conuerſo, quę ad vniuerſum corporis ambitum diffuſa carnes mordicus expungit: qua etiam de cauſſa corpus venenatum opij odorem ſpirat, iiſdem teſtibus.

Vnde cum hæc omnia opij temperiem calidiſſimam eſſe arguant, opiumque vndequaque calidiſſimum declarent, non video qua ratione in 7.ſim. Galenus ex quarto, & vltimo refrigerantium ordine ſanciuerit eſſe. quo factum eſt vt, cum quicquid à tanto viro ſcriptum eſt, pro irreuocabili ſcito ſit à Medicis habitum, poſtmodum in communem, atque acceptiſſimam abiit ſententiam, nulla facta conſideratione, nulla de eo facta examinatione, opium natura eſſe frigidiſſimum.

Quod autem Galenum ad hoc exiſtimandum mouit, extitit primo Dioſcoridis auctoritas, qui in lib.4.cap.64. opio refrigerandi vim aſſignauit: mox vero ſopor, ſomnusue profundus, qui ab opij aſſumptione vt peculiaris effectus ſuboritur: quem cũ à cauſsa valde frigida prouenire velint, quicquid hominem in hunc tantum ſomnum inducere valent, exiſtimarunt frigidiſſimam habere temperiem.

Verum etſi ſomnus iſte proprius ac pecularis ſit opij, atque aliorum; deleteriorum, quæ ſoporifera vocantur, effectus, pace tamen tantorum dixero, non bene cauſſam iſtius ſomni intellexerunt. ad cuius intelligentiam expedit quædam de ſomno naturali, ac præternaturali definire. Eſt ſomnus naturalis cauſatiue conſideratus, quædam ſpiritus animalis quies, ac ceſsatio à proprijs munij, inducta a vaporibus cerebri meatus opplentibus. etenim dum concoctiones naturales celebrantur vapores quidam temperati, demulcentes, ac tenues ſurſum attolluntur, qui in cerebro natura frigido multiplicati animalem ſpiritum amice, ac ſeu quadam blanditie a ſe obſeſsum, quieſcentem reddunt, vt cum inde nequeat organa perluſtrare, homo, principibus facultatibus otiantibus, & ſenſibus ceu deficientibus, in quadam placida totius corporis conſtituitur quiete, quæ ſomni

ni formam delineat, qui noctu potissimum locum habet, ideò quod homo id temporis ab operibus cessare solet, quodq; animantis corpore præ frigidiori Cælo noctu minus perspirabili existente, vapores alioquin effluxuri retenti multiplicantur, qui propterea abunde sursum lati, mirum in modum cerebrum opplent: vnde quam apposite definitus mihi videtur somnus ab ijs, qui apud Galenum in lib. d. vtil. resp. dixerunt, somnum esse quandam paruam epilepsiam: quoniam sicuti epilepsia efficitur ob spiritum animalem valde obsessum, ob meatus cerebri obstructos; ita somnus ab eodē spiritu à vaporibus quiescēte, & otioso reddito, suboritur. verumtamē iure parua dicta est: qm̄ epilepsia efficitur, cum vel à crassa materia, vel vaporibus admodū crassis, densis, ac tenebrosis, meatus obstruentibus spiritus redditur planè immotus, vt sensus, & facultates principes otiari penitus necesse sit: somnus vero naturalis, cum à tenuibus vaporibus, à quibus propterea spiritus non immotus detinetur, quin quodammodo oberrans animales functiones, motumq; ac sensum per omnia quadantenus excitat, talis somnus inducitur cū vapores naturaliter se habent.

Verum si acres, & densi ascenderint, vt in quibusdā febribus, somnus efficitur inquietus, interturbatus: Altus vero ac difficilis, si frigidi crassiq; extiterint, quales attolluntur à similibus humoribus, vel à frigidarum, atque humidarum partium cibarijs, vt portulaca, lactuca copiosè comesta.

Altiorem inferunt quædam medicamenta, quæ assumpta in quosdam admodum densos, vel pingues, ac veluti Oleaceos abeunt vapores, quippe in caput sublati maiorem quoq; in modū spiritum animalem obsident, atq; immotū detinent: cuius sortis sunt anethum viride, feniculū agreste, semina papaueris, atq; alia multa: quamuis non me lateat à quibusdam magni nominis viris hunc cerebri affectum assignatum esse opio, atque alijs soporiferis, quæ narcatica nuncupant. verum hæc alia ratione, quæ iam iam adaperta fiet, soporem inducunt.

CVM igitur somnus non aliud dicat, q̄ quādam spiritus animalis quietem, ob quam principes facultates, necnon sensus omnes ferientur, iam intelligimus hos non minus feriari posse, ob eundem spiritum deficientem per corruptionem, vel dissipationem, quam à proprijs munijs cessantem, per quandam quietē: quod cum sit per se manifestum, non eget probatione. hoc stante asséro, cum per opij, aut alterius soporiferi assumptionē sopor inducitur, non quidē induci propter animalis spiritus otiū,

ac quietem, sed propter eiusdem consumptionem, vel corruptionem, a flammea deleterij caliditate illatam, & proinde cum plus importet spiritum animalem esse corruptum, vel consumptum, quam quietum, & otiantem, fit vt somnus, si somnus meretur dici, qui ab opio, mandragora, vel iusquiamo suboritur, sit profundissimus, cum stupore insensibilitateq; , sępèque cum morte ipsa tandem coeat, quando de deleterio plurimum assumptum fuerit: quandoquidem diu in corpore prædominans, vasteq; se diffundens non solum animalem, ac vitalem spiritum corrumpit ac dissipat: nullumque relinquit locum spiritum reparationi, sed etiam natiuum animantis calidum extinguit, hinc tandem liuores. ac corporis denigrationes.

Est autem opium ad spiritus dissipandos, ac fugandos agens valdè proportionatum, quippe quod ex partibus impense calidis, ac subtilibus constet, vt hinc lucernæ admotum in claram, ac splendentem abeat flammam: sunt rursus spiritus ad hanc corruptionem excipiendam patiens maximè dispositum; sunt enim vel ipso teste Galeno 12. Meth cap. 5. substantia dissipabilis, exhalabilis, & quę de facili digeritur; vt mirum minime sit, si sopor sit opij peculiare accidens. Sic non alia de caussa inducitur in homine à vipera, cenchro, & aspide feris calidissimis vulnerato. sic propterea aspidem sine dolore occidere scribitur. & quis sanè dolor spiritibus consumptis innasci potest. Plut. in vita Marci Antonij de aspide hæc venuste habet. Comperit aũt Cleopatra solũ ferme aspidis morsũ sine vllo dolore vitã extinguere, grauatoq; ex sõno capite, & leui sudore ꝑ faciẽ diffuso, sensibus paulatim deficiẽtibus, nec secus excitationẽ grauiter ferentibus, quam solent ij, quos placidus, atq; altus sopor tenet.

Vnde ex aduerso non video qua ratione sopor, si quidem opium frigidis constaret partibus, inferri possit; illud enim certum est, quod si in cerebro insignem refrigerationem, quam soporis causam statuunt, inferre deberet, intolerabilem simul capitis dolorem induceret, quando per Hippocratem in lib. d. l. in hom. magna ad calidũ, vel frigidũ introduci mutatio nequeat, nisi etiam pars, in qua mutatio exercetur, valde alteretur, & corrumpatur: attamẽ ab opio assumpto nullus excitatur dolor.

Nec excuso, quod ab homine non sentiatur ob quãdam obstupefactionem, quoniam hanc saltem dolor præcederet: sicuti & consentaneum rationi esset, vt sensibilem prius refrigerationem naturalibus visceribus inferret, vt ex Galeno 3. de temp. 4. nihilominus nullus ne dum minimus frigiditatis sensus ab eodẽ assumpto persentitur. Si enim lactuca per Galenum loco cita-

ro comesta refrigerando alterat;si pituita per corpus mota sensibile inducit frigus,eodem teste in lib.de inæq.int. & alibi, edocto ab Hippocrate in 1.de nat.hum.t.32. si per aqueum humorem per ossa volutatum rigor efficitur,per Hipp.in 4.d.mor.cur per præsentiam frigidissimi obiecti in ventriculo,aut iecore,aut venis refrigeratio haud sentienda est? Si venena quæ putata fuere frigida ab homine assumpta non prius propriam explicant facultatem ex Gal.3. sim. quam ex toto comminuta sint, & hanc comminutionem Galenicam experiantur in officina coctionũ,cur non hæc prius regio sensibiliter,quã cerebrũ refrigerandũ est?Quin nec subest ratio,pp q̃ opium vt frigidissimũ puenire in cerebrum possit,quæ.n.sursum euehuntur,ppea euehuntur, quod à natiuo hoĩs calore alterentur: at sic opium alterari nequaq̃ posset.quin imò inferas potius partes peteret,atq. afficeret,vt frigidum.n.frigidis constaret partibus,quæ imum petere,nec sursũ repetere natæ sunt. de succo papaueris altero opio loquens Galen. loco nuper citato,dixit,substantia eius à nobis non alteratur,immò potius nos alterat, & mutat· idcirco nec à nobis quicquam recipit caloris,& pro sua natura eas afficit, itaq; cũ frigidus natura sit, & nos vtique refrigerat.

Quemadmodum igitur non videtur sopor ab opio in frigido prouenire posse, ita nulla subest ratio,ob quam per opij applicationem in externo quopiam dolente, atq; inflammato mẽbro dolor,atque inflammatio tollatur. Non me præterit, causam istius ablationis doloris ab his, qui ipsum insignem refrigerandi vim obtinere putant, assignari cuidam partis affectæ obstupefactioni,à frigidissima huius qualitate inductæ. atqui si sic esset,non ne longe magis praua affectio in parte efficeretur? talis .n.obstupefactio non aliud importaret, quam quendam partis mortificationẽ: adeo ut pars vel deinceps corrũperetur,vel intẽperiẽ,atq. imbecillitatẽ insanabilẽ cõtraheret. quo simul fieret, vt,dũ pars violẽtã hãc alterationẽ ferret,maiorẽ adhuc ĩ modũ dolore cõflictaretur,ab vno ad aliud extremũ celeriter mutata.

Rursus in vehemẽtissimis dolorib.internis,à flatib. crassis,sedẽ extendentib. excitatis, opiũ offerre salutariter solemus:num,si refrigerandi potestatem haberet, non ne magis eos peruicaces redderet,calorẽ hoĩs refrigerãdo,flatus maiorẽ in modũ incrassãdo,oscula carniũ cõstringẽdo,& refrigerationẽ sedi maximã inducẽdo? Amplius venena expugnare,aliosq.salutares in medicina valde expetitos effectus edere natũ ẽ, quorũ cã nullo mõ adinueniri poſset, si frigidiſsimã obtineret temperiẽ à qua alioquin frigiditatis effectus elucerent: nihilominus quicumq. ab

optio producuntur, calidissimam redolent naturam, qua proinde donatum, insignem discutiendi uim obtinet, tum quidem solum assumptum, cum Erasistratus apud Dioscoridem aduersus basilici morsum impermixtum propinabat: tùm præsertim correctum iis, quæ quispiam de pingui eius humore tollendo, transitum ipsius ad corruptionem breuiorem, ac celeriorem reddere nata sunt. qua ratione non solum venenosa vi spoliatur, sed expeditius, ac faciliùs in venenosas, atque aliàs tenues substantias sibi oblatas agit; & æque per totum corpus diffusum, quicquid noxij, ac discipabilis est, facilè tollit. hinc iure summo veteres cum opio admiscebant origanum, piper, rutæ semen, atque alia huiusmodi percalidarum, atq; tenuium partium; & contra ipsum vt proprium, ac peculiare alexipharmacum apposuerunt castoreum, quod apud Galenum calidarum, atque subtilium impense est partium.

Hoc itaque pacto opium propinatum saluberimum fit medicamentum; vigilantibus enim quam belle somnū conciliat, acribus quibusdam fumis dissipatis, intemperiem cerebo calidam idducentibus, in maximis quibusdam externis inflamationibus, ac doloribus, dissipatis, ac fugatis tenuibus, ac vaporosioribus ebullientis, atque inflamantis sanguinis partibus, in colicis atque intensissimis doloribus, flatilius valenter discussis: nunc, & animali spiritu quadantenus digesto ac fugato, quo modo somnus quoque inducitur. in hæmptoicis, sanguine tardo ad motū reddito, per subtilioris illius partis, quæ alioquin eum magis mobilem facit, resolutionem, in magnis autem confectionibus, contra has, vel illas contumacissimas affectiones excogitatis, ac fabricatis, adeò expetitur, vt nulla ferme ex his sic, quæ opij quantitatem eflatu dignam non assumat, atque ab hoc præsertim medicamento facultatem propriam non agnoscat: quando etiam venenato homini salutem expeditissime afferat, venenosa, discussa, ac fugata, aura; hæc atque alia admirabilia opera saluberimam hoc medicamentum, vt calorifica atque insigni discussoria pollens facultate, edit: adeo vt, sic deficere contingere, medicinam factiuam quodammodo mancam dicere possemus.

Qua-

Quatuor constituta venenorum genera, quatuor partibus nostri corporis constitutiuis seorsim sunt infensa. Quæ sint ista. Qualeque veneni genus sit, huic, vel illi parti peculiariter infensum.

Cap. VII.

VIdentur quatuor iam constituta venenorum genera, ab vno veluti parente procreata, propriæ potẽtiæ hostilia cõtra humanum corpus arma inter se diuisisse, etsi enim ad istius perniciem cuncta in vnum conspirent: attamen vnumquodq; seorsum ex his genus hoc habet, vt vni membro sit peculiariter infestum, adeo vt cum quatuor sint, quatuor quoque constitutiuis illius membtis singulatim sunt aduersa solidis indifferenter, sanguini, spiritibus, & neruis, neruosisque partibus.

Obiectum noxæ venenorum prioris generis, solida sunt, & eorum præsertim, quæ primam, ac secundam statuunt speciẽ: quandoquidem sanguis, & species à postrema istius generis differentia æqualem cum solidis ferunt noxam non tamen immunes prorsus ob offensa illorum spiritus, nimium concalefacti secedunt.

Sanguini venena, quæ in secundo sunt ordine constituta, peculiariter sunt aduersa solidis autem non officiunt, nisi quadantenus, quæ de terreo in affatu digna quantitate capiunt, neque spiritibus, nisi vel fuerint impensissime ignea, vt venena aspidis, basilisci: vel quampiam contineant partem, quæ vt magis cocta, sic in vaporosiusculam abire substantiam nata sit.

Quæ uaporosam substantiam, cum actuata præseferant, quæ tertium obtinent locum spiritibus peculiariter officiunt: non sanguini, quoniam obsistit, ut densioris substantię, nisi de deleterio plurimum fuerit assumptum: tunc enim secũdum tenuem patitur partem: & solida postremò mirum in modũ percalefacta, putrefactionem subeunt.

Quæ in postrema sunt reposita sede, neruis sunt specificè obnoxia; non solidis, quoniam terrestriora, ac calidiora; nõ sanguini, quoniam subtiliora, ac calidiora: non denique spiritibus, quod vaporosiora, ac simul calidiora esse vellent fortasse verò qđ

hisce venenisue siccis, ac calidis minime datum est per uasa spatiari, succis referta eorum naturæ aduersantibus: quam belle autem, ut exquisitissimi, sensus neruis sunt obnoxia, uiru in vno primum neruo inflicto, cunctis per propagationem communicato. sed insinuata horum omnium maleficia exacte sunt de cætero examinanda.

Quot, quibusq; modis solida obladant venena ijs peculiariter obnoxia.

Cap. VIII.

QVemadmodum veneni actuati varietas in caussa est, vt mẽbra, quę constituimus esse venenorum maleficijs subiecta, non indifferenter, sed peculiari noxa lædantur: sic quæ inest in vnoquoque genere facit, vt singula eadem membra non vno, sed pluribus afficiantur modis; Quod in primis experimur in venenis, quorum scopus est solidis peculiariter officere. etenim erodunt alte, quæ terra magis sunt. erodunt in superficie, seu excoriant, in quibus de terreo, eoque valde elaborato parum inest. putrefaciunt vero, quæ præter igneum de terreo minus, de aqueo magis assummunt. Quamobrem triplici afficiunt maleficio venena solidis aduersaria; erosio fit, quod venenum, vbi ab homine fuerit ingestum, vi sua ignea, ac terrea sedem, in qua firmari contingit, corrumpit, calore eius natiuo prius corrupto, & eliquat successiue; ac tandem terrestrium partium ui summe abstergit, quod importat erosionem: ut propterea uenena ista iure fuerint erodantia uocata; sunt in horum numero arsenicum, resigallum, & alia.

Ideò autem quod minus terrea, sed magis ignea sint uenena hisce subordinata, excoriant tantum sedes, quibus adhærere contingit; cutem nimirum membrorum, quæ pertranseunt, in ignea inflammant, mox corrumpunt, atque abstergunt: unde sicuti hæc minus alte erodere, ita magis inflammare nata sunt. & ob id aditus per quos acri, ac permolesta afficiunt caliditate, ut cantharides: quod facinus perpetrat quoque aqua caustica, ui qua pollet ignea ac terrea.

Obstat terrea aqueum, quo minus eliquare, atq; abstergere sedes, in qua procumbit uenenum tertiæ differentiæ constitutiuum.

uum.corrumpit tamen ac mortificat illas calida,atq: acri, qua insigniter præstat potentia:hinc ex eo quod corruptum idem sit seu putrefactum,iure hæc putrefactiua uenena fuere dicta:quorum maleficia extenduntur quandoq;ad sanguinem magis, ac spiritus,si quidem uenenum minus terreo, magis aqueo polleat.

Quot, qualesque inferant sanguini noxas venena ei specifice infensa.

Cap. IX.

EST triplici pariter sanguis lethali subiectus maleficio, ubi in uenenum incidat. suæ naturę aduersarium corruptioni sine proprij coloris amissione:corruptioni totali:& corruptioni fermentationique simul:adeo ut,cum ad hunc peruenit terminū, uenenosus,ac fermentosus iam est.hanc triplicem maleficij differentiam statuit uenenum minus,aut magis calidum,subtileq: uelim autem per corruptionem te intelligere non eam,'quæ putrem dicit sanguinem,sed quæ citra quampiam putrem corruptionem,formæ sanguinis importat destructionem.ubi enim sanguis propria natura ac forma spoliatus est, & corruptionem, uenenositatemque in se admisit,nō amplius formaliter sanguis, sed massa est toto genere præternaturalis.cum autem huiusmodi uenena homini occurrerunt, uelut per ictum uiperæ,aut aspidis,statim per quam tenuissima facta non solum per uenas,& sanguinis ambitum diffunduntur,sed in ipsius etiam concalefacti ac rarefacti porositates,citra absurdum penetrationis corporum,se insinuant.

Igitur quantum ad primum maleficium, ut luculentior, ac clarior sermo euadat,quædam alia leuiora subnectere hic prius placet.etenim trahitur sanguis in quandam igneam inflāmationem,cum obuiam fit sibi uenenum,si uenenum meretur dici,cuius humor paucissimus est,idemq: coctus, ut uenenum stytalę, amphisbenę,pareæ,apum,uesparum, & similium: ideo quod illico actuationem subit:igneam,inquam,statim mutuat substātiam puram,humore nil suo contrario reluctante,sed in eius naturam transeunte,unde non solum affectæ partis sanguinem, sed ipsam etiam partem inflammat,ut propterea eadem ab impensa statim caliditate,rubore,ac dolore corripiatur.

Sed id maleficiũ ſicuti venenoſitate carere videtur, ita quãpiam redolet, cum ſanguis ab obiecto veneno turgeſcit, at quã primum ſuum eſſe naturale recipit, veneno ex ſe ad ſummum rarefacto, ac ſoluto. geſtant huiuſmodi venenum quędam reptilia minimum venenoſa, ac quidam parui bufones; quod ſicuti deflectit ab illa caliditate, qua cætera præſtant, ita nõ admodum denſæ eſt ſubſtantię; vnde remiſſæ caliditatis ratione, etſi ſanguinem venenati hominis excalefaciat rarefaciatq; , vt illum turgere neceſſe ſit: remiſſæ tamen hoc perpetrat, vt propterea læſum à fera membrum, quod ad ſanguinis turgentiam, intumeſcendam ſibi eſt, parùm intumeſcat, eademque ratione ſanguis citrà corruptionem turgeat, & veneno in aerem digeſto, ſuum priſtinum eſſe ſummit: ac demum lento pede venenum tranſit, aqueo humore crudiuſculo, ob ignei paucitatem ſufficienter obſiſtente: vnde ſicuti membrum affectum paulatim intumeſcit, ſic paulatim decreſcit. At ratione raritatis (reſpectiuè) ſubſtantiæ virus parum loci ſpatium occupat, adeo vt intumeſcentia, inflatione, quæ ſanguinis turgentiam conſequitur, in manu vel pede a fera percuſſo terminetur. quod ſanguis turgidus, tumenſque factus quandoq; incorruptus remaneat, obſeruamus in ijs, qui ab huiuſmodi veneni occurſu inflati, ſine quopiam conſilio, paucis diebus ſanantur: didicimuſq; à circulatoribus, qui ab epoto, vel alio modo in ſe excepto veneno valde intumefacti, quamprimum à ſuper aſumpta antidoto priſtinam corporis formam recuperant.

Subordinatur huic venenum, quod ſanguinem non ſolum reddit turgidum, ſed etiam corrumpit, colore proprio ſeruato, (quod eſt primum ex inſinuatis maleficium) ideo quod in caliditate magis eleuetur, vt obſiſtere nequeat oblatus ſanguis; quaſi per vlteriorem incaleſcentiam, aliqualem in ſe admittat corruptionem. qua de cauſſa cum maior veneni intenſio maiorem importet ſubſtantiæ denſitatem, fit, vt largius longiuſq; diffundatur in ſanguine venenati membri, adeo vt inflatio, quę alioquin per venenum, de quo iam modo, occurrens in manu remiſſa, terminaretur, per hoc eodem, eadem veneni quantitate data, totum bracchium intenſa occuparet. hinc fit quoq; vt celerius percurrat, & inflatio, quę per illud ad ſui maiorem magnitudinẽ dies expoſuit, per hoc ſi non horis, ſaltem contractiori tempore perficiatur; igneo in ſuum contrarium magis impetente, & a ſanguine leuiorem inueniente obſiſtentiam. Sanguis hic ſecundum eam, qua deprauatus eſt, partem, quandoq; reſoluitur, aut rurſus

coquitur ad alterius symetriam, si quidem leuis sit corruptio: alioquin, vbi in suppurationem abijt, per plura à membro affecto expurgatur vlcuscula.

Succedunt in ordine venena, quæ vt impensius ignea, sanguinem insigniter à se percalefactum, rarefactumq; mirum in modum reddunt turgidum, sæuiusq; excoctum naturali ac proprio dimouent colore, vt pro veneni differentia flauus aut croceus, viridis aut liuidus, vel niger efficiatur. & hæc sicuti magis ignea existunt, sic vbi occurrunt, per quam citius actuationem admittunt, & longe amplius diffundantur: adeo vt non in vno duntaxat velut icto crure, aut bracchio terminatur, sed per totum celerime diffunditur corpus. inditium istius rei est totius corporis intumescentia; hinc, si celeriter alexipharmacis non occursetur, interitus sępius adest.

Consequuntur alia quæ sicuti cuncta in caliditate superant, sic maleficium, quod in homine perpetrant, pessimum omnium est: non enim trahunt in turgentiam sanguinem sed vi, qua pollent impensissime ignea, tenuibus illico, & aquosis orbatum partibus totaliter corrumpunt, & venenosa simul induunt natura, vt iam venenare sit aptus. venenosum posse fieri sanguinem, declarant apertissime noxæ, quos lethales contrahit homo, cui, bouem à veneno per ictum feræ inflicto interemptum, excorticare contingit: maxime si is cultro se venenoso sanguine inperso vulneret, quandoquidē eius caro sine noxa tangitur, comediturq. Sicuti autem manifestum est, non alia ratione fieri venenosum, quam per quandam cum veneno commixtionem, & ipsius corruptionem: ita captu videtur difficilimum, quomodo venenum, quod est tota quædam ignea substantia, possit cum sanguine misceri, ac vnam efficere mixtionem venenosam, cum intersit inter venenum, & sanguinem proportio nulla. circa hæc sic sentio. sanguis, vt sanguis non potest esse veneni, seu formæ veneni susceptiuum: at vbi fit per corruptionem materia veneno proportionata, potest euadere alterum venenum. euadit autem, vbi ab obiecto calidissimo in se agente, orbatur acotioribus, ac calidæ naturæ aduersantibus partibus, naturamq; desuper comparat calidam, ac veneno coadæquatam, tunc enim veneno quodāmodo saturato, & in materia sibi consimili reddita, conquiescente, vnum quid coalescit venenosum. cuncta hæc sanguinis maleficia licet factitanti medico in regione, quę venenosa nutrit reptilia obseruare, atq; inter se distinguere.

Com-

Commixtio hęc, ac ſanguinis corruptio parum diſſimilis mihi videtur à commixtione fermenti cum paſta, quę per fermentum remanet corrupta, & fit fermento coadęquata, vnde vna formaliter maſſa fermentoſa coaleſcit. agit autem fermẽtum proprio acore in paſtam, per humiditatis conſumptionẽ, ac ſui ipſius introductionem, vt placet Hippocr. in 2. de diet. qui proinde panem fermentatum leuem eſſe aſſerit: ſic vinum quo magis aceſſit, eo magis decreſcit, quoniam interim reſoluuntur partes aquoſiores, & acori cõtrarię, quemmadmodum euenit, & ſanguini à veneno pertractato.

Perpetrant hoc maleficium venenoſiſſimę quædam ferę vt aſpis, chelidonium, baſiliſcus, quorum virus vbi per vulnus, aut alio modo homini occurrit, illico actuationem accipiens, celerime per vaſa cuncta velut aura factum ſpatiatur. ad differentiam veneni contagioſi, igniculorum inquam contagioſorum, qui æque valent ſanguinem corrumpere, ac fermentoſum reddere ſed non per ſui diffuſionem, vt qui prę exiguitate ſint inſenſibiles, & non æque ignei, denſęq; ſubſtantiæ, ac harum ferarum venenum; ſed modo fermentatiuo per partem poſt partem. ſanguinem nimirum, ſanguiniſue particulam primo obuiam ſibi factam, introducentes ſe, in quodam calido, atq; acri eſſe ponunt, ad cuius eſſe tota deinceps ſanguinea maſſa idem eſſe ſenſim contrahit, fermentaturq; cum ſit illud certũ, quod perexigua maſſæ fermentandæ pars fermentata ſe habet vt fermentum in totam: vnde ſanguis, qui primo venenũ in ſe admiſit, excepitq; quantus iſte ſit, se habet vt fermentum in ſubſequentem ſanguinis partem: & hæc rurſus in ſuccedaneã, ac ſic ſucceſſiue, quouſq; tota ſanguinis maſſa eſt fermentata: ignea namque vis, in ſanguinem primo introducta, non otiatur, ſed agit, vt quod contangit reddat ſibi ſimile, quę vbi complete introducta eſt, ab actione ſaturata ceſſat; vnde vſuuenit, vt quo tempore ſanguis, qui primo venenum in ſinum propriũ abſcondit, fermẽtatur, proximior quoq; à fermento exercetur, ſed differenti fermentationis gradu: namq; dum ille in tertio, ſanguis proximior in ſecundo, & huic ſuccedaneus in primo acoris gradu pertractatur, adeo vt vno, & eodem tempore reperitur in homine, in quo fermentans venenum introductum eſt, ſanguis, qui non à fermento eſt tactus, qui parum, quiq; multum, & qui fermento eſt expletus, & hic percalidus, atq; acer exiſtit: non tamen æque, ac contagioſus igniculus, cum à ſanguine primum excipitur: quoniam ſicuti tunc temporis

valde

valde calidus eſt,ab humano calore per maiorem adeptam extenuationem ad actum plene reductus,ita ſucceſſiue amittit de propria caliditate vlterius rarefactus, vſque quo ad gradum caliditatis ſanguinis,ſupra modum à ſe concalefacti, deſcenderit: tunc enim ambo vnius facti naturæ , in vnum commixti coeunt . Idem quoq; euenit ſanguini, cui fit obuiam venenū diffuſiuum : non enim prius cum ipſo miſcetur, quam ab ipſo fuerit,modo quo dictum iam eſt, inſigniter concalefactus ; & ipſum venenum per vlteriorem rarefactionem remiſſius factū, peruenerit ad coadequatum caloris ſanguinis gradum : hinc ſanguis venenatus longe minus calidus eſt,quam venenum, à quo : quod non euenit fermentato pani,qui reducitur à fermēto ad eundem gradum,ſi nihil obſtet,in quo ipſum eſt : quoniā cum militent ambo ſub vniformi ſubſtantia , ſubiecta quoq; acoris materia,vt longe admodum venenorum caliditate inferior,non agnoſcit quampiam in actu proprio rarefactionem; ſed quem acoris gradum retinet, illum in oblatam ſibi paſtam exerit: & propterea interciditur non alio modo fermenti acor, quam per crudi panis in clibano appoſitionem, mirum in modum ſubiecta eius materia rarefacta,atq; exſiccata.

Ideo autem quod in venenato hominis corpore ſanguis nō æqualiter fermentationem accipiat, & cum ſæpe in altero duntaxat illius latere fermentum vegetet,ad alterum nondum peruentum, fit vt noxæ in affecto quoq;duntaxat latere eluceſcant,vt ſuo loco explicabimus. hinc quoq;puto, vſuuenit vt, cum duo contangunt ſanguinem venenati à fera bouis , & ex his alter duntaxat afficitur, & alter illeſus remanet; propterea illum affici,quod ſanguis obuiam ſit ſibi factus venenatus, alteri minime talis.ſed modus,quo fermentans venenum percurrere per ſanguinem docuimus, tardus valde eſt,ad differentiam diffuſiui.

Vnde queritur hic quoto temporis ſpatio fermentoſum hoc venenum manifeſtetur, à tempore inquam ,quo primum occurſum eſt homini, ad tempus , quo fermentatus ſanguis à putredine correptus febrem,aut abſceſſum facit , & quidem ſi decretum publicum , de ſuſpectis lue peſtifera probandis,attendatur,videtur ſummum temporis ſpatium eſſe quadraginta dierum;ſed ad hunc vſq; terminum numqam peruenire arbitror, ſed propterea à ſapientioribus ſancitū fuiſſe , hominem de lue contagioſa ſuſpectum per quadraginta dies eſſe probandum, vt in re tanti momenti caute ageretur , quoniam mihi

ipsi persuadeo per raro ad diem vigesimum peruenire; sed maiori ex parte infra hunc diem elucescere, ratio est, quoniam longius tempus debet proportionaliter respondere tempori, quo noxę citissimę elucent; hę autem sunt mors repentina, quę citra febrem nonnunquam euenit, ac si venenum de genere extitisset venenosorum reptilium: adeo vt attenta hac aliquandiù percurrendi celeritate, conijciendum est, cum tarde repit, noxas esse semper elucescendas intra ambitum vigesimę diei. Faciunt ad celeritatem, vel tarditatem maior, vel minor veneni caliditas, dispositio sanguinis patientis, atq; tempus anni calidum, vel frigidum. etenim obseruaui in quibus suspectis obseruādi fuit mihi studium, æstate ut plurimum in prima, hyeme explicari venenum, intra secundam, aut tertiam hebdomadam.

His sic circa venena sanguinis corruptiua cum ratione statutis, quis à me quęret, cur, cum venenum sit quid igneum, venenose agit, flamma tamen ignis haud venenosos, sed combustiuos parit effectus. sit responsio: propterea quod flamma quid simplex est, citoque mirum in modum rarefacta labens, non venenum, quod, quia substantiatus est ignis, moram trahit in transitu, & permiscetur subiectam materiam per corruptionē reddens venenosam; quod flammæ haud quaquam cōcessum est. sic pasta, sic uinum fermentantur, non si flammis offerantur, sed ex fermenti, & aceti permixtione.

Nec quis miretur quod à quamminima, ac sępe insensibili veneni mole per morsum, aut ictum in affecto membro relicti, possit adeo diffundi, ac dilatari, vt totum venosum, arteriosumque genus de se expleat: quoniam hunc scire velim, venenum pręsertim impensissime igneum, tantę esse densitatis substantię, vt rarefactum incredibile loci spatium de se replere valeat; vt argumentari licet ex immensa fere flamma, quę ex pauca olei, per elichaium accensi quantitate, eleuatur vt, si oleū, quod in respectu venenorum frigidum est, accensum, adeo est sui ipsius diffusiuum, quid arguendum superest de venenis, quę ignis quidam sunt? insinuat hoc ipsum Ioannes Leo, dum scribit in Nubia, reperiri quoddam venenum, quod ad vnius grani pondus decem homines propinatum iugulat. quia immo Petrus Apponensis de uenenis, tantam esse scribit uenenorum agendi potestatem, ut in insensibili quoque mensura homines interimant.

Quo-

Quotuplex, ac Qualis sit noxa, quæ à venenis spiritibus, ac neruis speciatim aduersis infertur. Cap. X.

ETsi, quæ peculiariter spiritibus sunt obnoxia, æque uitales, ac animales oblædere sint nata; attamen offensa uidetur peculiaris animalium, ideo quod substantia, in quam abeunt, actuata, uaporosa, ac rara existens, sursum ex sui natura repit, quæ ubi in cerebro sedem iam sibi statuit, duo huic tenui, atq; illustri substantiæ grauissima infert mala. etenim si uenenum tenue splendescensque, & incoctis orbatum partibus extiterit, ut opium actuatum spiritum animalem quambelle dissipat, ac fugat, ut hinc suboriri sopor necesse sit tenebrosum, sed nihilominus percalidum ut mandragora, ut iusquiamum, eundem spiritum confundit, supra modum excalefacit, ac successiue corrumpit, unde & sopor, atque alia grauia symptomata cerebrum simul repletum, & concalefactum consectãtur. idem perpetrat cicuta in primis secundum tenebrosas actuata partes: ac igneis, tenuibusque explicatis, uitalem dissoluit ac dissipat spiritum.

Venena unis ferme malefica neruis, triplici afficiunt maleficio, lancinando, uellicando neruos; motus conuulsiuos excitando: & calida acrique eos afficiẽdo passione: ex quibus postmodum affectibus varia, atque admiranda suboriũtur symptomata.

Mordicat, ac vellicat virus, vbi homini recurrit, phalangiorum, scorpionis, ac tarantulæ; sed differẽti modo: illorum circa neruorum superficiem dispersum versatur. tarantulæ in eorum etiam profundo figitur. est enim uirus illorum quadantenus rariusculum, ob aqueum coctius; & quod minus acre sit, ideo quod de terreo nonnihil minus capiat, minorem infert molestiam. At densitas ueneni tarantulæ, resultans à qualitate aquei, facit ad penetrationem, & æqualem in loco diffusionem. plusculum eius terreum, ad maiorem lancinationem: aquei uero, ac terrei, quanta ista sit, cruditas, effecit quò ęgre perfectam subeat actuationem, qua aquei, ac terrei quantitate, ac qualitate attenta, uenenum hoc magis inferas, quam superas corporis partes occupat, atque affligit.

Comesta herba Plutarchi, ac Sbrdonia, ceu quæ in vaporosam, eamque impensæ igneam acremque substantiam commigrant, sursum repentia, maxime sunt cerebro infesta, & terrestrium partium vi, motus excitant conuulsiuas, sardonia in cerebro, infra herba Plutarchi, vt quæ plusculum de terreo capiat; secundum quam partem vel in cerebro haud peruenit, vel inibi peruenta, rursus declinat in subiecta membra.

Virus canis rabidi noua quadam neruos induit natura, sicca, inquam, ac calida, non per sui diffusionem, sed per partem post partem, rependo modo fermentatiuo: qua de caussa non solũ neruos, sed neruosas etiam, ac spermaticas omnes partes coafficit: neruus enim, neruosaue pars primum sauciata à veneno calida, & sicca, qua ualet potentia, in quodam calido atq. sicco acri esse ponitur, quo & ipsa proximã coafficit; cõmutatq;, & in eo esse ponit, in quo ipsa est; & hæc subsequẽtẽ, ac sic successiue, quo usq; per propagationẽ totũ æqualiter secũdum totam sui substantiam neruosum, spermaticumque genus, quemadmodum sanguinem fermentari docuimus, ad naturam ueneni est commutatum; quod fit ita paulatim, ac sensim, ut nulla tristis subsequatur sensatio: adeo ut non prius sui notam uenenum det, quam per totum sit spatiatum corpus, & in sublimi arce constiterit: quo tempore mira, ac lethalia deteguntur symptomata, vt suo loco videbimus: est autẽ virus hoc neruis spermaticisque membris ita specifice aduersum, ob complexionem, atque exquisitissimum eorum sensum, vt si per morsum rubra tantum caro fuerit vulnerata, nulla subsequatur offensa, temperatura carnis humida, nec non sanguineo succo, quo semper est referta, aduersantibus.



In

LIBER TERTIVS De Pestilentibus, ac Venenosis Morbis.

Quid tractatum fuerit, & quid nunc tractandum sit.

Cap. I.



Vm sit de natura uenenorum ad actum perductorũ, differentijs, eorumdemque effectibus generice pertractatum: modo de ijsdem speciatim agemus: quę nimirum symptomata, quos unũquodq; ex notioribus venenum in homine venenato producat effectus, ac qua ratione hæc fiant, iam sumus explicaturi: quo fiet vt, quæ admirabilia, ac captu impossibilia arbitrata fuere, eadem, vt rationi vndequaque consona, cuicumque plana, ac perspicua fient.

De venenis solida Ledentibus. Arsenico, resigallo, calce, sandaraca, auripicmento.

Cap. II.

QVemadmodum in complexione, ac natura parum inter se euariant uenena hæc, ita mala ab his illata parum dissimilia inter se sunt, & sola intẽsione, aut remissione differre uidentur. sunt autem ex Dioscoride, Aetio, & alijs dolor ventris venenati hominis, & intestinorum, cum graui morsu, & erosione: quibus malis accedere consueuit ęstuatio, sitis. Ideo enim quod præter igneam ex crassa terrea constent

ſubſtantia, non datur ipſis ad iecur, maxime ſi in arida ingeſta fuerit ſubſtantia aſcendere poſſe, ſed vel in ventriculo, vel inteſtinis, aut vtroque loco firmata, vi ignea, qua pollent acerima, proprię ſedis calorem mortificant, ac ſucceſſiue illam corrumpunt eliquant, atq: exedunt, vt ſubſequi acutum dolorem, grauem morſum, & æſtum neceſſe ſit.

De Cantharidibus.

Cap. iij.

CAntharidum mala recenſens Dioſcorides li. 6. cap. 1. inquit, accidunt his, qui cantharides hauſerunt vt ab ore vſque ad veſicam erodi illis videantur, piciq. aut cedrino liquori ſimile aliquid in guſtu obſeruatur. inflammantur his dextra præcordia, vrinæ anguſtias patiuntur, ſæpius per eam ſanguis fertur, quin etiam excernuntur per inferna eis qualia inteſtinorum difficultatibus excerni ſolent, defectibus animæ, ciborum veluti ex repletione faſtidijs, & vertiginibus laborant, mente tandem alienantur. addit Aetius, vrinam ſupprimi. (Ducuntur, vbi ſint ab homine cantharides aſſumptæ, ad veſicam, interim ductus omnes, per quos, impenſa ſui caliditate ignefaciunt, & inſigni ob terreas partes acrimonia quadantenus abradunt, eademque de cauſſa dextrum inflammant præcordium, ventriculoque à quibuſdam earum particulis tunicæ eius adhæreſcentibus lancinato, cibi fit faſtidium, ac ſi valde eſſet repletus. at ſecundum partes earum tenuuiores, ad cor translatæ animi inducunt deliquium, vitali ſpiritu fatiſcente, & ſurſum effumantes, picis ſaporem, atque odorem de se præbent, ſic eorum ſubſtantia non dum prorſus alterata ferente. & vbi in caput peruenerint, ſpiritum turbant animalem, ac deprauant, temperiemque cerebri corrumpunt, vt hinc vertigines, viſus obſcuritates, & mentis alienationes conſequantur.

Sed hic duo ſcitu digna diſcutienda veniunt. primum eſt, cur, cum cantharides ad ciendam vrinam valde polleant, in vſumque medicorum ſæpe numero veniant, ſcriptores tamen referant difficultatem, immo & ſupreſſionem eiuſdem parere? An quod per aſſumptas cantharides, cauſſa difficultatis vrinæ, ſup preſſioniſque eadem eſt, quæ & expurgationis, ſed modo

vrinam prouocari, modo supprimi contingit, pro ratione quantitatis, in qua assumptæ fuerint. etenim expurgant per vrinam, si qui sunt, qui aditus impediant, fundendo humores, serumque attenuando, vbi commixtę correctæque, & in pauca, congruaque fuerint assumptę quantitate: at cum in copia assummi contigerit, vbi ad renes peruenerint serum, cęterosque humores non solum subtiliant, sed etiam ad se aduocant, & sanguinem liquant, vt is sępenumero excernatur; & propterea confertim, nulloq; ordine descendentes vrinę difficultatem, aut etiam supressionem inducunt.

Alterum est, cur cantharides sint vesicę peculiariter infensæ, vt inter alios scriptum reliquit Galenus lib. d. ther. ad Pis. c. 4 & 10. 3. sim. c. 23. 1. d. com. med. pergen. cap. 1. & ipse noui hominē, qui ab assumptione medicamēti, in quo cantharides ab infesta sibi vxore superiniectę, vbi cętera accidentia fuere sedata, morsum ac dolorem in proiectione vrinæ, quæ frequentissime cernebatur, ad interitum vsq; passus est. Galenus a tota earum substantia prouenire scribit. phisica ratio est, quod etsi transitus, per quos, acrimonia, atque aliquali abrasione afficiant, æque forsitan ac vesicam; nihilominus offensa videtur, & est vesicę peculiaris, quod medicamenta, quę ad tollendas has noxas offeruntur ad vesicam vel non perueniant vel saltem imbecillima, & a lotio, de quo inibi semper inest, quodque pro exsiccatione sedem affectam humectet, correcta, vt fieri nequeat vlcusculum quodpiam difficilimum in hoc membro inducatur: pręsertim quod inibi decumbunt, firmanturque secundum pōderosiores, ac propterea acriores partes. Sed cur intestinis hoc non vsuuenit? Dic quod vbi ad regionem iecoris peruenerunt, per naturales ductus ad vesicam cum sero amandantur. Est autem ipsis, vbi ab homine fuerint assumptę, iter à ventriculo ad iecur ob loci caliditatem, quæ cum attrahere nata sit, ipsarum etiam actuata substantia suo simili vniri velut appetit. & ob hęc euenit hoc ipsum cæteris etiam venenis.



De

Dlepore Marino.

DE hoc animali loquens Dioſcorides lib.6,cap.30. ſequitur, inquit,marini leporis potum ſapor viroſus ſimilis in guſtu corruptis piſcibus:procedente tempore aluus dolore vexatur. ſupprimitur vrina: & ſi quando erumpit, purpureo eſt colore. auerſatio aliorum piſcium.ſudor grauis odoris. biliosſus vomitus,& aliquando cruentus.Nicander,Aetius,Auicennas addunt inter alia ſubſequi etiam ictterum, & carnem paulatim contabeſcere,pudendi inflamationem, & tumefactionem, ſputumque cruentum:tale autem ſputum videtur comprobare, quod in lib.d.Eher.ad Piſ.c.4.& 1.d.com.m.per gen.c.1. ſcribit Galenus, leporis marini proprium eſſe pulmonem offendere. Caro huius animalis etſi terreas quaſdam partes, ob quas erodendi vis illi ineſt, cum igneo multo iunctas in profundo abſcondat: maiori tamen ex parte ex humidis ac percalidis conſtat, ſecundum quas ab homine aſſumpta in primis actuatur:vnde viroſus, teterue in primis, ac ſimilis putrefactis piſcibus ſapor inducitur,propterea quod animal hoc in cęno degit, ex Eliano lib.2. d.hiſt.an. cap.45. accedente percalida, atque humida carnis qualitate,putrefactioni potius, quam coctioni ſubiectæ:qua de cauſſa ſtomacatus homo ex hoc abominando ſapore poſtmodum auerſatur ab aliorum piſcium eſu, & ſudor, qui manat, generatricem habens hanc humidam, & calidam,atque incoctam materiam,grauis eſt odoris. hinc ſucceſſiuè terreſtrioribus,ac calidioribus partibus explicatis, aluus dolore vexatur, vellicata. ſupprimitur vrina, ob tumefactum membrum,vt placet Aetio:vel quod ſanguificatrix facultas prę ignea violentia ſit ſublata, aut corrupta: quo caſu neque ſeri ſubſequitur ſeparatio,ac ſucceſſiuè nulla redditur vrina, qualiter poſtremis diebus, cum iecur ſecundum ſui totum corruptum,vel refrigeratū eſt,hydropicis vſu uenit.hinc quod ſanguis ſupercoctus,bilioſus euadat, icteritia,carnium contabeſcentia, & bilioſus vomitus locum habent. pudendum infllammatur, ob virus eo maximè decumbens: ſagax enim natura ad emunctoria,quo ad ſibi eſt,reiectanea amandat: vt mirum haudquaquam ſit,ſi virus inibi confluxum ſanguinem ad ſe trahat, qui,ſi excernatur,purpuream reddit vrinam.

Reliquum eſt, vt ratio afferatur, propter quam ex Galeno ma

rini leporis proprium ſit pulmonem exedere, vt inde ſputum cruentum ſubſequatur. circa quod ita ſentio, ſi de hoc quidem animali plurimum fuerit aſſumptum, non minus hoc, vel illud membrum offendi, quam pulmo, vt propterea vis erodendi in genere fuit ipſi aſſignata; in tali enim caſu omnes prope corporis partes veneni violentiam ſentiunt. verum vbi parum, & cum alio cibo comeſtum ſit, ita vt exigua hęc quantitas tranſeat ſub nomine cibi, tunc dieo maleficentiam ad vnum peculiariter pulmonem ſpectare, ob id, quod ſanguis, qui ex carne marini leporis, cum alio cibo commixta & ingeſta gignitur, percalidus, bilioſus, ac ſubtilis eſt, talem autem cooptat, talemque trahit pro ſui nutrimento pulmo, teſte Galeno in 4 de alim. & alibi cum autem ſanguis hic à pulmone allectus nondum ſit ex toto confectus, non totus probus, ſed quaſdam in alto terreas, atq; igneas non dum victas partes, vt calori natiuo peruicaces, abſcōdat, fit vt vbi probæ in alimentum ſint conſumptę, improbæ, & inalteratæ ſuperſint, quæ, ad actum tandem reductę, pulmonem exedunt.

De Ephemero.

PRuritum, inquit, Diſcorides, lib. 6. c. 5. toto corpore ſentit nec aliter quam ſi ſcilla, aut vrtica vreretur, ſi quis ephemerum, quod colchicum, ſiue agreſtum bulbum aliqui nominant, hauſerit: erodentur præterea illi interanea, & cum ponderoſa grauitate ſtomachis ardores adſunt: inualeſcēte deinde malo cruenta aliquando ſtricmentis carnis mixta per aluum feruntur (ephemerum pręter quaſdam tenues, atque impenſe calidas, quaſdam etiam terreas ęque calidas includit partes. illæ igitur ad actum prius reductæ, ac per corporis ambitum diffuſæ pruritum, atque vſtionis ſenſum inducunt: dein verò terreæ, in conſpectum ſe ferentes, interanea exedunt, & ardores circa ſtomachum cum ſenſu grauitatis (ob ſpirituum partis reſolutionem) excitantur. ſucceſſiue maiori in ventriculo, & inteſtina eroſione facta, cruenta, ac ramentoſa per aluum feruntur.

De Salamandra veneno Putrefaciente. C. IV.

SAlamādra ex Dioſcoride loco citato cap. 4. aſſumpta linguæ in primis inflammationem, & cum torpore, reſolutionē q; quapiam tremorem, ac ſermonis impedimentū affert. liueſcūt etiā in orbē quædā corporis partes, permanēteq; veneno ſæpius corruptæ decidunt. quāuis hæc abominanda fera præter igneas terreis primū, atq. aqueis polleat, non ſecus tamen tenuiſſimas alias ſumme calidas aſſummit, quæ quamprimū actuatæ linguę in primis inflammationem, ac mox reſolutis, qui huic mēbro inſeruiunt ſpiritibus, torporem reſolutionemq. à qua ſermonis impedimentum inducunt. inde ſedes, ad quas ſecundū craſſas terreas, igneaſq. partes virus decūbere contingit, putrefactæ liueſcunt: etſi quidē non profligetur, ſæpenumero ad ſummū mortificatæ, & ab aliæ ſeparatæ decidunt. ſunt alia in hoc genere venena, quorum ſymptomatum, effectuumq; cauſſas poterit vnuſquiſque hac eadem arte facilè adinuenire: neque enim ſingula in vnoquoque genere ſunt nobis perſequenda, ne ad nauſeam ſuccreſcat.

De Venenis ſanguinis corruptiuis.

De veneno viperæ Cap. V.

CVm inſinuatum ſit, uenena uenenoſorum reptilium ſanguini eſſe peculiariter aduerſa, iam modo uidendum, quæ mala in animante ſingula hæc à ſe uenenato pariant; ſumpto à uipera, ut fera notiori, exordio, à cuius morſu Dioſcorides, Aetius, & alij hæc potiſſima mala ſubſequi tradiderunt, exire primum a vulnere ſanguinem, deinde ſingultem ſaniem ſanguinolentam, & oleoſam. tumorem ſubrubrum, feruidum, deinde liuidum, ac denigratum. puſtulas ambuſtis ſimiles, depaſcens, vlcus: ardorem corporis, inflammationem circa iecur: os exiccatum exolutionem, tormina, biliofum vomitum, ſingultum: ſpiritum & anhelitum celerem, capitis grauitatem: tremorem, ſoporem, vrinæ difficultatem, colorem plumbeum, frigidum ſudorem. Non mirum ſi ſanguis, qui primo fluit oſtendat nullam ſuſcepiſſe corruptelam, vt qui ſtatim exeundo veneni vim ceu effugerit. verum qui venenum in proprium excepit ſinum, corruptionem ſui facile oſtendit, exiens non qualis ex natura eſt, ſed vt ſanies ſanguinolenta, & oleaſa

tumet,

tumat, rubescitq; locus, à veneno inflammatus: mox liuidus, ac niger efficitur, calore eius natiuo corrupto: in quo etiam pustulæ vt ambustis similes excitantur, quippe virus igneum quid est, idemque carnem depascens, ratione terreæ igneęq; simul partis, quæ ad diffusionem inepta, in sede affecta remanet. corporis ardor, iecoris inflammatio, oris exsiccatio, sequuntur venenum secundum eam potissimum partem, quæ magis cocta, & elaborata est. exolutio à sanguinis corruptione, & spiritali substantia labescente venit. tormina fiunt intestinis, aut lancinatis, aut extensis, à flatibus in cruda materia percalefacta à viru excitatis. & bilis, si quæ inest, euomitur, ventriculo contra noxia se mouente. qua quoq; de caussa efficitur singultus. anhelitus celer, corde ęstuante, & refrigerio admodum indigente. capitis grauitas, tremor, sopor, spiritus animalis lethalem sequuntur offensam: à qua etiam vrinæ venit difficultas. color tandem plumbeus, ac frigidus sudor, natiui calidi extinctionem, sanguineæque, ac spiritalis substantiæ corruptionem testantur.

De Veneno Dipsadis.

De dipsade, quam Aetius viperæ spetiem facit, loquens Dioscorides, cùm quo cęteri sentiunt, hæc habet. vrget à morsu dipsadis statim intolerabilis ardor, sitisque tanta, vt nec expleri, nec intermitti possit: potionesq; copiose infusas quidem hauriant, eadem tamen semper sitis sit; nec aliter sentiatur, quam si à principio nihil hausissent: neq; ex continuo poculorum haustu aliquid siti decrescit, sed idem semper & ęqualis totius sitis habitus est, quam ob caussam ab vrendo prester, & ab ardendo causus dipsas etiam dicta est. subdit Aetius duobus igitur pereunt modis, aut ob multam sitim exusti, si potum non assummant: aut ob multam repletionem distortus rumpitur venter.

Venenum hoc, quod impensissime igneum est, ideo quod aqueum, ac terreum, quantula hæc sint, in eo remisso assummat cruditatis gradu, qui remissior esse nequit, fit vt vbi homini occurrit, tum illico actuationem accipiat, tum & non minus carnibus, quam sanguini ad instar veneni amphisbenæ, & vesparum, mordacissimum se offerat: non enim harum humiditates absummit solum, ichoremque omnem dissipat, sed eas quoque ignefacit, vt ardorem intolerabilem, nec non ardentem, & inexplebilem sitim consequi necesse sit: adeo vt languentes al-

tera ex duabus ab Aetio significatis de caussa interitum subeant? accedant huc, qui omne serpentum genus frigidum esse putent, & videant, num effectus isti frigidam redoleant caussam.

De Veneno Hæmorrhoi.

QVi ab hæmorrhoo vulnerantur scribitur à Dioscoride, & Aetio graues dolorum vexationes sustinere: breuia angustaque reddi penitus eorum corpora: & vndequaque sanguinem profluere ex cicatricibus, si quæ sint: cruentaq; egeri excrementa: pro vrina cruentum in grumulos sanguinem destillare: eicique per tussim, per vomitum sanguinem. de fęmina hæmorroide addit Aetius angulos oculorum sanguine manare, & gingiuas dentium & vnguium radices: & subdit, vt simpliciter dicam per omne corpus sanguinem efferre contingit.

Venenum istud, quod igneum in quodam summo est, ob id quod pluscūlum de terreo, quam alia in suo genere venena assummat, fit vt actuatum venenati à se hominis sanguinem adeo subtiliet, atque agitet, vt oscula venarum dirumpi, atque reserari necesse sit: vnde ceu tortis ac diruptis visceribus, grauissimi consequuntur dolores: & sanguis feruefactus attenuatus, impulsus, atq; agitatus ab omnibus corporis emunctorijs, & cunctis partibus erumpit. vasis autem inanitis, euacuatis, atq; arefactis, non possunt non breuia, angustaque reddi venenatorum corpora.

De Viru Dryni.

A Morsu dryni, ijsdem scribentibus, sequuntur percussi loci dolor, vehemens, pustulæ repentes, ac tandem mortificatio ipsius, à quo aquosus aliquando humor fluit: subinde corporis siccitas, vomitus, vrinæ, suppressio; tremor, vocis interceptio, stupor: quorum omnium caussa facile potest colligi ex ijs, quæ de veneno viperæ sunt declarata. rursus à Galeno, Aetio, & alijs traditur, supertranseuntis hominis pedes excoriari, & tumorem ingentem circa crura induci: (Excoriantur pedes, cute à virulento corrupta spiritu; qui in penitiora se condens, & valde turgidum reddens sanguinem, crurum inducit ingentem tumorem. rursusq; aiunt curantis ægrum manus excoriari:) sic nimirum contactu calidissimæ, atq; acerimæ rei ferente.

De Aspidis veneno.

PVncturæ similis ex Dioscoride, & quantum fieri potest exiguus, & sine tumore est aspidis morsus: sanguis non multus verum exiguus, & niger destillat. hebetatur quamprimum oculorum acies, totoque corpore multiplex sed mitis, nec sine voluptate dolor: mutatur color, virescitq;, frons continue contrahitur: sine sensu palpebræ veluti conniuent: & inter hæc mors adest nec tertia diei parte dilata. Sed non erit inuenustum hic adijcere, quæ de punctura huius feræ scribit lib. 9. d. hist. anim. Ælianus cap. 61. morsuum inquit vestigia ita per purum apparentia aspis imprimere dicitur, vt indicia vix oculorum acie deprehendantur: cur vero sint tam obscura, ignotaque caussam hanc esse audio ipsius veneni ad transmittendum peracutum, mirabiliq; celeritate ad intima transitionem faciens: cum enim hæc ipsa morsum efficit, venenum non eminet, & apparet, sed sub cutem subiens intra meatus bene penitus subest, atque sic ad intimâ delabitur, vt nihil extet, atq; emineat, quare ab Octauianis Cleopatræ mors non facile oculis comprehensa est, nisi tandem sero admodum ex duobus punctis difficilibus ad videndum, ac comperiendum animaduersis mortis obscura significatio deprehensa est: alioqui aspidis tractus vestigia manifesto apparent his, qui historiam horum animalium teneat.

Est venenum aspidis in extremo igneum: sed quoniam eius aqueus humor non est æque coctus, seu est quadantenus magis crudiusculus, quam qui dipsadis, propterea venenum hoc actuatum intra limites totius calidæ substantiæ, omnium, excepto veneni basilisco, tenuissimum est. & non versatur circa solida, vt venenum dipsadis, sed circa tenuem, ac spiritalem substantiam, qua celerime perrepens sanguinem priuat, ac venenat. cui spiritui & sanguini sic tractato respiciens in lib. 6. cap. 70. Dioscorides dixit, venenum aspidis sicuti, & basilisci spiritum, & sanguinem in venis gelare. hinc etiam locus ab aspide punctus non tumet, nec inflammatur, sanguisque niger non quidem exit, sed destillat, vt crassus & ab exiguo effluens foramine: colorque mutatur ad virescentem: oculorum acies hebetatur: palpebræ sine sensu fiunt: conniuent vero ob frontis contractionem, ob neruos calore & animali spiritu priuatos subortam. ille autem per totum dolor multiplex sequitur, neruos passim à viru disperso expunctos, sed leuiter, ac ob id mitis est, nec sine voluptate, ad instar titillationis, quæ inducitur non sine aliquali hominis molestia, ac simul delec-

tatione. interim præceps adest interitus, à sanguine venenato, ac spiritibus labescentibus accitus. vnde non mirum si aspidem sine doloris sensu occidere scribitur. testatur id ipsum Plutarcus in vita Marci Antonij in casu Cleopatræ, & affert historiam Elianus loco cit. cap. 62. de quodam circulatore, inquiens, cum Pompeius Rufus Romæ ædilitium munus obiret quinquatrijs, vt solet in Romano foro fieri circulator, alijs permultis, qui eandem, quam is ipse artem factitaret, circumstantibus ad suam ipsius ostendendam sapientiam, simulq; ex artificio suo specimen dandum, aspidem ad bracchium admouet, & ex impresso morsu malum exuggit, cum postea non aquam, quam sibi præparauerat exsorbuisset, quod ea esset subducta, ex insidijs nimirum vas fuerat euersum, veneno non exhausto, neq; eiecto, secundo post die sine doloris sensu, cum sensim, & pedetentim pernicie veneni illapsa eius os, cęteraque membra extabuissent, vita priuatus est. (vbi sanguis corruptus est, vt tabescant membra, & animalis spiritus dissipatus, vt mors sine doloris sensu subsequatur necesse est.

De veneno basilisci.

PErcussos, inquit Aetius, ab hac fera totius corporis ardor comitatur, itemq; liuor: defluunt capilli è corpore confestim; & in instanti mors sequitur. (Ardor totius corporis effectus est veneni impensissime ignei, quod propterea natiuum calidum extinguens liuorem inducit; vnde alimento, & radice pilorum corruptis, eosdem defluere necesse est. & cum venenum hoc in intensione cuncta alia superet, interitum, per quam celerime totum hominem percurrens, subitaneum affert.

De Rana rubeta, mutaq; palustri.

HAustæ inquit Dioscorides rubeta, vel muta palustris rana tumores corporis cum eo pallore faciunt, vt buxo similes videantur. super accedunt spiritus angustiæ, animæ, & spiritus fętor, inuoluntariusq; seminis fluxus. (corporis tumores turgentiam sequuntur sanguinis: color buxi, eius corruptionem. respirandi angustia, tumorem turgentiamq; consequitur: aut fędatum à virulentis vaporibus cor, vitalemq; spiritum esse arguit. quà etiam de caussa spiritus exit fętidus. singultus fit ventriculo mouente se ad excretionem absurdissimæ rei: qualiter & vasa spermatica siue stimulata, siue à tumore compressa, semen à se trudunt.

S 2 De

De veneno contagioso, seu contagiosis fermentosisq; igniculis.

Cap. VI.

QVi de contagio tractarunt scriptores, erudite, ac luculenter, quantum rei obscuritas ipsis permisit, naturam, ac caussas explicauere: at nixi in falsis principijs non bene contagiosorum seminum, ab ipsis sic vocatorum, rationem explicarunt; vnde & quomodo semina hæc hominem inquinent, quæ qualioq; mala producant, vel subticuerunt, vel male collegerunt. hoc est, quod in hoc capite sumpsimus exagerandum. & quoniam visum est, horum esse sanguinem corrumpere, ac fermentare, superest vt iam videamus, quæ mala ex hoc corrupto, ac fermentato, quaq; ratione excitentur. Sed prius vnumquemq; scire velim hos igniculos cum homini obuiam fiunt, non minus intra corpus excipi per vniuersæ cutis poros, quam per inspiratum, qui per os efficitur, vestimentis non obstantibus, cum facile hæc permeent, à calore carnium attracti: inde à cutis poris excepti venosum, aut arteriosum quodpiam vasculum ingrediuntur, successiue ratione anastomasis, in plura diuaricantur vasa. cum vero per oris inspiratum excipiuntur, quamprimum ad vasa cordi proxima perueniunt, atq; inde amplioribus successiue, sanguinem corrumpendo, ac fermentando cõmunicãtur. Quod si quis quærat sensum ne inferant, dum in carnes se insinuant: dico fieri prope non posse, quin aliqualem, seu stimuli sensum inferant: at cum æmuletur forsan pruritum, vel stimulum quempiam leuem, ac cito euanescentem ab homine non obseruari.

His sic prælibatis duo potissima mala ab hoc contagioso, ac fermentante veneno, medio corrupti, ac fermentati sanguinis produci comperio, febrem & abscessus. silentio tamen non est, prætereundum aliquandiu contingere, contagione in gentem sæuiente, vt quidam ab excepto in se veneno ex improuiso concidant. cuius rei caussam, dupplicem autumo; An quod, liquores, qui in cordis ventribus sedent, & vitam ex Hippocrate in lib. d. cor. homini conferunt, ab intromissis per oris inspiratum abundanter igniculis à primo ferme impetu corrumpuntur. An quod, cor venenato prius sanguine obsideri contingit, quam putrescentiæ sanguinis detur locus. quod tunc vsu venire rationabile est, cum venenum per vtramque inspirationem liberaliter introductum, totum

quam

quamprimum corrumpit sanguinem, vt sequi interitum necesse sit. sic à corruptione sanguinis inducta à viru venenosæ feræ febris non solet sequi, interitu ob sanguinis corruptionem præueniente, priusquam corruptus putrescat sanguis. huiusmodi interitum quidam ex ministris experti sunt in publico ægrotorum loco Ciuibus Brixiensibus adaperto, & inter alios Medicus Gallus eidem loco deputatus,

Vbi igitur sanguis fermentatus iam est, febrem, concepta in se putredine, facit, fieri nequit, inquit Galenus 9. meth. 5. quin sanguis, putrescat, vbi naturalem bonitatem semel amiserit, cum etiam quæcumque præter naturam in calido, & humido consistunt loco, vt putrescant necesse est 1. agn. t. com. 42. Hæc autem alias magna, acutaque, & penitioribus partibus valde molesta: alias parua, atque alteri aduersa. cum intestina præsertim vasa febris focus sunt, illam attendes. propterea enim quod intestinus hic focus supponat fermentationem vigere in amplis vasis, atque hinc celerius fermentum percurrat, fit vt, cum febris incipit, fermentatus iam sanguis multus sit. vnde ratione copiæ febris magna, ratione loci fit acuta, atque interna,

At cum per extrariam corporis superficiem fermentatio serpit, parua tenet febris, contrarijs de caussis. verumtamen si quispiam interim abscessus non elucescat, qui vitiatum sanguinem perfecta in se excipiat, aut copiosus sanguinis fluxus non superaccedat, corruptione vlterius repente, & in penitiora condente se, æger, qui leuiter prius ægrotare sibi videbatur, tandem ex hac longe, lateque spatiata, viribus ad summum resolutis decedit.

Quandoque tamen parua se habet etiam si fermentatio in abscondítis sit ausis diffusa, cum fœdatus sanguis non totus, ratione puto, frigidæ eius naturæ, sed tantum quædam pars, quæ scilicet prius fermentum in se excepit, putrescit: quo nihilominus casu mors celerima adest, non quidem febris, sed corruptionis diffusæ ratione. quoniam caussa, ob quam sanguis non totus simul, sed per partem post partem putrescit, eadem est, ob quam à putredine tarde corripitur: vnde cum febris primum accenditur, corruptio iam vaste spatiata est. hinc fit, vt homines, quibus tale contingit, antequam ægrotent, decolorati graciles, ac ferme sui dissimiles fiant: adeo vt, qui in suspectione excepti contagij talem faciem gestant, hi vt quamprimum lethaliter ægrotent, est expectandum, quibus solet superuenire quispiam imperfectus, ac mortis nuncius abscessus.

Eiusdem est fermentati sanguinis bubones, ac carbunculos, nihil à pro-

à proprio veluti parente degenerantis, efficere. Sicuti enim veneni in homine concreti est, huiusmodi abscessus procreare; ita & sanguinis, vbi iam sit veneno isto fętus. etenim ex ijs, qui ex fermentante veneno laborant, multi ab his abscessibus corripiuntur: cuius rei caussam dupplicem agnosco; alteram corrupti, ac fermentati sanguinis acorem, à quo natura stimulata ad expellendum, quod molestat insurgens abscessum facit: alteram locum particularem, quem idem sanguis vt plurimum occupare solet: quandoquidem siue per cutis oscula, siue per os venenum fuerit introductum, per vnum vas, aut quidem plura, sed sibi proxima ac cognata proserpit; vnde naturæ tempestiue expunctæ datur facultas, eundem in vnum ferme coactum, in vnum amandare, ac collectitium facere abscessum: quod datum haud sibi est, vbi diffusa per corpus sint, præsertim si acrimonia careant excrementa.

Contingit autem, vt alias febris abscessum antecedat, alias vero in vnum ambo coincidant; nunc vero abscessus præcedat, aut stet pro toto morbo. Quandoquidem igitur viciatus sanguis putrescat, prius quam natura stimulatur, iam scis tunc febrem præcedere: quod vsu venire putabis, cum fermentum in amplis spatiatur vasis, vt quæ tardius ab acore fermenti tangantur, ob insignem eorum caliditatem, in acris præsertim homine caloris; nec non quod vasa hæc minus expedite valeant, ob amplitudinem, reiectanea, ac nocentia à se repellere; vnde febris per diem, vel dies affligit, antequam abscessus fiat, quod prauum semper obseruauimus.

Febris & abscessus vno & eodem tempore elucent, cum ab inchoata putredine, quæ febrem importat, explosio simul sequitur; & perseuerat donec vitiatus sanguis in abscessam totus corriuauerit partem: etenim cum, vt plurimum non possit totus, vbi primum efficitur abscessus, in partem transmittit, relinquitur in venis pars, quæ, vt fermentosa serpendo, & sanguinem corrumpendo nouam materiam febri parat, vnde si naturæ conatus præueniatur, vt homo tandem succumbat, necesse est: sin autem naturæ conatus euincat, sanguine vitiato probe tandem expurgato, salus accedit.

Præcedit febrem abscessus, quando acoris stimulus præuenit putredinem. etenim etsi acor proprie explicetur, cum fermentatus sanguis putrescit: attamen actuatur quoque quadantenus dum à fermento exercetur, cum fermentatio quædam sit ex Plutarco putrefactio lib. prob. prob. 107. maxime vbi sanguis quan-

dam

dam incalescentiam, quæ dispositionem ad putredinem subeundam dicit, fuerit adeptus. sed hoc vsu venire putes ijs non qui mordaci vtuntur calore, sed quorum calor ratione ætatis, ac temperamenti vt puærorum, pituitosorum, quamcumque acrimoniam molestam habet. in his igitur natura ab acore, quantus iste sit, tempestiue expuncta, sanguinem, vel sanguinis partem fermento expletam trudit: febre postmodum subsequente ex putredine eiusdem in sedem amandati: vt plurimum enim in hoc casu nil de fermentato in venis relinqui solet. hinc semper bonum est, abscessum præcedere febrem.

Abscessus stat pro toto morbo, quando ante putredinem totus omnino sanguis vitiatus in partem abscedit, cum paucus est: ideo autem paucus, quod fermentum lento pede serpserit per quędam ambitus corporis vasa: & propterea euacuato penitus fermento, abscessus salutis securitatem afferat.

His sic de bubonibus, ac carbunculis in genere præmissis, seorsim iam de vtrisque sermo est absoluendus. Quandoquidem igitur fermentum in vasis amplioribus dominetur, solet sub axillas, aut sub inguina bubo, aut bubones in vtraque parte attolli, sed vt plurimum exigui, imperfecti: ideo quod, cum natura trudit, solet semper multum de sanguine esse vitiatum, qui à natura non potest apte in vnum cogi: adeo vt, si latius fuerit fermentatio spaciata, siquidem quicpiam abscedat, papulas efficit: quæ si super erumpant post bubonis extuberationem, sunt vastæ corruptionis inditium: quo casu bubo, vel bubones, qui prius erant magnitudine conspicui decrescunt, aut euanescunt, quoniam sanguis, qui erat ad glandulam missus ab intestino incendio rursus intra venas aduocatur, quod in quibusdam quoque malignis, vel pestilentibus febribus euenit nonnumquam: quod sicuti est prauum, ita à sene ad omnia intento fuit in 2. ep. sec. 3. damnatum, cum dixit, tumores glandularum deteriores, qui in acutis ab initio decrescunt. attamen & in hisce partibus, vt perfectas in quibusdam salutares conspeximus: quos etsi non inficior potuisse effici fermentatione in intestinis vasis vigente, vt plurimum tamen factos sentio eodem in extrariæ regionis serpente venis, cum excipi venenum à vasculo quopiam glandulæ cognato, vel proximo contingit. hinc quosdam bubones sub inguina factos obseruaui, qui in ob longitudinem effatu dignam, atque admirabilem efformati erant: arguentes fędatum sanguinem ab vno potissimum vase per carnes distributo in glandulam corriuare, atque successiue sede in carne occupata præposterum fieri.

Solent,

Solent, qui in Salutem terminantur, bubones sæpius supputari; rarius insensibiliter resolui. suppurantur, cum deprauatus sanguis, e venis in copia excisus, & in grandulam, & circum, adiacens spatium illapsus, à se ipso conculcatur, obruiturq; vnde sede valde repleta, & extẽsa, & poris tantimode stipatis, putredinem conclusus concipit, à qua sedis inflammatio: interim idem sanguis efferuescens, tandem pus efficitur, quod pus est sanguis, non quidem exustus ac veluti cinis, vt sentire videtur Galenus 2. aph. 47. sed tamen suffocatione quodãmodo elixatus, idemq; fit coloris albi, si probe commutatus, & alimentitius extiterit. & ideo fit coloris albi, quoniam vbi per hanc sanguinis corruptionem sint aliæ substantiales qualitates amissæ, ræmanent chilosa: vnde numquam persuadere mihi potui, vt crederem fieri album ob conceptaculorum tunicas, neruos, membranas, cartilagines, ossa, vt idem auctor insinuat i preg. t. com. 42. spectat enim inflamatio ad carnem præcipue musculosam, quæ ipso teste lib. d. tum. num. ca. 2. sensu vndequaq; consentiente, rubra est. vnde pus non album, sed ob rationem, in quo ipse nititur, fieret rubrum.

Resoluuntur bubones, quando sanguis in partem illapsus, paucus, nec compactus est; qua de caussa à calore partis, qui in hoc casu conseruatur, mirum in modum rarefactus, in vaporosam, atq; insensibilem digeritur substantiam. hinc hi minus duri, calidi, ac dolorosi existunt.

Contigit quandoq; vt bubones retrocessi, per copiosissimum sint soluti sudorem. modo duobus affligentibus, alter duntaxat repurgatus alterius quoq; materiam excepit: vel alter suppurationem, alter resolutionem est sortitus; vel si carbunculum bubo comitem habuit, euanescens, per hunc interdum euacuabatur.

Carbunculi contagio in gentem seuiente frequentes visuntur, quorum productrix materia est modo venenum in homine concretum, modo fermentatus sanguis. & de illis quemadmodum, & de pestiferis bubonibus suo loco dictum est: hos autem fieri sentio maiori ex parte, cum in vasis circumferentiæ corporis serpit fermentum, qui sicuti cum leuiore erumpunt febre, minoriq; inflamatione, nec altas habent radices, & minimum depascuntur, ita pestiferi, cum vndiq; ignem expirent, nigri efficiantur, profundius insideant, & late depascantur, grandiores, nec non frequentiores sunt.

Porro, & illud non ignorandum est, quod sicuti vnus carbunculus, vnus bubo perfecte abscedens inditium est venenum vnam duntaxat corporis partem occupare: sic plures carbunculi, plures

bubones arguunt vt plurimum, plures illud idem obsidere partes, aut in meditulio stationem habere: vtroq; modo salubrius est, plures efflorere obscessus, id quod satis comprobatum fuit in superiori peste.

His sic de fermentante veneno statutis vnum superest discutiendum, cur per fermentantes igniculos, qui ex austrino putrescente sanguine pestilentium quarumdam febrium caussa atolluntur, abscessus in correptis non contingunt, sed febris duntaxat continens, eaq; valde lethalis. An quod natura tunc collectaneum efficit abscessum cum stimulata est, materiaq; in vnum coacta. vtrumq; autem abest in hoc casu: cum enim acrimonia parum valeant, per oris etiam inspiratum duntaxat excipiuntur, quæ res sicuti declarat sanguinis corruptionem spectare ad sanguinem in amplioribus vasis insidentem, ita scimus non à leui hæc tangi acrimonia, vnde vna citra abscessus locum habet febris.

Quod igniculi isti per oris inspiratum tantūmodo ab homine intromittantur, inde arguo, quod nequeunt, vbi, e morboso corpore effluxerint, ius totius substantiæ diutius gaudere: vnde si ab homine iuxta ægrotum stante per oris inspiratum non fuerint excepti, ad aeream quamprimum properant formam: idcirco vagantibus huiusmodi febribus domestici, ac ministri ægrotum duntaxat inficiuntur: contagiumq; istud nequit alienis offici, & ad distantem locum per fomites comportari.

Circa contagij cōmunicationem Auctoris sententia, vbi difficilima sed præclara quædam aperiuntur, vnde, & obiter legitima Magneticæ attractionis caussa in lucem prodit.

Cap. VII.

NE quid tractationi de contagio desit, propriam aperiam circa istius communicationem sententiam, vt Reipublicæ, sanitatisq; moderatores, atq; vnusquisq; sciat, quomodo gerere se in pestilenti, ac contagioso statu debeat. circa quod vt prius sciatur necesse est, ad hoc, vt quis contagio afficiatur, requiri, vt contagiosum quod-

quodpiam corpusculum excipiat introq; admittat, vnde ægrotare habeat. quare tria in communicatione contagij concurrere conspicamur. corpus, à quo corpuscula hæc eleuantur: medium per quod: & corpus ad quod, quod est subiectum susceptiuum. hæc, quæq; ad hæc pertinent in præsenti capite consideranda, atq; examinanda veniunt. Corpus, à quo, vel est viuens, idest homo, vel cadauer. corpus viuens, quod est in potentia ad contagium communicandum, tribus modis considero: aut quatenus sanum, sed quod venenum, vel viciatum sanguinem per contagium communicatum in se habeat, vel quod ex hoc, aut illo humore putrescente ægrotet. postremo, cum citra morbidam caussam internam, vestimenta habet hisce inquinamentis fædata.

Primo modo nequit expiratu, aut contactu inficere quempiam: requiri, ad hoc vt inficiat, vt à se morbosũ quicpiam effluat: ac liquido constat, nil morbidi posse effluere improbis succis secundum totam sui substantiam quiescentibus: hinc Arist. prob: 4. sec. 7. dum quærit qua de caussa morbus est contagiosus, sanitas vero non, quoniam, inquit, morbus consistit in motu, sanitas in quiete.

Obicij potest luem veneream quandoq; ab homine infecto communicari fæminæ, etiam si ille idem nullam sentiat noxam. igitur, & pestilens contagium: & firmatur quoniam eadem lues communicari solet ab homine, vel fæmina nulla febre detentis. Dico fieri nequaquam posse, vt morbus siue caussa morbi communicetur, nisi à subiecto, à quo subiecto, ad quod morbosum quodpiam intercurrat, impertiaturq, vnde morbus sit producturus: adeo vt, cũ lue venerea quis viciatus, etiamsi sanus, luis caussam mulieri in concubitu communicat, non efficit hoc spiritaliter, sed morbosi, ac fermentati seminis medio, in muliebria pudenda eiaculati, à quo postmodum mulieris sanguis quandam comparat fermentationem: potest enim quis luem veneream, fermentumue luis venereæ in se habere, eandemq; communicare, etiamsi nullam sentiat noxam, etiam si nesciat ipse tale fermentum in se gestare: puta hoc vsu uenire illi, qui acuto mordaciq; gaudet calore, supra quem in acutie gallicum venereumue fermentum minimum, aut parum eleuatur, vt hinc semen, & sanguis istius hominis, qui in temperie, ac formalitate calori eius natiuo respondet, & subiectum istius fermenti est, leuem, adeo suscipiat fermentationem, vt nulla inde illi accedat noxa. Hac de caussa quidam in iuuentute gallicum morbum minime sentiunt, etiamsi illius in se gestent fermentum, at, cum ob vlteriorem ætatem, calor diminuitur, & sanguis frigescit, manifesta elucent incommoda. qua etiam

ratione fermentum variolosum non solet iuuenibus, cęterisq; vlterioris ætatis hominibus esse infestum, sed pueris, ac quibusdam adolescentibus, vt qui blando, suauiq; prẹditi calido, acrimoniam omnem habent aduersam. verùm illud idem venereum fermentum, quod respectiue ad natiuum hominis calidum, minimum acre quãdoq; est, supra mulieris calorem eleuatur, vt muliebrem sanguinem, medio virilis seminis fermentosi, corruptionem efflatu dignam suscipiat, corruptio enim ac fermentatio, quæ tum in alio, tum in sanguine perpetratur, eatenus perpetratur, quatens agens corruptiuum in acutie caloris calorem sanguinis oblati sibi animãtis superat. non alia ratione sanguis viperinus humanum sanguinẽ corrumpere natus est, quam quod calore acriori supra humanum prẹstat. sic mulier morbose menstruata, aut morbida vetula amplexati à se pueruli, sanguinem acri, ac malefico expiratu quandoq; fędat, fermentatq; hinc pueruli corpus, ob defloratum, ac fermentatum sanguinem debita nutritione fraudatum, marcescit: quæ affectio, perperam caussæ supranaturali assignata, fascinationis nomenclaturam est adepta. sic phtisis cõmunicari solet iunioribus ab ad ultioribus, per putres atq; acres vapores à pulmone sanioso sublatos, non vice versa: quoniam habent adultiores calorem in acrimonia putribus uaporibus, vel respondentem, vel vincentem.

Ad confirmationem, dic diuersam esse rationem cõmunicationis contagij pestilentis, à cõmunicatione gallici morbi: quandoquidem pestilens per igniculos inter cõmunicantem, ac cõmunicatum intercurrentes, gallicus vero cõmunicetur per immediatum contactum corporis deturpati cum sano, medio concubitu, qui cõmunicationem importat fermentantis seminis, aut alterius acris humiditatis: vnde ad differentiam illius, qui venenum in se habet concretum, non est necesse, vt febricitet ad alterum fædandũ, qui gallica lue tenetur. est enim non iecur, vt alioquin in medicina est receptissimum, sed sanguis venereæ noxæ subiectum: qui, vbi ab acri fermento est fędatus, multiplicium existit caussa morborum. etenim vbi genitale membrum sit à tali fermento contactum, & eius sanguis vitiatus, statim eliminatus, facit illa vlcuscula, quæ, caroli, vulgariter dicuntur: vel gonoream acrem, si quidem peruenerit ad vasa spermatica fermentum: vel si vlterius processerit, & iam venosum genus infra iecur occupet, ex corrupto, & abscesso sub inguina in glandulas sanguine, tumores fiunt, qui bubones dicuntur quod si fermentatus sanguis vsq; adhuc non abscedat. fermento maiorem in modum se diffundente, & repente suprà

tecur, ex vitiato tandem sanguine, & in hanc, vel illam partem decumbente, abscessus, variosq; morbos, symptomata, ac febres produci necesse est. velim autem tu audias, sanguinem ab hoc fermento non adeò fœdari ac fermentari, vt prorsus inutilis totus euadat: quoniam eius est fermentatio adeo leuis, vt pro maiori parte alimentitius sit: scilicet vbi dulcem eius membra atraxerint partem, repudiant acrem, quæ postmodum superstes diuersorum tandem existit caussa morborum. ad differentiam sanguinis ab acerimo pestilenti corrupti fermento, qui altam adeo suscipit noxam, vt totus inutilis ac præternaturalis euadat. sed cum sit gallicum pestilenti fermentum longe minus acre, ita superat in acrimonia variolosum, cuius propterea obiectum ætas duntaxat existit mollis. Quamobrem vt ad disputationem redeamus, pestilens venenum communicari nequit, nisi venenosi succi putrescant.

Verum hic vnum quoq; admonitum volo, vt, peste austrina sequente, caute agat, solusq; si sibi concessum sit cubet: quoniam solet venenum ex improuiso moueri, & homo primam morbi inuasionem subticere, vt leuem, aut æmulantem quampiam aliam sui familiarem affectionem, aut præ timore, cum etiam maximoperè verear, ne venenum tota moueatur substantia per horas, vel dies, antequam homo sentiat se esse læsum, quod ijs duntaxat vsuuenire scias, quorum venenum vnum est exquisite tale, quod motu suo putri non inferre febrem, sed totum in contagiosissima pirydia abire natum est.

An autem, cum ægrotat homo (quod est secundum considerandum) contagiosus sit, distinguendum venit, ægrotet ne ex angue in se procreato, ac ex vitiato, ac putrescente, per cummunicatum fermentum, sanguine. Quod priori modo sit, nulli dubium est: dubitatione minime caret, an altero modo contagionem exspiret: si vulgi ac medicorum quorumdam, qui superiorem pestem ob vnū contagium vagatam esse arbitrati sunt, opinionem attendamus, dicendum, quod sic. Sed vt paucis nos expediamus, nulla ratione est hic homo proprij morbi communicatiuus. quoniam, cum sanguis fermentatus non obtineat illam caliditatem, qua alioquin opus esset ad subleuandas fermentosas fæditates: caret etiam illa substantiæ densitate ac lentitia, quanta ista sit, quæ ad eos efformandas exquireretur. alioquin pestilens contagium foret perpetuum, & vbi ab vno incępisset cunctis successiue mortalibus communicaretur. Sic propterea gallicæ, ac variolosæ febres, à quodam alio fermentato sanguine pendentes, contagione omni carent. Sic, circa hoc firmissime sentio. rarum quoniam arduum est pestilenti

huiusmodi

huiusmodi tempore distinguire; ægrotet ne homo per venenum; an per contagium, propterea salubre est, ab omni recedere ægroto, vsque ad eum terminum, quem Christiana charitas dictat.

Postremo potest quis alium coinquinare, cum vestimenta habet contagiosis halitibus fædata, seu quod ægrotis ministrauerit, seu alia de caussa: proinde sæuiente peste tutum nequaquam est, extra proprios lares quempiam contangere. hęc de corpore viuente.

Cadauer venenum in se habens triplici pariter modo, aut in triplici tempore considero, vel, vt de recenti tale est, quo tempore carnes ad sensum adhuc calidæ sunt: vel spatio quodam tempore transacto, quo tempore existunt frigidæ, vel cum totum putrescit. Priori modo potest inficere non minus quam si adhuc viuens esset homo; inquinamentis successiue ex ipso effluentibus, cum tali tempore humores adhuc sint in motu: cum vero refrigeratum est, & humorum putredo cessauit, ratio vult, vt nil morbosi expiret: quod cum à libitinarijs publico ęgrotantium loco ministrantibus fuisset tandem animaduersum, immunes postmodum pro maiori parte à contagioso veneno euasere: cum alioquin superiores cuncti fuerint sublati. quamuis, & hoc iure assignari possit ægrotorum qualitati, cum ij, qui primo ægrotarunt, ex veneno ægrotauerint, & mortui sint: qui postremo, vt plurimum per communicatum contagium. quomodocumq; hoc se habeat, ab omni cadauere abscedere, bonum est. tertio modo cadauer rursus contagiosum existit: putrescentibus enim carnibus, rursus, si quieuerint, humores putrescunt. hinc iure optimo. Prudentes statuerunt, vt nulli pestifero tempore cadaueri in vrbe detur tumulus, nisi certo scietur, ob morbum citra pestem hominem esse defunctum. neq; fides est habenda cadaueri, quod signum pestiferum gestat nullum, quando longitudo temporis præcessi morbi non suppleat, quoniam istud est magis extimiscendum, quam quod bubone, vel carbunculo est signatum, inditium est enim venenum, vel retrocessum esse; vel prę insigni crassitie non potuisse à centro amoueri; vel præ venenositate, homine quamprimum defuncto, locum abscessui datum non fuisse, vtcumque se habeat, pessimum in vniuersum tamen hoc habent præmortuorũ corpora, vt videantur secũdũ dorsum præsertim extremum fuisse flagellata. verum, quibusdã seruatis, optimatum cadauera tuto in vrbe perhumari possunt.

Erat secundum considerandum instrumentum, seu medium per quod sordes contagiosę à morboso corpore sublatæ ad aliud deferuntur, hoc est, vel quoduis corpus, vel aer. inter cætera nata sunt has excipere, ac conseruare indumenta, ac supellectilia

pellicea,

pellicea, atq; lanea, mox linea, ac lignea, quę, vt fædata, vocantur fomites: hæc, si contrectentur. homo itidem fædatur, vt ægrotare necesse sit. Aer, qui est vrbis, vel alterius loci ab austrina peste conflictati, extimiscendus est, præsertim illius domus, vel cubiculi, in quo æger iacet, vel iacuit: quoniam contagiosa corpuscula, vt leuissima, per aerẽ facile volitãt, aere præsertim calido existente, & spiritu aliquo flante. quapropter cura adhibenda est, vt ęgri ab ipsa primũ morbi inuasione sint vel ex vrbe exportati, vel, domestici omnes præter ministrum ab ęgro illicò separentur.

Circa subiectum susceptiuum, quod est postremũ, vnusquisq; contagioso huic veneno obnoxius est: adeo vt fieri prope nequit, quin homo morbidus fiat, vbi venenum hoc in se admiserit. quosdam tamen attendi chirurgos empiricos, qui pro miraculo à cunctis, quos curauere languentibus incolumes discessere. quibus, si venenum obuiam factum est, vt credibile maxime est, dicendum, ex purulenti sanguinis, carnisq; putridæ contrectatione hos validam in se excepisse vim alexipharmacam, quæ potuit sanguinem eorum à veneni postmodum intromissi noxa vindicare. est enim venenum remissum exterius illitum, ægregium alexipharmacum, qualiter scorpio contusus ex Dioscoride, & vulneri à se illato superimpositus hominem à morbo liberat. sed hãc rem habebimus in subsequenti libro vndequaq; apertam.

Vnde hic vnum enodandum venit, cuius difficilimæ resolutionis speculatio per plures dies intellectum meum exercuit, & est, Cur multi ex his, qui à contagiosa venenosaue hac lue semel euaserunt, curæ, atq; administrationi peste laborantium fidentissime se offerentes, illæsi, vt plurimum ab ijsdem dicessere. An quod in sanguine istorum relicta est ex priori fermento acris quædam qualitas, ob quam venenosi, fermentosiq; athomi sanguini postmodum obuiam facti discutiuntur, resoluunturq;, etenim cum sanguis, vt iam visum est, per partem post partem fermentetur, (vt fermentatur pariter, qui à putrescente venenoso humore bubonum, ac carbunculorũ salutariũ productrice caussa, tangitur) sed adeo, vt vno, & eodem tempore detur pars sanguini, quæ exiguum acorem, pars alia, quæ effatu dignum: alia quæ fermentum plene in se excepit, fit, vt natura, cum abscessum excitat, repellat à se, elimineto; sanguinem, qui acorem ad sui stimulum potentẽ excepit, superstite, qui leuem, ac contemnendum contraxit. hic igitur successiue serpens, & totum Sanguinem in suo esse, quantus iste sit, acri ponens, se habet, vt alexipharmacum contra contagiosos igniculos postmodum sibi aduenientes, vt sanguis hoc acore

ficuti, & acore putrefacti veneni perfusus, de cætero à corruptione vindicetur: qualiter quispiam theriacæ, vel alterius antidoti potentia munitus, ab auris venenatis, atq; venenis ebibitis præseruari à venenositate solet: qua etiam de caussa Mithridates Rex, vt ferunt historiæ, à venenis lędi minime vnquam potuit. Sic Marsi citra noxam serpentes comedere consueuerunt: quemadmodum,& vetula apud Galenum in 3. sim. cicuta nutriebatur, eademq; ratione puella illa venenorum esui assuefacta non venenari, sed venenare poterat. Elianus in sua de animal. hist. lib. 16. cap. 27. de Psyllis ex Agathartide scribit, neq; phalangiorum mortiferis vulneribus vt cæteros homines affici, neque scorpionum aculeis lædi solere. & rursus in cap. subsequenti ex Calliæ historia de hisce sic habet. cerastas pestiferũ morsum infligere solere, etenim bestias ratione carentes, & homines interficere, nisi libicus vir natione Psyllus ad curandum accesserit. hic sane siue auocatus, siue fortuito aduenerit,& plagam adhuc tolerabiliter dolentem viderit, sola saliua dolorem mitigat, & perstringit: sin percussum offenderit ægerime dolentem, intra dentes per multam aquam haurit, & os suum primo ex illa colluit, post vero eam in poculum eiectam vulnerato exorbendam tradit. quod si veneni acerbitas acrius inualescat, hic ægrotanti nudus accumbit nudo, & proprio suo corpore morbi vim frangit, & malo hominem liberat: ad quod probandum amplus testis est Nicãder Colophonius, qui testatur Psyllorum gentem quam syrtis pascit non modo non lædi ictibus serpentum, sed alijs mortalibus ictis auxiliari. hæc Ælianus. ex quibus patet, quibus officere venena non possunt, intus Habere quoddam fermentum, quod se habet vt quædam facultas alexipharmaca, quę occurrentis sibi veneni vim frangit, diluitq; atq; adeo quandoq; validam esse, vt humanum corpus, talem effundens qualitatem, potens sit venenum, in alio agens corpore, à se amplexato, profligare.

Sed hic, maxima oritur difficultas, quandoquidem non videtur qualitas alexipharmaca, fermentumq; in humano sanguine vegetans, venenum in se adueniens superare posse, cum sit venenum intensius calidum, atq; acre; alioquin videretur actio à minori prouenire. Solues hanc, si dices, quod calida alexipharmaci vis, ad venenum actuatum comparata, vt plurimum est in caliditate veneno intensior, quod hæc præseferat igneum purum solutumq; venenum, vt tota quædam substantia, illud idem ab humore (saltem comparatiue tali) quadantenus retusum. Dic rursus, quod alexipharmaci facultas non uersatur in oppugnanda calida ueneni qualitate, sed in ueneno, quod est substantiata caliditas, discutiendo, ad

sum-

fummumq; resoluendo, quod vi sua calorifica obtinere solet. in hoc enim consistit veneni profligatio, vt suo loco videbimus.

Quod autem sanguis acer, ac fermentosus, qualis est factitius, ex assueto aliqualis veneni esu, vt qui Mithridatis, Marsorum, vetulę, puellę, Psyllorum, quiq, â veneno fermentante, nec non putrefacto veneno fuit contactus, venenum quodpiam præsertim fermentosum euincere sit potens, quo minus quampiam ferat noxam, disces si mente agites, quod venenum, vbi sanguini occurrit, non explet illum ab ipso primum contactu de se totaliter: sed sensim, & per gradus: qua enim pollet calida atq; acri potentia, sanguinem sibi oblatum acrem in primo, mox in secundo gradu efficit, ac sic successiue per multiplicatos actus in eo esse acri ponit, in quo ipsum est, modo si sanguis, cui venenum hoc obuiam fieri contingit, fermentoso acoro sit fætus, non sinit ratione acris sui euaporatus venenum venenosamue in se aduenientem potentiam in sui sinum peruenire, sed pro vt in se explicatur, successiue eam frangit, diluitq. rationem maioris retinens. est hic acer euaporatus, seu expiratus in quibusdam vt Psyllis maxime validus, atq. efficax, ut etiam à toto corpore undiq. promanet. forsan autem isti pro sui alimento serpentibus, aut similibus vtuntur feris, vt nequeat fieri quin fermentum istorum aut venenum quodpiam, aut validissimum existat alexipharmacum. Viget, & in humano sanguine fermentum variolosum, variolarum caussa, quod posteris successiue per semen genitale fermentosum communicatur. sentiunt hoc duntaxat pueri, ac quidam adolescentes, vt qui præ calidi innati mititia, ac suauitate acrimoniam quoq; remissam habent infestam. de cætero etiam si in sanguine istorum superstes degat, vbi per variolas eruperit (extuberat enim is solūmodo, qui putrefactus alias fætidates habet comites) nulli notam sui dat, ideo quod postmodum eorum calidum per maiorem humidi radicalis consumptionem acrimoniam comparans fiat acori fermenti adęquatum. Quidam etiam gallicum venereumue intus gestant, quod per concubitum immediate contrahitur, adeo, vt communicatus homo noxam huius veneni quamprimum sentire consueuit videtur hoc in acrimonia variolosum superare: quandoquidem cuiuscumq; ætatis hominibus sit infestum. vtrumq; hoc fermentum sentio in humanis corporibus primum fuisse contractum, qua planè ratione in præcessa nostra peste relictum est quodpiam fermentosum in sanguine hominum, à morbo, tum ex veneno in se concreto, atque in abscessibus putrefacto, tum vero ex com-

municato contagio resurgentium : sed, longo temporis tractu remissius factum, non valet alexipharmaci vicem gerere: vnde vereri debet, ne per fermentum iam de recenti contractum sæuiat in posteros pueros maiorem in modum variolosa affectio, quæ, cum antiquioribus temporibus grauior, atque acutior esset, vt proprio principio proximior, adeo vt apud Arabes pestis nomen fuerit consequuta, ante superiorem hanc pestem mitiorem experiebamur. sic lues venerea, cum primum comportata dirior esset, hac tempestate tum minus grauis, tum minus vulgaris existit.

Magnes at quomodo, quis inquiet, humanus sanguis, qui sit fermentoso acore præditus, potest reagere in venenum, in sui infictum perniciem, cum actio phisica à re pendeat, proueniatq; ad actum reducta, ad interitum sui tendens, qualiter agunt humores, & venena in hominem, & medicamenta in humores, & alexipharmaca in venena, vt alia omittamus agentia naturalia. at sanguis, acorem, & alexipharmacam uim spirans, cum, dicitur uenenum profligare, propriam seruat consistentiam. igitur uidetur falsum, quod facultatem hanc obtineat saltem actualem. Dic, quod ex phisicis actionibus aliæ pendent à rebus ad actum reductis, aliæ ab ijsdem consistentibus, de quibus tamen nulla fuit à philosophis habita. nulla tradita scientia, sed, ut non cognitæ, & admirandæ, admiratæ. Ex his igitur, quæ agunt intra limites propriæ consistentiæ, sanguis existit fermentans: qui tamen diuersimode agit à mixtis inanimatis, agit enim ut uitæ cuiusdam particeps, medio cuiusdam acris expiratus, seu acris halitus à se producti, & effusi, motum localem, & discessum à proprio subiecto dicentis: mixta vero inanimata aut, ex his, quædam, agunt per quemdam emissum in sui extrariam superficiem spiritum: sed hic non discessum, nec separationem à proprio subiecto, at stabilitatem, & mansionem sui dicit, prodiens ceu per irradiationem, & non ut effectus, sed vt pars ipsius mixti eleuatissima, alioquin si, quod effluit, veluti à magnete (ad hunc enim lapidem sermonem dirigemus, quandoquidem mira est in summo eius actio) per modum euaporatus, efficeretur magnes cadauerosus, in defluuia tandē totus digestus; quemadmodum tractu temporis muscus, & aromata: & vim potius abigendi, quam attrahendi ad se ferrum haberet.

Nec negarunt quidam ex antiquis, vt Epicurus, & Democritus hasse effluxiones, effluere scilicet à mixtis censebant corpora quædam, quæ atomos vocabant, quibus tantum tribuerunt, vt hisce quoq; principium attractionis ascripserint.

Fraca

Fracastorius egregius philosophus, ac medicus, dum in lib. de sym.& antyp.cap.5.& 7.attractionis caussam inuestigat, ad hos effluxus confugit, de quibus, cum docte disputet, colligit tandem hos esse tenues, ac superficiales formas, crassarum materialiumue representatiuas, vt simulacra, vt species, vultq; vt propter harum similitudinem fiat rerum attractio, fiat inter duo corpora vnio, videtur igitur, inquit, mihi in cap. 7. similia esse oportere, & eadem specie, quæ se se mutuo trahunt. dico autem specie aut actu, aut proprio subiecto. voco proprium subiectum id, à quo emittitur spirituale illud quod trahit, quod sæpe in mixtis latet propter mixtionis deformitatem, per quam sæpe aliud sunt actu, aliud potentia. hæc Fracastorius. verum præter quamquod horum effluxuum naturam minime explicat, imperfectam etiam attractionis caussam assignat, alioquin vbi similia iuxta se debite applicantur, attractio fieret: adeo vt vbicumq; similium attractio atq; vnio conspiceretur. propterea circa vtrumq; hoc paululum diuagari liceat: quo fiet vt attractionis magneticæ caussa, cuicumq; vt puto, plana, atq; adaperta efficietur. Recipiendum igitur, vt iam statutum, à mixtis quodpiam emitti modo explicito, & in eorum superficie veluti efflorescere, se attollere, ita ferente operis naturæ perfectione. quandoquidem natura rerum omnium architectonica, cum quodpiam efformat mixtum, non efformat, vt mixtum simpliciter sit, vt quodpiam, inquam, materiale; velut lapidem, vt lapideus sit globus; ferrum, vt ferrea sit moles; sed vt propria donatum compareat forma: quę sicuti materia est longe nobilior, ita in hac perficienda maxime est natura intenta: & propterea subiecit hanc in partibus compositi magis proportionatis, magis dico elaboratis, tenuibus, & in suo esse purioribus.

Videtur huius naturę arcanum ars chimica, ac medica per experientiam cognouisse, cum per destillationes, infusiones, atq; has, vel illas coctiones rerum animam, medicamentorum, inquam, facultatem, in tenuissimis, ac purissimis in suo esse partibus inplantatam elicit; crassis, atq; impuris repudiatis. etenim si destilles vinum, cinamomum, aut gariophilos in aqua ardenti infundas, chinam, aut guaiacum dequoquas, tenuissimas, virtuales, & omni fæce expertes tibi comparas partes, reliquas vt exanimatas, vt cadauerosas proicis.

Ita tamen partes istæ tenues, atq; præstantiores, in quibus mixti formam natura voluit esse insitam, contemplandæ sunt, vt non sint in consistente mixto à crassis separatæ, sed permixtæ: non

differentes inter se per terminum quendam terminantem, sed continuum, & coordinatum per successiuos crassitiei, ac tenuitatis gradus. neq; enim quæ crassæ sunt partes, crassæ secundum vnum, & eundem gradum omnes sunt. nec quæ tenues in vno existunt omnes tenuitatis gradus: sed ex ijs hæ magis, hæ vero minus existunt crassæ: & successiue ex tenuibus istæ tenues, illæ vero tenuiores: adeo vt à summa in suo esse materiæ crassitie per successiuos, ac coordinatos tenuitatis gradus, ad quasdam tenuissimas ac purissimas deuenitur partes, in quibus primariam ac peculiarem forma obtinuit sedem.

Sed hæ puriores, atq; excellentiores totius substantiæ mixti partes non huc terminantur, sed à natura vigoresatæ, per quandam veluti luxuriam, alias de se identificant, quæ sicuti purissimæ, atq; eminentissimæ omnium existunt, ita censendæ sunt à materia prorsus eleuatę, quæ à proprio erumpentes subiecto, cum alioquin à materia sepeliri minime ferant, in rei superficie, earum basi, se attollunt, & per has mira quædam moliuntur opera, quibus sine frustraretur subiecti agentis potentia, quando actio fiat per contactum. taliter istæ partes coalescere mihi videntur, qualiter animam educi de potentia materiæ sensisse, quamuis perperam, videtur philosophię genius Aristotiles: adeo vt, id, quod ex hisce in vnum commixtis, atq; efformatis resultat, vt quid animæ proportionatum, semianimata quodammodo essentia dici possit: vel spiritualis, ratione extremę subtilitatis, ac substantiæ puritatis: vel forma pręstantior, aut exterior, aut vltima, quod nobilior sit, quod ab extra vigeat, quod post interiorem coalescat: considerata autem quatenus sit actiua, vis aut facultatis nomen sibi arogat.

Sicuti autem debuit perfici, & non intra limites propriæ latitudinis terminari coordinatus hic processus, ab vno primum crassitiei ad extremum tenuitatis, & cum spiritali terminantis substantiæ gradum: ita iustum fuit, vt id, quod est in composito perfectissimum, atq; eminentissimum, sui notam daret, vt innotesceret nobis, naturam, quæ in suis operibus vni perfectioni intendit, & in cunctis, si quid obstat, perfectissime, pro proportione subiectæ materiæ operatur, potentiæ suæ confinium ad spiritualitatis vsque terminum extendere. alioquin si vltra partes formæ interioris constitutiuas, sublimiores aliæ harum sobolis non identificarentur, vtiq; cum non sine quadam rerum turpitudine vacuum quoddam, sublato hoc complexu, daretur, natura quoq; vt defectrix conspicaretur.

Manife-

Manifeſtum autem eſt, quod ſicuti interior forma naturam, ac proprietatem mixti ſequitur; ſic, & exteriorem, ab interiori identificatam, conſequi eandem proprietatem neceſſe eſt. vnde etſi vnaquæq; harum, ratione partium, ex quibus immediate coaleſcit, ſit alteri aſſimilis, & vnam in genere omnes efferant ſubſtantiam: attamen ratione proprij ſubiecti differentes natura inter ſe ſunt: adeo vt quali natura mixtum eſt donatum, tali pariter, & ſpiritualiſantes hæ ſubſtantię: quatenus natura hæc dicit non caliditatem, aut frigiditatem: ſiccitatem, aut humiditatem, ſed complexionem mixti, vt mixti: tantum calidi, ac frigidi tantum humidi, ac ſicci taliter, ac taliter viciſſim affectorũ, & contemperatorum in ſe habentis: vnde hę variæ ſuboriuntur, variamq; ac nonnunquam inter ſe diſſidentem, nunc vero & conſimilem efferunt naturam.

Etenim contemplor alias eſſe denſas, raras alias. important illæ, partes ſui ipſarum conſtitutiuas confertim, atq; in abundantia effluere: quod ſicuti arguit mixtum earum ſubiectum partibus in vniuerſum optime elaboratis, ac puris in ſuo eſſe, redundare, impuraſq; minime, aut harum minimum in ſe habere, vt aurum, adamas: ita contrarium arguitur, cum raræ effluunt, quales à materia ferrea nullatenus elaborata prodeunt, qua de cauſſa minus raræ ſunt, quæ ab eadem defęcata, atq; elaborata: minus ſucceſſiue raræ, quinimmo potius denſæ, quæ à ferro defecatiori, puriorique in ſuo eſſe ad ſummum reddito: & rurſus denſiores, quę à magnete eructantur.

Sed vtriuſq; his adiuncta eſt alia qualitas, quædam nimirum, aut læuitas, aut aſperitas, inſurgit præſtantioris formę lęuitas, ex aqueo primum ſuperante, ad noſtrum ſenſum, terreum, mox, & ex optima inſimul confectione, quam pręſertim importat terrei puritas, talem pręſefert aurum, & argẽtum, ſic, & ęs, auricalcum, ſtannum, ac plumbum, & quamuis iſtorum terreum minus elaboratum, minuſq; purũ exiſtat, læuis tamen eſt eorum forma, ob pręualens aqueum, maxime quę plumbi, & ſtanni eſt. aſperitas veros ex vincente aqueum terreo: quod ſi puriſſimum ſit, vt in diamante, & ambra, minima eſt, ob optimam commixtionem: tantum ſcilicet horum formę aſperitatis ſibi vendicant, quantũ fert terręi ſupra aqueum exuperantia. ſi vero terreum impurum, eademq; ratione cum aqueo male confectum, aſpera valde eſt, vt ferrea: minus aſpera quę eſt magnetis, quod tum minus impurum, tum illud coctum, & elaboratum ſatis ſit.

vnde

vnde hac ratione læues, contemplor esse quodãmodo pingues, & asperas, quodammodo graciles.

Attenta hac insuper aquei supra terreum, quanta ista sit, prævalentia, atq; cum eodem æquali commixtione: aut terrei supra aqueum exuperantia, nec læui commixtione innascitur hisce formis læuibus, atq; asperis qnidam appetitus, quo scilicet illæ amant quodãmodo, & inclinant extendi, diffundi, atq; à proprio principio maiorem in modum elongari: hæ vero vbi eructatæ sunt, inclinant rursus versus suum principium, contra proprium processum recurrere, & cogi cum proprio principio, vt ob id asperis dupplex veluti motus, quæmadmodum quoq; planetis, assignari posse mihi videtur, alter quodãmodo violentus, qui sequitur proprij subiecti effluxum; naturalis alter, naturam consequens partium has formas identificantium: qui importare quidem mihi videtur non aliud, quam quandam harum formarum vncinationem, vnde cum melius explicare nesciam, contemplor has in se, ac circumquaq; habere velut quosdam quam minimos recurrentes vncinos, ad instar serræ, aut limæ, cuius dentes, & incisoriæ asperitates secundum earum cauum ad vnam omnes conuersæ sunt partem, dorso ad oppositam conuerso. ratio istius rei est, quod ingenitum est aqueo, vt alieno terminetur; terreo, vt proprio termino. sed hunc appetitum recurrendi, istamue asperitatem vncinatam obtinent prẹsertim, quæ à subiecto emanant, cuius partes constitutiuæ, præterquam quod impuræ, crudæ etiam sunt, vt que sunt ferri propriæ, ideo quod terreum, quo minus à natura confectum in mixto, eo ad germaniorem sui naturam accedat; & propterea hanc constitutam asperitatem ferri forma in summo obtinet, minus qnæ magnetis, minimum quæ est ambræ, & diamantis. hinc qnod naturalem appetitum importat cogendi se cum proprio subiecto, illud pariter importat vim adstrictoriam, quam sæpenumero in praxi medica expetimus excellenter a ferro, vel calibe, non alijs metalis. cui autem hæc quambelle naturam terrei dominantis commonstrat: ad differentiam læuitatis lubricitatisq; quæ est aquei prævalentis indicatiua. Sunt aliæ, quæ grandem, aliæ, quæ paruum de se statuunt orbem, seu quæ valde, & quę parum à subiecti superficie elongantur. in vniuersum quarum aqueum supra terreum prævalens est diffundi longius ratio dictat, quam quarum ratio est differens. ex his etiam aliæ magis, minus aliæ, nunc, & quædam nil supra subiecti extremitatem eleuantur. quarum terreum cum aqueo coctum, elaboratumq; est, magis diffusiuæ sunt; quoniam calor, qui ad cocturam, ad earum quoque impulsionem

videtur

videtur accurere: cuius naturæ cum sit magnes, propterea semia nimata, quam de se spirat, forma, maiorem præ cunctis alijs, intra quæm operatur, constituit spheram; & vegeta, vehemensq; existit: hinc lapis hic ex Conciliatore, & Porta deuoratus, sursum effumans, lunaticum, ac melancholicum reddit, & à ferro confrictus non solum sui ipsius efficitur magis diffusiuus, sed etiam sinit quasdam à se subtilissimas partes secedere, quibus ferrum conspersum magnetica vi exultat. quin immo aliqualem etiam comparat, vbi in sinu eius duntaxat insederit, ex eodem Porta; quæ res certo arguunt magnetem, ob summam quandam partium formarum identificantium elaborationem, in quodam esse mixtorum euaporatiuorum confinio, vt muscus. Quæ vero à diamante, & ambra eructantur, longe minus elongantur, ratione maximæ supra aqueum terrei præpollentię: quę cum minor in ferro depurato conspicetur, autumandum quoq; est, maiusculam eius exteriorem formam de se hisce efficere spheram.

Ex aduerso, vel non in superficie erumpit, ne dum attollitur, vel minimum illius compositi forma, quę terreis duntaxat, ac minime elaboratis redundat partibus: tale quid putandum est in vulgari lapide.

Ex his tandem extrarijs formis quędam diuersam, atq; inter se diffidentem efferunt naturam: quędam sunt inter se specifice assimiles, etiamsi à diuerso prodeant subiecto, vt quę ambrę est cum paleari, & magnetina, cum ferrea: quamuis inter ferrum, & magnetem paruam statuunt scriptores differentiam, vt etiam velint lapidem hunc, quampiam habere in se ferri portionem, & propterea non aliunde inueniri, quam in mineris ferri. hinc Porta de mirab. mag. cap. 2. magnetem vocat, & ferreum lapidē, & lapideum ferrum. si danda est hæc materiæ similitudo, dicendum potius est, magnetem esse ferrum purius coctiusq;, ratio autem istius similitudinis formę in dissimili composito est, quoniam possunt partes elementales huius, & illius mixti constitutiuę, si non in quantitate limitatę, saltem in qualitate, atq; affectione habere inter se similitudinem. hę autem essentię sequuntur pręsertim partium qualitatem, ac proprietatem sui constitutiuarum.

His sic de istarum natura, ac differentijs statutis, videndum iam quomodo hisce mediis fiat rerum attractio. & quidem similitudo vult in hac re magnam habere partem: stat enim illud vulgatū, similia appetere sui similia, adeo vt conijciendum sit, vbi duo subiecta inter se similia sint iuxta se debite posita, fieri formarum eorum vnionem, in vnum complexum, secundum apices, vel illas partes

partes, quæ ſe ſe mutuo contangunt. Sed nondum conſtat; quomodo conceſſa hac exteriorum formarum, ſimilitudinis gratia, vnione, tractio ſubiecti inſurgat. igitur ad tractionem aliud quoq; requiritur. ita quidem: huc eſt autem formę conſtituta aſperitas, cuius gratia vbi duę inter ſe conſimiles formę, ſubiectis in debita diſtantia iuxta ſe poſitis, vt magnete,& ferro vel parum ſecundum apicem ad inuicem vniuntur, ſucceſſiue per appetitum, quem habent vniendi ſe ſe, vlteriori, atq; arctiori ſe nexu apręhendunt; circumamplexantur, atq; ſecundum totum ſui ipſarum proceſſum vniuntur. quandoquidem ſicuti iuxta ſuum principium magis vigoroſæ ſunt, ita viget maxime in hac parte appetitus, adeo vt non ceſſant vlteriori ſe implicari nexu; donec ſecundum totum ſint coitu ſaturatæ. fit autem vt dum ſimul vniuntur, & arctius ad inuicem conſtringuntur, & coarctantur, ſubiecti realis fiat motio; quæ motio eſt accidentalis, finalis eſt amicabilium formarum vnio. eſt igitur aſperitas hamata cauſſa motionis, cauſſa nexus rei proximior: adeo vt potentia, quam vniendi ſe ſe duę conſimiles formę ad inuicem habent, nunquam reduceretur ad actum, numquam ſaturaretur earum appetitus, ac conſequtiue tractio ſubiecti realis non fieret, ſi leges, lenes eſſent, cum alioquin non haberent vnde comprehendi ſe ſe, ad inuicem colligari, & mordicus teneri. ſic homo non poteſt arborem lęuem planam atq; inoffenſam aſcendere, ſi non habeat vnde compręhendat ſe ſe.

Non diſſimili ratione trahunt, ac ſibi vniunt formæ ſimilitudine animantium membra etiam longinqua, cognatum ſibi, e venis ſanguinem: ſic terrę naſcentia humorem alliciunt ſibi conſimilem, & proportionatum, teſte in lib. d. nat. puer. & in 4. d. mor. magno Hippocrate, cui humana viſcera, cui naturæ abdita adaperta fuiſſe videntur. quorum finis ſicuti eſt vel nutricatus, vel auctio, aut ſui ipſorum propagatio, ſic eſt harum ſublimiorum formarum vltimus finis, aut fini earum quid proportionatum.

His ſic de attractione in genere viſis, facile nobis erit particularia circa hanc rem intelligere, quęq; intercurrere poſſunt difficultates ſoluere. etenim non mirum ſi inter magnetem, ac ferrum maxime eluceat attractio, adeo vt hęc quamcumq; aliam offuſcat, hęc ſola admirationem prębeat: quandoquidem nil vtriq; eorum, ue vltimis formis deeſt, quod ad attractionem attineat, quod attractionem inſignem reddere valeat. etenim etſi magnetis forma non admodum aſpera, & vncinata ſit: & quę ferri eſt, non valde denſa: nihilominus ſtante conſimilitudine, quæ inter vtramq; intercedit, quam belle in vnum coeunt, expeditiſſime vniuntur:

quoniam

quoniam magneticæ formæ luxuries supplet raritati ferreæ; & asperitas ferreæ supplet imbellicę asperitati magneticæ: adeo vt, si vtraq; vel vna ferrea asperitate, vel vna magnetina densitate gauderet, vtique attractio nec tam expedite, ac sollicite, nec tam, e longinquo fieret. hinc propterea attractio maior, ac vehementior & inter magnetem, & ferrum, quam inter magnetem, & magnetem, & attractum ferrum mordicus magis retinetur, quam magnetis fragmentum. Qua de caussa statuerunt scriptores maiorem esse ferri, & magnetis amorem, quam magnetis cum magnete. hinc inter ferrum, & ferrum vel nulla fit attractio, vel, respectiue, exigua. nulla quando fit applicatio ferri iunta ferrum, ratione raritatis formæ resultantis ex ferreis excremẽtis. exigua inter calybem, & chalibem, vlterius tamen elaboratum atq; attemperatum, quo modo se habent instrumenta ferrea, quæ circa ferrum exercentur. hæc enim, vel ex his saltem aliqua, non solum limaturam chalibis, sed etiam chalybis corpuscula rapiunt: ideo quod ferrum sic pertractatum, defęcatius vlterius fiat, addensenturq; magis eius partes, ac consolidentur, vt iam identificata forma sufficienti gaudeat densitate.

Nec mirum, si cum inter electrum, & paleam intersit similitudo nulla, attrahatur tamen palea ab electro; quoniam præter quam quod formis vltimis vna est generica ratio, hæ quoq; sæquuntur, vt dictum est, non quantitatem, sed affectionem partium mixti constitutiuarum, quas in duobus compositis inter se diuersis posse esse ægre qualificatas non est inconueniens. stante igitur consimilitudine, qualis, ac quanta ista sit, inter exteriores huius vtriusq; subiecti formas, fit paleæ in debita distantia iuxta posite ab ambra attractio. & quamuis in palea asperitas conspicetur nulla, attrahitur nihilominus ratione leuitatis, ob quam vel minima quæuis asperitas sufficiens est, vel porositates paleę pro asperitate supplent. qua potissima de caussa non attrahit palea aliam paleam, etiam si præ exiguitate formę insensibilem.

Cui asperitati nos respicientes intelligimus propterea inter aurum, & aurum; argentum, & argentum, æs, & ęs; plumbum, & plumbum, & alia ferme innumera, etiamsi debite aplicite, nullam consequi tractionem, quod formæ earum extrariæ læues ne dũ asperę existant. & quãuis quæ à diamante, & ambra effluũt aliqualẽ obtineant asperitatem, hæc tamen haud est sufficiens, qua res densa, ac ponderosa, qualis est diamans, & ambra ad inuicem rapiatur. Sic si quæ alia forma exterior detur, quæ aliquali gaudeat as-

peritate hanc vel minime esse qualem vel quantam, vt alioquin deceret, aut quid simile ad attractionem necessarium sibi deesse putandum.

Quemadmodum autem similitudine primum mouente, & constituta asperitate actuante, fiunt per debitam iuxta positionem rerum attractiones, ita dissimilitudine, atq; aduersa natura intercedente, fiunt rerum ab inuicem auersiones: hinc cum cucumis, ac cucurbita maiorem in modum versus aquam iuxta se positam vt natura sibi ipsis consimilem elongentur, ab oleo tamen natura sibi aduerso quadantenus auertentes se, recuruantur. sic calidum à frigido, & frigidum à calido auersatur, & per circumstantiam sui contrarij cogitur in se, & densatione magis intenditur.

Sed quod maximam, ac pene insuperabilem facit difficultatem, cuius propterea caussam ausus est inquirere nemo, est quomodo magnes, qui ex altera parte ferrum amicabili natura ad se allicit, ex altera idem ferrum, odio quodammodo in ipsum flagrans, respuat abigatq; hoc enim non potest alia ratione operari, quam aduersa, ac diffidenti natura. quo sequitur statim dicendum ab vno, & eodem subiecto duas produci, & emanare naturas, penitus inter se diuersas, quod est à philosophia reiectum.

Circa huius rei caussam, quam cognosci videtur supra captum hominis, sentio magnetem, vt qui prę cunctis alijs sui ipsius est diffusiuus (quod, & de alijs mineralibus affirmari quadantenus posse sentio) saluis philosophię decretis, ab altera parte effundere de se quid diuersum ab eo, quod ab altera parte effundit, ratione diuersarum partium constitutiuarũ, quæ, etsi in vnum commixtæ vnam vniformiter naturam, ac formam interiorem constituant: attamen ex ijs particulis, ex quibus coalescunt, & identificantur externæ formæ, quædam à natura hoc habent, vt effluant non per quamcumq; sed statam partem, propter inclinationem, quam habent versus sui consimile, & amicabile obiectum. quædam aliæ vt per oppositam huic partem erũpant, ob auersionem, quam habent cum eodem obiecto natura sibi aduerso, & amicabilitatem simul, quam habent cum altero obiecto sibi consimili, ac conueniente.

Scis enim magneti ingenitum esse, vt inclinet, ac vergat secundum alteram horum partem versus boream; & secundum alteram versus austrum, quod prouenit à diuersa partium formas exteriores identificantium natura: quæ enim sunt frigidarum, & affiniũ frigi-

frigidarũm partium soboles, in lapidis efformatione à natura adeptæ sunt, vt versus boream vergerent, cum eoq; conspirationem haberent, quæ vero calidarum ac affinium calidarum, cum non possent, cũ hoc gelato spiritu consentire ac conspirare, auersæ à natura compararunt, vt versus austrum natura sibi conuenientem inclinarent, vt cum ab infesto obiecto destrui alioquin possent, ab amico sinu exciperentur. Qua igitur parte lapis cum borea conspirat, eadem consimili natura ferrum attrahit, ac sibi vnit: qua vero cum austro, aduersa ac diffidenti reicit etenim quæ magnetis est, vt præpollens impellit in ferream: & hæc magnetinam habens aduersam auertit, ac cogit se, vt ferrum in exigua mole applicitum retrahere se cogatur. Et hinc argumentari liceat, magnetem non esse ex se primario sympaticum, aut antypaticum ferri: sed quod, cum fuerit ipsi ingenitum, vt ex altera parte cum borea, ex altera cum austro conspiraret, contigit, vt ex illa amore ob conuenientiam, ex hac odio, ob inconuenientiam, in ferrum quodammodo flagraret.

Considerandæ autem sunt partes interiorum formarum constitutiuæ, non quod hæ in parte domicilium habeant magnetis boreali. illę vero in parte australi, & ob id partes eminentiores ab his identificatæ pro situs ratione per diuersam effluant magnetis faciem: sed quod hæ omnes æque, ac commixtim per totum lapidis corpus diffusæ sint; boreales tamen particulas à toto venientes, ab australi vsq; superficie per faciem borealem, propter ingenitam ab efformatrice natura cum frigido hoc spiritu consimilitudinem, ac conuenientiam; australes vero à toto venientes à boreali vsq; superficie in faciem australem corriuare, propter diffidentiam, quam habent cum borea, ac simul ob conuenientiam, quæ cum austro sibi est. Quandoquidem istæ, eo ipso, quo aduersantiam in lapidis efformatione cum borea, vt alicquin sui destructiuo, adinuenerunt, eo etiam simul inclinationem ac conspirationem cũ austro natura sui consimili adeptæ sunt: vt borealibus quoq; vsuuénit; vnde inclinationem versus austrum congenitam australes æque habent, ac partes boreæ amicabiles versus boream. videntur tamen partes boreales præualere, & ob id magnes est arctici præsertim poli indicatiuus: qua quoq; de caussa quidam lapides vilioris pretij, vt ab Agricola scribitur, attrahendi tantum, non abigendi vim habent; & attrahens vis valentior semper existit expellente, experientia, & Porta testibus.

Nec quis hęsitet circa harũ, partiũ à quibus exteriores formę idétificantur, dupplicem effluxum. quoniam hunc scire velim, hasce, vt

à materia prorsus eleuatas, sui iuris esse, se ab inuicem diuidere, & seorsim per partem, ad quam natura vergit, & à qua velut alliciuntur, effluere: & adeo obtinēt hanc in lapidis conformatione à natura inclinationem, & effluxum, vt magnes attrahat, & abigat ferrum, etiamsi secundum faciem borealem respiciat austrum, & secundum australem conuersus sit ad boream. ad differentiam illarum, à quibus interior forma suum esse agnoscit: ad quod esse, commixtim, atq; vniformiter concurrunt: de cætero quæ sunt istarum soboles, pro differenti natura, atq; inclinatione singulæ versus consimile, & amicabile suum obiectum diuisim effluunt.

Attento igitur hoc dupplici effluxu, magnes habet duos oppositos polos, borealem, & australem: alioquin vtroq; vel horum altero sublato, sicuti neutrius, vel alterius tantum esset indicatiuus, ita nulla subesset ratio istius indicationis. quemmadmodum quoq; possibile haud foret, vt magnes sympaticus, & antypaticus ferri esset. Ex eo autem quod partes boreales, partesq; australes à toto lapide veniant, & ab altera vsq; superficie discendentes per alteram effluant, fit vt, si lapis per transuersum frangatur, vtraq; recens superficies hęc borealem, illa vero australem polum ostendat: quoniam ædem, non ferentes à materia sepeliri, in apertū prodeunt, & super extremam lineam diffunduntur. hinc propterea non mirum si magnes contrariam vim suæ faciei ferro tribuat, teste Porta: adeo vt ferrum adfrictum septemtrionali magnetis puncto ad austrum vertitur, & australi ad boream: quoniam per confricationem affiguntur ferro quædam superficiales particulæ, quæ cum magneti iunctæ essent boream respiciebant: postmodum ferro affixæ, ad austrum vergunt: ideo quod hæ etiam si insensibiles, vtrumq; polum gestent: & rursus intelligimus, cur non sit stabilis polaris eius linea, velut cum lapis per longam sciaditur, linea quæ prius per medium lapidis ab altero ad alterum punctum extendebatur, postmodum eodem scisso per medium vtriusq; lapidis discurrit: semper enim ipsi est perpetuum, vt mediū lapidis obtineat, & per medium effluat: sic natura dictante, vt spiritualisantes exterioris formę identificatiuæ partes, ad maiorem sui custodiam, ac robur, lineæ centricę adhæreant: Quarum partium eminentissima, ac supra sensum subtilissima, exteriorisue formæ ab his constitutæ substantia attenta nemini dubium videri debet, si magnes tabulæ ligneæ, argenteæ, & muri, quoq; medio vim suam exerceat in summa hisce stantibus, nullius amplius poterit rei caussa circa magnetis attractionem, aut reiectionem te latere; nihil erit de cætero, quod tibi

tibi admirabilitatem parere valeat, & si sic, vtiq; licet, puto, de istius doctrinæ, vt rationi vndequaq; congruentis, veritate, ac stabilitate argumentari.

Sed vt vnde oratio est digressa reuertamur, dico non esse præter rationem, quod sicuti mixta quædam inanimata agunt, propria seruata consistentia, ita sanguis alexipharmaca vi præditus agat, ac simul consistat: maxime cum agat vt vitæ cuiusdam particeps, acri nempe quodam expiratu, quodamue halitu, quo, aduenientes in se veneficas auras, fermentosumque venenum sæpenumero soluit, atq; euincit. quo pacto Psylli expiratu proprio venena in alienum corpus incussa, & iam eiusdem perniciem molientia diluunt, ac fugant.

De Venenis spiritibus Infensis, & primum de opio. Cap. VIII.

QVi opium, vltra quantitatem debitam, assummunt ex Nicandro, Dioscoride, & Aetio inter alia, in quæ incidunt mala, à sopore capiuntur, atq; ingenti pruritu, à quo quandoq; excitari illos necesse est. redditur etiam à toto corpore opij odor: languidus item, & frigidus, e gutture anhelitus exspirat: summa corporis cutis friget; inde liuor vnguium, visus offuscatio, obtortus nasus, mortem adesse, non procul annunciant, & tandem conuulsio cum morte coit.

Opium vt calidarum atq; tenuium insigniter partium, cum ab homine assumptum ad actum reducitur, in quandam flammeam substantiam abit, quæ per venosum arteriosumq; genus primo, ac per carnes successiue dispersa, pruritum intensum mordicans inducit: hinc per extrariam exiens superficiem odorem refert qualem ipsius substantia, ipsius natura fert. subinde in cerebrum rapta animalem spiritum dissipat, ac fugat, vt veterum subsequi, necesse sit; quam iniuriam cum spiritus quoq; vitalis ferat, cordis sequitur refrigeratio, vnde languidus, & frigidus, e gutture anhelitus venit, ac summa corporis cutis frigescit. hinc viru, maiorem in modum successiue inualescente, calidi innati sequitur mortificatio, à qua vnguium liuescentia, atq; visus offuscatio. & tandem præ conuulsione ex neruis, ob igneam vim exsiccatis, nasus obtorquetur, cum qua iam exacta æger perimit.

De Mandragora.

SEquuntur inquit Dioscorides haustam mandragoram quamprimum sopor, languor, & inexpugnabilis somni necessitas, nihil à morbo, qui lethargus dicitur, differens. & Conciliator in lib. d. ven. cap. 24. addit sequi etiam faciei, atq; vculorum ruborem.

Sopor, & inexpugnabilis illa somni necessitas prouenit à veneno mirum in modum in cerebrum euaporosante, atq; inde animalē spiritum obsidente ac corrumpente: ob quam spiritus animalis offensam, cum nerui germanam illustrationem excipere nequeant, corporis exolutio, & languor suboritur. faciei atq; oculorum rubor quandam sanguinis sequitur inflammationem.

De Iusquinario,

DEuoratum ab homine deleterium hoc, ex Dioscoride, Aetio, Conciliatore, & aliis, alienationem mentis similem ebrijs inducit: præterea, & corporis iactationem cum distorsione; quibus succedit animi exolutio, pruritus, ac inde tremor, & ægri putant se flagris cedi.

Cum paululum calidus, terrestriusq; mandragora sit venenum istud, propterea excalefacere magis, agitare, ac lancinare natum est. vnde non mirum si, sursum raptum, temperiem cerebri, animalemq; spiritum quodammodo corrumpat, vt, & delirare, & tremore corripi necesse sit, animoq; insuper exolui. Sed hęc partibus præsertim calidis perpetrat: at terrearum partium vi vellicans, & neruos per carnem dispersos lancinans, iactationem cum distorsione parit, atq, illum sensum, quo ęgri putant se flagris cędi.

De Cicuta.

CIcutę potus ex Dioscoride caliginem, vertiginesq; oculis tantas offert, vt nec minimum videre liceat. mentis alienationem, singultum, & extremorum corporis partium perfractiones. postremo strangulantur ęgri, cessante à motu omni in arterijs spiritu.

Quamuis cicuta cætera in hoc genere deleteria in caliditate superet,

peret ; habet tamen quoſdam humidas, ſed, & ſimul impenſe calidas partes, quæ ad actum prius reductę, & ſurſum raptę maxima afferunt cerebro incommoda : nempe mentis alienationem, quę temperiem eiuſdem cerebri corruptam ſequitur : vertigines, atq; oculorum offuſcationes, à ſpiritu animali agitati, conſpurcato, ac corrupto procedentes : mox calidiores, ac puriores cicutæ partes per arterias ſe diffundentes, ac cor petentes, ſpiritum vitalem corrumpunt, ac diſſipant, vt inde extremorum perfrigeratio ſequatur. hinc etiam prę carentia eiuſdem ſpiritus, motus arteriarum ceſſat, vt cũ ægri inſpirare & exſpirare nequeant: ſtrangulentur. ſingultus autem ſequitur quandam ventriculi vellicationē, ab acriori, ac terreſtriori veneni parte illatam.

De Aconito.

DE aconito loquens Dioſcorides lib. 6. cap. vij, à potu, inquit, ſtatim cum adſtrictione aliqua linguam edulcorat, & ab edulcatione vertigines pręſertim in aſſurgendo, & oculorum humiditates facit. facit item ad pectoris pręcordiorumq; cum frequentiore pedituum redditione grauitates.

Non me latet aconito vim putrefactiuam à Galeno in 6. ſim. fuiſſe aſſignatam fortaſſe quod exterius appoſitum carnes putrefacere natum ſit. verum, etſi res ſic ſe habet, non tamen ſtatim putrefaciens venenum cencendum eſt, quoniam intus aſſumptũ accidentia parit non putrefacientium venenorum, ſed ſpirituali ſubſtantię infenſorum propria. & propterea inter venena huius generis adnumerare ſatius iudicauimus. quod autem exterius admotum carnem putrefaciat, eſt non minus huius, quam plurimorum venenorum proprium : adeo vt ſoporifera omnia, & plurima eorum quę ſanguini ſunt aduerſaria, ſi ab extra applicentur, ſedem ſibi ſubiectam putrefaciunt. vt igitur cauſſam accidentium ab aconito productorum probe intelligamus, conſideranda primum eius mixtio, eius complexio eſt. etenim pręter igneum præpollens, terrei nonnihil plus habet, quam venena ſoporifera : ſed id crudiuſculum reſpectiue eſt : minus tamen aquei aſſummit, quam illa ; quod, ſicuti in ſuperficie huius herbę valde elaboratum, ac temperatum, tenueq; exiſtit, ita in profundo crudum : interim tamen quodpiam ineſt, quod nec ęque coctum ac tenue, vt illud, neq; æque crudum ac craſſum, vt iſtud, ſed in ancipiti exiſtit natura. hac aconiti complexione ſtante, non mirum ſi ab aſſumptione

ne ſtatim linguam edulcoret paribus elaboratis, attemperatiſq; ad actum primo reductis, hoc tamen facit cum quadam adſtrictione, ob cruditatem terrearum partium. hinc ſecundum mediæ naturæ partes in cerebrum euaporans, vertigines inducit, animali ſpiritu ab hiſce conturbato agitatoq; à quo ſympthomate venenatus homo magis afficitur cum aſſurgit, quam cum ſedet, propterea quod nerui, non ſatis ab eodem ſpiritu illuſtrati, laborem magis ſentiant homine ſurgente, ac ſtante, quam ſedente. qua etiam de cauſſa pectoris, ac præcordiorum grauitas locum habet: vbi enim nerui munus ſuum haud probe abeunt, motus partium, quibus inſeruiunt vt diminuatur aut deprauetur neceſſe eſt. hinc iure ſubdit Aetius, capite de aconito, quod ſi diutius perſeueret malum, etiam tremor, ac concuſſio totius corporis ſequitur. ille autem peditũ frequentiorum exitus, ſicuti materialem agnoſcit cauſſam flatus in crudis materiebus, à viru excitatos, ita effectricem inteſtinorum continuum à mordaci viru ſtimulum, ob quod etiam ſtomachus, ex Aetio, morſu afficitur; humidi fiunt oculi, humiditate in ipſis à deleterij calore liquefacta: qua quoq; de cauſſa ex Aetio turbatiores, ac ſubcruenti fiunt.

De Veneno Torpedinis.

VVlt torpedo inter hæc pariter venena adnumerari, at quæ ſpiritu quodam à ſe emiſſo piſcatorum manus, ſi quando tridente, vel fucina, vel rete attingatur, torpidas repente reddi, ex Gal. 6.d.loc. aff. cap.5. nempe ſpiritum quendam tenuiſſimum effundit, qui per haſtam, aut funem ad piſcatoris manus perueniens, ſpiritalem ſubſtantiam, inſigni qua pollet caliditate, neruis eius inſeruientem belle diſſipat, aut alia ratione corrumpit, vt torporem aut tremorem ſubſequi neceſſe ſit.

De venenis neruoſum genus lædentibus, & primo de veneno Phalangiorum.

Cap. IX.

RVbeo ex Dioſcoride, & veluti punctis diſtinguitur à phalangiorum morſu locus: non tumet tamen, nec adeo calet, verum mediocriter quidem rubet, & ex aduerſo perfrictionibus

horret

horret. sequuntur toto corpore tremores, & circa poplites, inguinaq; conuulsiones. rigoribus similes. sequuntur etiam circa lumbos adstrictiones, et ex his pellendæ vrinę pruritus, & multa ex aduerso in pellendo difficultas. frigidus tota cute sudor pariter fluit, & cum lucis hebetatione aliqua lacrimosi fiunt oculi.

Dupplici de caussa ictus locus nec tumet, nec multum calet, altera ob virus paucitatem, cui suffragatur etiam Galenus 6. d. loc. aff. cap. 5. & ex vulnerato quoq; loco arguitur, est enim ex Aetio vulnus adeo tenue, vt minime conspici possit altera ob eiusdem qualitatem, cum satis calidum. haudquaquam sit, vt locum in tumorem, atq; inflammationem eleuare valeat. & propterea, etsi rubet, mediocriter tamen rubet; & ex aduerso horrescit, calore natiuo intus cogente se, ob neruosæ partis in loco affecto morsum. etenim inter alia, ob quæ natiuus hominis color cogitur in internas confugere, sedes relinquens externas, ex qua horror, rigor, & refrigeratio consequitur, neruosæ cuiuspiam partis est mordicatio. sic rigor in acutis quibusdam febribus superuenit, vasorum tunicis à putrescente atque acerrimo humore stimulatis atq; expunctis: vnde locus affectus propterea punctis distinguitur, quod sanguis concursus in punctos, seu minimos quosdam globulos, propter loci refrigerationem, cogatur. tremores totius corporis sequuntur neruos inordinate mouentes se, ob susceptam à viru iniuriam. rigores circa poplites, conuulsionibus similes, inducunt nerui, in parte hac excarnea, ac frigida, ob coactum in interna calorem, valde refrigerati, atq; obdurati. eademq; ratione inguina in consensum trahant. hinc etiam lumbi refrigerati constringi quodammodo videntur. vnde etsi ex aliquali inde neruorum contractione, ac subinde vesicæ coangustatione desiderium quoddam vrinæ excernendæ oriatur, difficultas tamen in eadem pellenda consequitur, expultrice eadem ratione quodammodo impedita. sudor fit, per quandam humiditatum expressionem, ob carnes veluti conuulsas, à neruis, qui sunt per eas dispersis, & ex refrigeratione quadantenus contractis: qui propterea sudor frigidus est, extima cute à calore derelicta; lacrimosiq; fiunt oculi eadem, qua, & sudor efficitur de caussa: vnde, & simul cauos fieri ex Aetio, & eorum acutiem hebetari necesse est,

De Veneno Scorpionis. Cap. X.

DIoscorides de scorpione hęc habet, inflammari quàmprimũ à scorpionis morsu locus incipit, duratur, rubet, & cum dolore supra modum riget: nunc feruor nunc perfrictio viciſſim occupat: adestq; statim dolor, qui, & viciſſim nunc decrescit, nunc augetur. Accedunt præterea sudores, horrores, tremores, & extremarum partium perfrictiones. Insurgunt his inguina, exeuntq; per sedem flatus; rigent pili: discolor cutis fit: & dolor tanquam ex pungente acu per vniuersum cutem sentitur. Galenus 3. de loc. aff 7. de hoc dolore loquens, inquit. Cum ictus quidam fuiſſet à scorpione, videor mihi videre dixit, quod à grandine percuſſus sim; eratq; omnino frigidus, sudore etiam frigido accedente. idem Galenus 6. d. loc. aff. cap. 5. scribit, scorpionis ictum breui admodum tempore grauiſſima inferre accidentia, & pręsertim eum sensum, ac si homo acu pungeretur, & vniuersum corpus veluti grandine percuti videatur.

Scorpionis ictus cum penetret ex Galeno in 3. d. loc. aff. 7. vsq; ad venas, & neruos, sitq: eius virus calidius, ac terrestrius veneno phalangiorum, fit vt locus inflammatione corripiatur; subindeq; concomitetur ab accidentibus inflammationes consectantibus, duritie, dolore, rubore. obsidet autem locum modo vigor, modo feruor, pro vt ad interna cogit se, aut ad extra funditur calor: vnde interim dolor adaugetur, vel remittitur; nempe in perfrictione augetur, in feruore remittitur. fit hæc innati caloris in loco vulnerato viciſſitudo, quod, vbi intus coegit se ob neruorum stimulum, denuo confugiat opem loco laturus, vel ab inflammatione reuocatus. rursusq; eadem de cauſſa cogit se, & rursus redit. fiunt sudores, humiditate à carnibus per vim quandam expreſſa. horrores consequuntur caloris natiui ad interna concursum, quemadmodum, & extremorum refrigeratio; sed horrores quampiam insuper testantur acrimoniam: tremores vero neruorum offensam, quæ deprauatum motum importat. inguinum sublatio non à quopiam tumore, sed à neruis quadantenus contractis, atq; inde à loco cauo se attollentibus pendere sentio: quam etiam ob cauſsam intestina quodammodo contracta flatus, si qui insit, exire cogunt.

cogunt . rigent pili , cute extima frigescente ; quo plane modo vsu uenit nudis, & expositis acri frigido corporibus : qua stante frigidi sanguis ad interna concurrens , cutem discolorem reddit. & tandem persentit homo dolorem , ac si acu per vniuersam cutem esset expunctus ; vel vt inquit Galenus , esset grandine percussus ; ideo quod nerui per carnes dispersi trahant in consensum , afficiantq; illam cutis partem , cum qua colligantur , dum contrahentes se euitare, aut trudere virus à se contendunt : vnde cute,hac ratione dispersim oblæsa , videntur homines ab acu expungi , vel grandine percuti . hunc expunctionis per vniuersam cutem sensum obseruaui in quodam graui viro à scorpiunculo se inscio vulnerato ; sed fortasse præ ætatis paruitate , erat, enim non cimice grandior , remisse venenoso, non alia est passus accidentia : â quo sensu , postquam per duos dies fuit molestatus , sine quopiam consilio est liberatus . & tunc incidenter animaduertit se habere in pectore scorpiunculum demortuum ; sed in carne ita fixum , vt cum difficultate, & non sine aliquali sanguinis effusione pars animalculi profundius defixa euelli potuit.

De Tarantulæ Veneno.

Cap. XI.

ANtequam huius animalculi effectus , atq; proprietates , quæ non solum vt admirandæ , sed pro miraculo ferme habentur , in medium afferamus , expedit prius quædam de hoc ipso non ignorare . Huius feræ , etsi non vna sit, regio, quæ tamen in Apulia nascitur, solùmodo venenosa videtur ; non tamen omnis tarantula , in hac regione degens , venenosa est , sed illa sola, vt audio , quę ab Ofanto flumine versus meridiem , vt regionem calidiorem peculiare domicilium habet : quæ enim ab Ofanto Boream versus habitat , minime venenosa existit . iure autem à scriptoribus in numero phalangiorum reponitur, quoniam vt fertur , araneus quidam est : cuius color non vnus , cum aliæ sint viridis , aliæ subnigri vel alterius similis coloris, in lædendo autē valde calida videtur, cū vel dormiētes carpat,vel ita sensim expungat,vt homo, lædi se , non animaduertat forsan autem quod aculeus , quo hominem pungit . ita paruulus sit, vt nullum

inferre valeat dolorificum sensum. est enim punctura tarantulę adeo parua, vt minime conspici possit: adeo vt cum primum homines à morbo corripiuntur, vt intelligo, nesciunt, se à tarantula fuisse ictos: vnde cum tarantula hominem pungendo fallat, nec interim ab opere deturbetur, arbitror veneni quantitatem estatu dignam in vulnere euomere.

Hoc ab affecto primum neruo, cæteris per propagationem perquam subtilissime distributum, congruo tempore ad actum reducitur. est autem hoc, non aliud quam æstiuum, quo tempore per horas tres, quatuor aut plures magis feruidas, tribus vt plurimum diebus coguntur ęgri saltare, quę affectio, singula quaq; ęstate reuertens, pluribus annis perdurat. sed antequam saltationi se dent, afflictionem quandam per dies, inquietudinem, ac velut concussionem per totum sentiunt. quæ omnia sedantur vbi sudauerint, & saltationem compleuerint, discussa per motum. quæ affligebat caussa; verum primis annis violentior, postremis existit remissior, à quodam alio audiui non tribus duntaxat diebus, sed tota feruidiori estate saltare horis tantum meridianis.

Est autem saltatio ista non vera, ad differentiam, quæ musico concentu exercetur; sed est quędam humani corporis læsi motio, saltationis quæ artę, & harmonia fit, quadantenus æmula, à neruis, à viru stimulatis, ac lancinatis insinuata: pro qua motione, & corporis agitatione lenienda, interim musicis vtuntur instrumentis: ita tamen vt musicus concentus consonet tarantulatæ hominis commotioni, qualiter hęc vel illa saltationis species, arte factæ, peculiarem habet concenticum sonum, sui ducem. interim, vt audio, ex his quidam apręhenso à se gladio, inter saltandum frequentes iaciunt inanes ictus, contra musica instrumenta. & vbi per quasdam horas saltationi huic se dederint, delassati quiescunt. & si quidem venenosa vis adhuc vrgeat, rursus saltant; si vero iam torpescat hominem in molli lecto quieti dant.

Hęc sunt quę de tarantula à viris fide dignis relata mihi fuere. ex quibus intelligimus multa, quę de hoc animali, de quę hominibus tarantulatis feruntur, falsa esse. & illud in primis quod dicitur, hominum à tarantula ictum singulo quoq; anno ea peculiari die ad saltandum incipere, qua fuit vulneratus. quodq; dicitur eundem perseueranter die, ac nocte saltare: quam vanitatem prędicauit quoq; grauis quidam de plantis scriptor: sicuti, & illud, venenum hoc non alio modo sanari, quam musico concentu. rursus, & illud falsum esse, hominem non prius sanari posse, quam

taran-

tarantula, quæ hominem vulnerauit, intererat.

Cæterum pro cognoſcenda huius peculiaris ſaltationis cauſſa; reminiſcendum tibi eſt, terreum atq; aqueum huius veneni cum igneo conſtitutiua, reſpectiue eſſe crudiuſcula, qua de cauſa non ſingulo quoq; anni tempore, ſed ęſtiuo duntaxat, venenum ad actum reducitur: hoc enim tempore innatus tarrantulati hominis calor ab ambientis aeris calore qualitatiue adauctus, fit potens illud idem adeo excalefacere, atq; rarefacere, vt inde actuitur. & ideo hoc uſu venit horis pręſertim meridianis: adeo nempe venenum iſtud, etiam ſi acriter calidum, frigidum tamen quodammodo eſt, vt ſi pauliſper minus calidum eſſet, vel non exiſteret venenum, vel homini inflictum nullam actuationem ſaltem nocuam acciperet: quod facile arguimus ex tarantula ab aſanto verſus frigidum ventum degente, quandoquidem, vt minus calida, venenum haud ſufficiens calidum geſtat. videtur id firmari, quoniam vt intelligo aduenæ regionum, Apulia minus calidarum, ibi degentes, vt Bergomenſes, nullam à viru iſtius feræ ferunt moleſtiam. quod ſi verum hoc eſt, non ob aliud hoc prouenire ſentio, quam ob frigidam, comparatiue, horum temperaturam. id ipſum conijcimus ex modo ne dum tempore, quo actuatur, neque enim cum primum ęſtate ad actum reducitur, totum reducitur, aut ſaltem totum reductum, totum diſcutitur, ſed particula tantum parata; quę vbi per motum ſaltationis eſt cum ſudore diſcuſſa, aflictio ceſſat, torpeſcente interim veneno ſuperſtite, donec per calorem ſubſequentis æſtatis, rurſus ad actum reducitur, aut ſaltem magis diſpoſita pars; ac ſic ſucceſſiue donec totum diſcuſſum eſt. vt fieri prope nequeat, quin tandem ex toto ſoluatur affectio. qua etiam attenta veneni complexione fit, vt, vbi homini occurrit, inferiora magis, quam ſuperiora occupet, vnde pedes, ac crura veneni onus peculiariter geſtant.

Vbi igitur per neruos diffuſum, ad actum reductum eſt, illos ſic excalefacit, ac mordicus expungit, & vellicat, vt cogatur homo, pro lenienda moleſtia inde ſuborta, agitare ſe, ac pręternaturaliter mouere. quemadmodum videmus ſubleuari, cum à doloribus conflictati, inſuetis nos damus commotionibus, ac varias querimus corporis figuras. cognouit hoc, atq. edocuit nos 3. in 6. tex. 14. vndequaq. ſcius, Hippocrates, cum dixit figurę ſubleuantes: exemplum afferens hominis, qui ſarmenta implectebat: vnde non indifferenter in hanc, vel illam dolentes nos, incumbimus figuram, ſed in illam, quæ nobis magis confert, vt

ictis

ictis à tarantula vsuuenit, qui se illi dant motui, quem insinuāt expuncti nerui, & per quem actuatum, tolerabilior persentitur affectio: ideo quod membrum, à mordaci obiecto oblæsum, minus eius sæuitiam sentit commotum, quam quietum: qualiter cutis scabie detenta, & ab acri humore lancinata, scalpta, ac confricata recreatur, quod caussa molestans per motum discutiatur, aut deturbetur.

Attenta igitur minori afflictione, quæ per hanc, vel illam specificam commotionem comparatur, omnes à tarantula venenati, & actualiter læsi, vna propemodum omnes mouentur motione, vt videantur saltare: adeo vt, si hanc peculiarem variant, magis affligerentur. hac de caussa cum sonus congruus, & adaptatus hominem alliciat ad illam saltationem exercendam, quam ipse insinuat, sitq; saltationis dux, fit vt ægri isti, à concentu musicalium instrumentorum saltationi sui ipsorum adaptato valde iuuentur, non propter harmoniam, frustra enim est cum ad eorum saltationem minime adaptatur, sed quod propter harmonicum sonum congruum atq; adaptatum facilius, leuiusq; se in specificum neruorum oblæsorum insinuatum motum se exerceant: vnde qui citra harmonicum sonum saltant, maiori longe conatu agitantur, sæuiusq; affliguntur. ratio tamen vult, vt à sono quadantenus simul recreentur, & tolerabilius transigant: quoniam anima veluti abstrahitur, concentui vt rei delectabili, & efformandæ saltationi à sono insinuatę, intenta; his itaq; de caussis homines tarantulati primo duntaxat æstu saltant: & musicis instrumentis delectantur, iuuanturq;

Interim si quis gladium appræhensum habeat, ictus præsertim contra musica instrumenta passim inanes iacit, non quod temere id faciant, non quod in medio illorum, vt ferunt, tarantulæ imaginem conspiciant, sed quod propter tales ictus, & bracchiorum motiones, obleniant molestiam, quam ex neruis eorumdem læsis patiuntur, qualiter propter saltationem minus affliguntur secundum partes infernas. atq;hæc de tarantula,iuxta relata mihi, sint in præsentia satis.



De

De Scorpionis Apuliæ veneno.

SCorpio qui in Apulia degit, vt a quodam non contemnendæ fidei narratum mihi fuit, eiusdem ferme naturæ venenum gestat, quod & tarantula. etenim qui ab hac fera percutiuntur, cuidam coguntur corporis agitationi se dare, quæ itidem saltationis est æmula, in qua ęgri æque à musicis instrumentis iuuantur, ac tarantulati. sed sicuti saltatio ista diuersæ nationis est à saltatione tarantulata, ita diuersum, ac peculiarem sonũ exposcit. vnde a peculiari hac saltationis forma argumentum capiunt non a tarantula, sed a scorpione hominem fuisse læsum: attamen qui sic affecti sunt, non ęque diu conflictantur, ac tarantulati, cum secundo vel tertio, vt audio, iudicentur anno. Pendet hoc a veneni natura, quod vt magis coctum, quam venenum tarantulæ, sic est minus ægre resolubile, quippe quod accedit quadantenus ad naturam veneni scorpionum vulgarium. qua veneni natura stante etsi pedum ac crurum nerui afficiantur non tamen plus afficiuntur, vt alioquid in veneno tarantulæ, quam qui per corpus disperguntur: & propterea sicuti tarantulati plus cruribus fatigant, ita icti à scorpione plus cætero dimouentur corpore: adeo vt videãtur isti, vt ab eodẽ audio, inter saltandum sæpenumero in terram ab altero, aut altero latere cadere velle.

De quadam herba, quam refert Plutarcus commestam inter alia admirabile quoddam accidens producere vbi obiter de sardonia herba.

Cap. xij.

PLutarcus in vita Marci Antonij, dum scribit, in exercitum huius Imperatoris a Parthis redeuntem ingentem seuijsse famem, de quadam herba, cuius esui milites se dedere hęc habet. tandem ad herbas ac radices conuersi, cũ notæ consuetæqꝫ de-

deficerent,coacti sunt ignotas assummere.inuenta est quędam herba,quæ ad mortem vsq:per insaniam adduceret:quicumque illam mandebat. neque meminerat cuiuspiam, neque vllum agnoscebat,ad hoc vnum summe intentus vt lapides effoderet, versaretque ceu magna quędam res, & celeritatis indiga gereretur erant cuncta plena annixorum humi ad lapides reuoluendos,traducendosque, & tandem bilem vomentes moriebantur omnes,quando vinum defecerat,vnicum ad eam pestem remedium.

Cum venenosa hæc herba præter calidas impēse, & humidas partes, quibus ascensum in cerebrum facile adinuenit, terreis etiam non parum ualeret, factum est ut calidis ac uaporosis, cerebri temperiem,animalemque spiritum corrumpens, principes omnes facultates ademerit,vt qui eam ingessissent, agnoscerent neminem, nec recordarentur cuiuspiam; terreis vero partibus,neruos bracchijs, ac manibus inseruiētes,potissimum oblæderit.non in alio consistit neruorum noxa, quam in aeri qoadam excalefactione,expunctione,& aliquali contractione: vnde nerui,hoc modo molestati,excitarunt hominem,pro molestia demulcenda,ad manus defatigandas, enixeque exercendas;quod cum aptius moliri haud sibi datum esset, se deuolutioni,ac lapidum traductioni dedere.In summa enim nerui stimulati,lancinati,aut simili quopiam modo læsi lacescunt hominem ad sui ipsorum commotionem, atque exercitium. sic canes ab assumptione nucis vomicæ, vt quæ cerebro ac neruis maxime sit infesta,in irregulares quosdam motus, ac velocissimos quandoque cursus feruntur, ac tandem conuulsi moriuntur.sic meniacorum dentium stridor,quietis corporis impatientia,percutidndi ministros, & adstantes desiderium, roburque illud,non ab alio prouenit, quam a neruis neruosisque cerebri partibus supercalefactis,exsiccatis,nec non quadantenus stimulatis,atque inde moueri, exercerique se appetentibus. sic mordendi desiderium in canibus ac hominibus rabientibus cum à quodam odio per corruptum quodāmodo cerebrum concepto prouenire possit,actus tamen mordendi indignabundus à neruorum dentibus inseruientium,qui inter alios in hoc affectu læduntur,stimulo immediate pendet.

Cur autem venenum hoc neruos brachijs ac manibus exporrectos potissimum affecerit vt milites illi non ad cursus, non ad saltationes, aut alias insuetas motiones, sed ad manuum exercitium ac laborem fuerint inde excitati, ratio est, quoniā

vene-

venenum istud secundum terrestriores ac simul calidiores pestes vel peruenire in cerebrum non potuit, vel peruentum declinauit rursus ob earum pondus in subiectos neruos, non quidem remotos vt lumborum, ossis sacri, pedis, sed ceruicis, a quibus nerui bracchijs famulantes deriuantur, vnde hi inter alios læsi excitarunt hominem ad lapidum fossionem, versationemq;

Rationabile tamen est, vt nerui quoque thoraci ministrantes essent læsi, veram illi soli iniuriam demonstrabant, ideo quod, concessa pari læsione, nerui illi magis læsi videntur, qui membris externis, quam qui internis inseruiunt, & quorum munus est euidens, quam quorum obscurum: quemadmodum vsuuenit in sardonia herba, quæ etiamsi in cerebrum fortiter euaporans furorem inducat, mentem adimat, & conuulsionem pariat ex Dioscoride & Aetio: attamen in hac cerebri ruina, in hac conuulsione, quæ declarat omnes cerebri neruos esse offensos, qui maxillis inseruiunt soli offensi videntur: vt hac de caussa genis contractis, atque dentibus hinc explicatis, videantur hi omnes ridere.

Cum, dicet quis, non inducit sardonia accidens, quod herba Plutarchi. Dic quod sardonia minus de terreo capit: & id in cerebro explicatum inibi mala, & inter alia conuulsionem parit: quam non inducunt soporifera, quod terreo minime polleant.

Quam recte autem poterant, per laboriosam lapidum traductionem, manuum blandiri dolori, & demorsu, & quapiam neruorum contractione suborto, etenim preterquamquod motus, ac labor membrorum, quibus oblæsi nerui inseruiunt, afflictionem inde subortam tolerabiliorem reddunt, poterant etiã per talem enixum contracti, ac decurtati quadantenus nerui elongationem, ac naturalem extensionem comparare, ac simul ab illata iniuria vindicare se, qualiter motus quosdam conuulsiuos noctu nos aliquandiu affligentes, per digitorum affecti pedis ad nos retractionem, quæ naturalem musculorum extensionem importat: intercipimus, soluimusq. sic vulnerati, si quando à motibus corripiantur conuulsiuis, crura nituntur contracta contra motum conuulsiuum elongare, quo minorem sentiant cruciatum: adeo vt si defecissent lapides, & oblatæ fuissent arbores, iunctis in vnum manibus milites ij eas ad se trahere essent enixi; non profecto vt ad se traherent, sed ad molestiam ac motum conuulsiuum demulcendum, intercipiendumque vnde illud uerbum (annixorum) maximum quendam declarat horum conatum, vt qui pro afflictione neruorum vellicatorum lenienda, eorum-

demque naturali extenſione comparanda, niterentur deuolue-
re, atque effodere non paruæ, non enim pro ratione fuiſſent, ſed
magnę molis lapides. verumtamen cum venenum nullatenus
remitteretur, ſed ſucceſſiuè magis obſeſſa membra alteraret,
moriebantur tandem omnes, ſi non haberent vinum, a quo alio
quin epoto diſcuti, ac diſſipari halituoſum venenum potuiſſet;
bilem prius vomentes, quod ventriculus, in quo de bile ſemper
ineſſe ſolet, à cerebro ad ſummum lęſo, in conſenſum eſſet attra
ctus.

De veneno Canis rabidi.

Cap. XIII.

Canis rabidus non diſſimilis mihi videtur homini maniaco: quemadmodum enim hic ſicca, & calida cerebri affectione laborat, & modo audax in furorem agitur, modo mæſtus degit, miniſtros percutit, & crebro exigua ſputamina alba, ſpumoſa eijcit: ita canis propterea rabie furit, quod conſimili cerebri paſſione ægrotet, vt ob id in magnis ęſtibus à rabie, vt plurimum corripiatur: vnde Aetius tet. 2. ſer. 2. c. 24. ſic habet cum canes natura calidi, & ſicci ſint per æſtatem ex ambiente nos aere aliam caliditatem, & ſiccitatem aquirunt, & ob immoderatam intemperaturam inſaniunt, & hęc inſania vocatur rabies: ſic igitur affectus canis in primis feſtinante pede audaciſſimus; poſtmodum lento męſtoque pede incedit: obuios canes & homines quoſcumque ferit aut ferire tentat. & cum expurgare ſe per ſputa datum ſibi minime ſit, ſpumam in ore generatricem materiam habentem, ebullientes in eius cerebro, atque in os deſcendentes acres humores, abundanter colligit.

Cum autem paſſio hæc canina in intenſione longe ſuperet, quæ hominis eſt, ratione percalidæ canis cerebri temperiei, vt hinc intenſior facta, maximum receſſum ab intemperie cerebri maniaci calida, & ſicca dicat, fit vt, ſpuma hęc canina, generatrice eius materia mirum in modum in cerebro ferueſacta, atq; ignea vi fœta reddita, percalida, atq; acore effatu digno referta ſit. hac igitur qualitate donata, vbi in carne humana, cũ canis hominem mordet, relinquitur, neruos, neruoſaſque, atque ſpermaticas corporis partes inſigniter excalefacit, atque exſiccat, vt

e pro-

à propria, ac naturali non solum deturbentur natura, & aliam ascititiam calidam, & siccam comparant, sed quandam insuper acrem fermentosamq; contrahunt qualitatem, cuius ratione, à neruo primum affecto, successiue cuncti, & quodcumq; ex hoc genere est, neruosæ scilicet, ac spermaticæ omnes partes conficiuntur, viru per propagationem modo fermentatiuo repente, atq; hasce occupante, quemadmodum contagiosum venenum per sanguinem repere, illũq; corrumpere, ac fermentare docuimus: quod fit ita paulatim, ac sensim à remissiori per gradus maioris successiue intensionis procedendo, vt nulla interim tristis sequatur sensatio: quemadmodum vsuuenit in vitiligine, & partes per quas serpit, quasq; afficit, dum propria, ac naturali exuuntur natura, noua atq; extranea tanquam conaturali induuntur, non in circumferentia tantum, verum etiam adæquate in centro: adeo vt hæ partes, hæc membra, secundum sui totũ, veneni caliditatem, atq; acrem siccitatem contrahunt, ac si naturaliter, atq; habitualiter hanc conciperent, & propterea fit, vt nõ prius venenatus homo sentiat venenum in se gestare, quam in cerebro, eiusq; membranis, ac neruis sit intemperies effatu digna introducta: hinc enim, cum vndiq; praua elucescant symptomata, facile depræhenditur hominem rabie tentari.

Sed antequam ad horum symptomatum enarrationẽ, caussarũq; explicationem deueniamus, opere pretium est, prius intelligere, qua de caussa venenũ hoc à prima sui introductione modo citius, modo tardius p symptomata à se pducta cõpareat: etenim, cũ vt plurimũ circa quadragesimum, quandoq; tamen ante vigesimum diem efflorescit. quin etiam scribit Aetius loco supra citato, quosdã statim vbi commorsi sunt aquam, & alios liquores timere. testatus alias mihi est medicus fide vndequaq; dignus, nobilem quemdam virum, cum à canicula, quam pro solatio in sinu habebat in facie fuisset vulneratus, sequenti die venenum per horribilia symptomata sensisse, & quamprimum, è vita migrasse, quod videtur quoque vsuuenisse duobus adolescentibus apud Elianũ lib. XIIII. cap. 19. & ipse testor de uisu, quod ęstate anni 1633. cum à lupo rabido duo iuuenci fuissent in posteriori parte vel leuissime vulnerati, quadraginta horarum spatio inflati, cum maximo rugitu interiere. e contra non prius interdum sui notam venenum dat, quàm transactis quibusdam mensibus: quin, & aliquandiu per plures annos delitescit refert Galenus 2. proret. com. 17. se vidisse quendam, qui factus est hydrophobus post annum, & Auicena alium, qui post septem annos. Albertus magnus lib d. anim. 2. scribit se vidisse quendam, qui post annos duodecim à morsu accepto in hydrophobiã incidit.

Quæstioni huic sic respondendum sentio, venenum istud citius aut tardius quadragesimo die manifestari, prout magis aut minus in suo esse calidum, atq; acre extiterit, accedente anni tempore calido, & sicco. verumtamen cũ per annos delitescit rationabilius est. delitescere, quod in loco demorso diutissime torpescant, antequã ad actum reducatur, retusum fortasse à sanguine, vt quando locus est carnosus, & neruosis partibus expers: fortasse quoq; quod debilem nascitcatur calorem, vt in vulnerato teneræ ætatis: sicuti enim remissus calor ægre valet excitare in re aliena putredinem, ita, & blandus vaporosusq; qualis est ętatis puerilis quomodocumq; hoc se habeat, si quando contingit, vt venenum hoc in animante, diutine occultatum, ad actum reducatur, rationabile est propterea ad actum reduci, quod venenum torpescens ad instar tarantulati ex occasione sufficientem quempiam calorem ad sui actuationem sit nactum. quo etiam casu tale venenum censendum in suo esse remissum.

His sic pręmissis venenum hoc, cum cerebrum occupauerit, intemperiemq; introduxerit effatu dignam, hęc suboriuntur symptomata, iracundia, tædium tristitia, contorsio, cuiuscumq; decubitus displicentia, vigiliæ, somnus turbulentus, lucis auersio, rubor vultus, plura sputamina, corporis grauitas, articulorum stupor, abominatio imbris, parua bibendi cupiditas præter consuetudinem, mox vero patientes aquam, ac liquida omnia abominantur; adeo vt si quidem aquam videant, vel sonitum eius audiant, aut aqua ipsis offeratur bibenda statim tremunt, in furorem aguntur, ac interdum conuelluntur, vt Democrates apud Galenum in 2. d. antid. cap. 15. tandem etiam delirant, ac conuulluntur. hæc in primis remissiora, mox intensiora, & horribiliora: quidam ab his omnibus, nonnulli ab horum quibusdam duntaxat diuexantur: quorum omnium caussa ab vna potissimum sicca, & calida, totum æqualiter cerebrum occupante, intemperie petenda est.

Etenim iracundia, etsi quandam sanguinis circa cor in consensum attracti, efferuescentiam dicere possit. in hoc tamen casu cerebri symptoma esse sentio: quoniam hæc animæ passio in homine rabiente non est vera iracundia, sed quoddam ad cuncta odium, & cuiuscumq; rei oblatæ displicentia (hęc est enim velut rabiei forma) quę sequitur intemperiem eius calidam, & siccam, quatenus hæc dicit dissonantium concentui aliorum principum membrorum aduersum. vnde etsi homo hac intemperie vtatur tanquam naturali, nec vllam sentiat dolentiam: nihilominus cum hęc cerebri intemperies, diuersum quid dicat à consonantia totius, fit vt

ho-

homo sine manifesta caussa, ac ceu præter rationem aquiescere animo, & corpore nequeat, sui ipsius impatiens sit, & iracundiæ effectus semper edat: vnde non mirum si illum tædeat, tristetur, contorqueatur, meliorem querat decubitum: quamuis hęc omnia accidentia consequi alia ratione possint calidam, & siccam cerebri intemperiem. propterea quod huius qualitas non solum in quodam calefacto atq; acri esse ponit totum cerebrum, & neruos etiam per corpus dispersos, sed spiritum insuper animalem consummit: vnde ex intemperamento suboriuntur vigiliæ, & somnus, quantus iste sit, non placidus est, sed turbatus, ob quandam vaporum sursum latorum acrimoniam, à cerebro supercalefacto contractam. plura sputamina facile indicant supercalefactas esse; atq; acore præditas cerebri humiditates, quæ in os dilapsæ excitant hominem ad crebro expuendum. rubor vultus quandam phlogosim dicit: fieri enim nequit quin loco præter naturam calefacto, locatum pariter quandam præternaturalem concipiat incalescentiam, à qua insuetus rubor. nausea, cum prouenire possit à ventriculo ab eadem intemperie detento, rationabilius tamen est, induci ob consensum istius visceris cum cerebro, pręsertim cum æger aquosum quodpiam apræhendit. contorsio autem, & omnis decubitus displicentia, neruos sequitur exsiccatos, ac quadantenus lancinatos, qui cum, ratione tum intemperantiæ sui ipsorum, tum, & animalis spiritus non possint satis ab eodem spiritu irradiari, fit vt grauitas corporis, & articulorum stupor locum habeant. ex consumptione vero, quæ paucitatem spiritus animalis importat, tædium, tristitia, ac leuis auersio proueniunt.

Superest modo, vt caussam afferamus per quam ægri rabie furentes aquam tantopere abominentur vt nec illius sonitum nec de illa loqui, nedum illâ tangere, aut gustare, ac sustinere queant: quod accidens veteres, atq; recentiores adeo admirati sunt, & æstimarunt, vt affectum rabidum, hydraphobiæ, seu timoris aquæ nomine insignitum voluerunt. quod tamen non omnino quadrat; quoniam ægri non abhorrent proprie aquam, vt quid extimescendum metuendumq; sed vt quid sibi ipsis aduersum: qualiter ab abominabili, vel sordida quapiam re, non tamen metuenda, visu, & auditu abhorremus. sed quicquid de nomine sit, huius accidentis germanam caussam, cuius inuestigatio tantopere multorum insignium, atq; eruditissimorum virorum ingenia defaticauit, iam tempestiuum est offerre. ad cuius exactam intelligentiam, recipiendum rursus: coaffici à viru hoc canino spermatica omnia membra, eaq; adequate secundum totam sui substantiam, ac subinde

inde cerebrum ipsum ; quatenus non solum cerebralem substantiam, verum etiam membranas , neruos , & venosa arteriosaq; vasa compræhendit . Scimus autem ex formali huius nobilissimi membri temperie, tanquam harmonico concentu , spiritum animalem , qui ex aere, & spiritu vitali per Galenum generatricem habet materiam , resultare . vtraq; nimirum tenuis hæc substantia, vbi à cerebri temperatura suis in locis præparationem, coctionem, ac perfectionem vniformiter accepit , animalis iam est spiritus, sui principij natura indutus , eiusq, formalitatem, ac characterem efferens : adeo vt quali temperamento vtitur cerebro , tali quoque, & spiritus animalis , qui vitali in tenuitate , puritate, ministerio longe præstantior existit . hic est, qui , vt reliqua eius munia omittamus, rerum omnium imagines seu species à sensibus externis perceptas ad cerebrum tanquam censorem transuehit . sunt rerum species medium quoddam , per quod res cognoscuntur, has spiritus animalis occurrens, sibi vnit, atq; vi intelligenti, vt iudici,ac pro tribunali sedenti diudicandas offert : hæc autem vnio non aliud dicit, quam spetierum, ac spiritus animalis in vnum quendam confluxum ; atq; consensum : vt ob id quidam eruditissimi viri spiritum animalem spetierum promptuarium iure censuerunt dicendum.

Cum igitur in hoc affectu spiritus hic ; naturæ sui principii consequtiuus , in quodam sit calido atq; sicco acri esse constitutus : cumq;hoc esse,contrarium,ac diffidens sit naturæ aqueæ, fit,vt nulla ratione aquæ speciebusue aquæ quouis modo sibi oblatis occurrere, ac consentire valeat ; sed illico ab ijsdem vt aduersis, ac sui destructiuis abhorreat, auertatq; se, simul, & semel trahens hominem in eiusdem auersionem quandoquidem homo auertit se , non quod vere sciat aquam sibi, affectio. i ie suæ natura esse aduersam: sed quod cogatur quodammodo spiritui animali auertenti se, ab imaginibus aquę sibi oblatis, eiusq; displicentiæ annuere, ac consentire : vnde dum abhorret aquâ nescit qua de caussa abhorreat . quod si inuito aquæ sonitum audiat, vel aqua ei offeratur bibenda,aut aspicienda , tremit, obstrepit, in furorem agitur,& quoq; conuellitur, per præsentiam enim aduersissimi obiecti,cum spiritus in se conuertantur,retorqueantur,ac cogantur in proprio principio, maxima fit displicentia,adaugeturq; passio,quæ etiamsi ad terminum conuulsiuum non dum peruenerit,conuulsionem tamen auocat, teste Democrate apud Gal. loc. supracit.

Casus. Antonius Pirus Notarius de Herbusco narrauit mihi per agrantem se olim comitem habuisse quendam suum domesticum canem

canem, rabie sine spuma, seu vt dicunt, rabie sicca detentum. hic vbi peruenit ad foueam quandam aqua plenam primo tremens est factus, non vbi aliquoties in girum conuersus est, in se retortus, concidens iuxta aquam perijt. scilicit quemadmodum calor, & frigus per sui contrarij circumstantiam intenditur, sic passio hęc calida, & sicca, quæ aquæ auersionem importat, per aquei obiecti pręsentiam maxime adaugetur.

Ex quo satis constare arbitror rabientem non abhorrere aquam ob ventriculum læsum, nec quod rationem habeat corruptam: quoniam quo tempore respuit aquam bene dijudicat; sed propter contrarietatem, & diffidium, quod inest inter naturam spiritus intellectiui, & aquæ: cuius diffidij ratione oblatæ aquæ imagines ab eodem omnimode abiguntur, ac respuuntur, vt ad cameras principum facultatum peruenire, ne dum intra cameras admitti ulla ratione queant. qua de caussa illud oritur, quod æger abominatur aquam, ac potulenta omnia, sed istius abominationis caussam adducit nullam, quod datum haud sibi sit aquam concipere vllo modo posse: alioquin cum de alijs rebus loquatur, ac bene dijudicet, pariter de aqua sermonem haberet, & de ea ferret iudicium.

Quis dicet, quomodo quispiam potest intemperie cerebri calida & sicca, quæ mutationem totalem temperiei eiusdem naturalis dicit laborare, ac simul mente constare? Dic, quod etsi intemperies hæc magna sit ratione extensionis, ratione inquam substãtiæ totalis membrorũ læsorum: attamen ratione intensionis parua est, cum primum ab aqua æger abhorret: vnde interim bene discernit: sic cum per quasdam febres patientis cerebrum præter naturam incalescit, non adhuc tamen delirium adest, sed cum maxime incalescit. verumtamen cum intemperies hęc in summo introducta est, iam quoq; delirat homo, quod vsuuenire solet cum prope mortem iam est. hinc in definitionibus apud Galenum, cum definitur Hydrophobia additur postremo, & his superuenit delirium, quippe quod in primis non adesse solet, cum enim ab vno remissionis, per gradus maioris successiue intensionis procedendo passio introducatur, fit vt accidentia, quæ primum elucent successiue intensiora fiant, & his alia superaccedant, hinc cum primum æger ad aquæ potum non valde contumax sit, postmodum aquam nullo modo sustinere valet. sic rubor vultus in primis remissus est, procedente tempore intensus, sanguine ab intemperie conceptaculorum intensiori facta, magis incalescente, qua etiam de caussa iuguli inflat io circa ægri interitum superuenire solet, sic cum primum con-

vulsio

vultio nullum habeat locum, postremo neruis maiorem in modum excalefactis atq. exsiccatis comparet. quo etiam tempore oculi languentium valde prominent, igneiq.& micantes sunt, vt intuentibus magnum inferant horrorem.

Et quamuis statutum sit spermatica membra obiectum maleficẽtiæ istius veneni esse: attamen rationabile est cor quoq; nec non iecur per quandam communicantiam compati; viget enim inter primaria membra consensio maxima; adeo vt etsi diuersam inter se efferant naturam, vni tamen insimul humani corporis concentui intendunt, in vnam conspirant harmoniam, est natura horum principium membrorum tanquã discreta symphonia, vt ex oraculo in 1. de diæ. colligere licet, ad vnam totius harmoniam comprę-hensim has tres symphonias, per omnia penetrãtes, in se habentem directa, ac coordinata; vnde vna valde perturbata, perturbari, & alias, & totum corruere concentum contingit. sed hoc vsuuenire duntaxt, cum virus iam alte pedes impressit, credibile est. scribitur à quibusdam in quodam rabie interfecto, ac secto clara compassi cordis inditia illuxisse; pericardij humiditatem absumptam, pericardiumq; atq; cordis sinus tabefactus, atq. sanguine orbatas: vt minime mirandum sit, si pariter iecur aliqualem offensam simul patiatur. quo stante, non sine ratione proposuerunt quidam apud Elianum de animal hist. lib. 14. cap. 19. quibusdam comorsis à rabida canicula hanc eandem interficiendam, & illius iecur vt medicamentum appositum offerendum esse.

His sic de veneno canis rabidi statutis, difficultas quædam tollenda. etenim si per intemperiem calidam, & siccam, cerebrum occupantem, homo abominatur aquam, videretur sequi maniacos atq; hecticos hoc identidem accidens esse subituros.

Maniacis, ac tabidis hoc non vsuuenit quoniam eorum membra læsa inæqualiter sunt, in superficie, inquam, & non in ventribus calefacta, atq; exsiccata: vnde cum in horum ventribus naturalis uigeat temperies calida, & humida, & hæc coctionum effectrix sit caussa, spiritus gignitur animalis, qui gestans temperiem, ac formalitatem productricis sui caussę, in suo naturali esse consistentis, nequit ab aqua, speciebusue aquę dissentire. Nec quis dicat in hæctica febre ęqualiter solida secundum sui ipsorum totum esse calefacta, atq. exsiccata, vt in medicorum schola sentiri uidetur, & propterea hecticos saltem abominationem aquæ esse subituros, quoniam pręterquam quod eorum cerebrum minime ab hac tangi intemperie sentimus, in uentribus quoq. solidorũm præsertim spermaticorum custodiri in hac febre ad interitum usq;

humidum

humidum radicale, & innatum calidum, quantum istud sit, in suã formalitate, pro constantissimo habemus, quandoquidem iactura istius humidi, istius calidi non efficitur secũdũ formalem eius intensionem, sed extensionem, alioquin hominis natura mutaretur totaliter, & extingueretur quamprim, quemadmodum per passionem calidam, & siccam in viru canino.

LIBER QVARTVS.

De Pestilentibus, ac Venenosis Morbis.

Quid actum, & quid de cætero agendum. *Cap. I.*

VIso iam, quæ sint pestiferarum, ac contagrosissimarum febrium caussæ remotæ, ac proximę: Quid sit in genere uenenum actuatum; quot; & & quę eius differentiæ, atque agendi uniuscuiusque ueneni modus: quosque effectus ac symptomata in animante pariat, iam tempestiuum est inuestigate, qua ratione, qualibusq; præsidijs uenena, uenenosique morbi profligari ualeant.

Quid indicet venenum, vt euincatur. Vbi alexipharmacorum natura probe discutitur, explicaturq́; eorundem cum venenis colligatio. Cap. II.

CVm igitur uenenum actuatum nil aliud sit, quã tota quædam, eadẽq; tenuissima substantia, actu calida, ac quatenus talis, ubi occurrit, hanc, uel illam partem animantis constitutiuam corrumpat, iam intelligimus, ad hanc totam substãtiam euincendam, planeque profligandam, quamprimum esse

occurrendum iis, quę mirum in modum tandem rarefaciendo, discutere, dissipare, ac fugare valeant; Quamobrem medicamenta hęc calorifica vi prędita esse volunt. & non quauis, sed insigni: nec insigni tantum, sed, & in partibus valde tenuibus consistenti.

Dupplici de caussa pollere insigni facultate calorifica debent, altera vt valeant alterationem saltem totalem ventriculi effugere, & facultatem, quam retinent, in iecur, ac supra ipsum, quo in loco spatiari solet venenum, deferre: vt talia enim sunt calori ventriculi peruicacia, unde inconfecta in iecur, ac venosum genus ascendunt, vbi à calore, qui inibi maxime viget, ad actum totaliter reducta, propriam in venenum explicans facultatem. altera, vt illud idem valenter discutere, ac simul dissipare possint. constare itidem ex partibus valde tenuibus debent, vt vis eorum prodiens, & sui principij naturam efferens, valeat, vt tenuissima, fundi expeditissime per vniuersum corpus, per quod aura venenosa spatiatur, & in hanc penetrare, ac simul, & semel mirum in modum rarefactā dissoluere. vt propterea statuendum veniat, quæ debellare venena nata sunt, medicamenta illa esse, quæ insigni pollent facultate discussoria hinc quę à veteribus, ac recentioribus per experientiam, ac longum vsum comperta proponuntur, contra hoc vel illud veneni genus, si quis recte attendat, eminentem quandam discutiendi vim obtinere comperiet, non solum simplicia, sed etiam composita medicamenta, quę alexipharmaci, vel alexeterij nomen sunt adepta. vnde sicuti venena omnia vnam in genere indicationem habent ad sui expugnationem, sic insignia quædam alexipharmaca, quę, & antidoti nomine sunt donata, vnumquodq; ferme venenum euincere, aut debilitare nata sunt: in quorum numero extat Mithridatica confectio, sed illa de qua Galenus in 2. de antid. cap. 9. theriaca auaritiam nullatenus redolens, plurimaq; alia, quę apud Principes reperiuntur.

Qua natura alexipharmacorum sic stante, intelligimus, venenis hæc immediate subordinari, adeo vt ex his quędam validissima cum venenis remissis confunduntur. quo factum est, vt veteres quędam in antidotis immiscuerint venena, vt confactionem redderent præstantiorem, vt opium mandragoram, iusquiamum, squillam, carnem viperinam, cui rei intendens Erasistratus apud Dioscoridem lib. 6. cap. 71. aduersus basilisci morsum opium solum propinabat. Quo simul edocemur venenum remissum se habere vt alexipharmacum contra venenum intensum: & propterea viperę caro attrita, & vulneri imposita, sic, & araneus mus contusus, nec non cocodrili adeps contra ipsiusdem venenum, vt alexeteria

salutariter

ſalutariter adhibentur teſte Galeno in lib. de ther. ad Piſ. cap. 10. quo iam adaperitur illius adhuc indiſcuſſi, & à Galeno eodem in loco propoſiti problematis cauſſa, cur quæ noxia ſunt, interdum prodeſſe queant: ſunt enim horum animalium partes venena non ſimpliciter talia, ideo quod venenoſum aliquod animal non ſolet eſſe venenoſum ſecundum ſui totum, vel ſaltem non eque ſecundum totum venenoſum, vnde pars minus venenoſa, vt minus intenſe calida, nata eſt ſe habere vt alexeterium in partem, quæ ſimpliciter venenum eſt. & quamuis quę noxia ſemel ſunt, videantur homini nocere debere, quandocumq; exhibeantur nihilominus res ſecus ſe habet, dũmodo venena, quę, vt alexipharmaca, adhibentur, contra venena offerantur; quoniam eo ipſo, quo venenum in corpus humanũ agens euincitur, alexipharmacum efficitur, contra venenum, quod vt alexipharmacum fuit venenato homini exhibitum: adeo vt vno, & eodem tempore venenum patiens fit agens, & alexipharmacum agens fit patiens, & vtroq; hac ratione in aeream ſubſtantiam digeſto, venenatum corpus expurgatur, defęcaturq; ab omni aura malefica.

Cum itaq; ex alexipharmacis alia cum venenis confundantur, alia immediate, mediate alia ipſius ſubordinentur, fit hinc, vt tres inſurgant alexipharmacorum differentię ſi enim ex his, quæ, & alexipharmaca, & venena ſimul ſunt, poſtremam quandã ſpeciem conſtituere velis, altera ſucceſſiue ſpecies ſtatuetur ab his, quæ validiſſima, non tamen adhuc venena ſunt. & ordinatim recedendo priorem ex his ſpeciem conſtitues, quorum facultas exiſtit nõ æque ualida. adeo vt ſi ab infirmioribus ad ualidiora alexipharmaca, & ab his ſucceſſiue ad venena in ſummo talia quis diſcurrere uelit, longa ſed ordinata ſerie, cuncta hæc inter ſe quodammodo connecti comperiet.

Sunt autem in genere medicamenta hęc, quæ contra venena exhibentur, non vnius, ſed multiplicis ſubſtantiæ, aquoſæ, & hęc infirmiſſima omnium ſunt: aridę: & inter vtramq; hanc ſubſtantiam medio modo ſe habentia.

Aquoſa ſunt aqua theriacalis, aqua vitæ ſeu ardens, aqua ſtillatitia ex carduo ſancto, ruta, angelica, diptamo, tormentilla, ſcordiò, floribus aranciorum, decocta ligni guaiaci, ſalſæ parillæ, chinæ, uinum album generoſum, & alia innumera. ſed circa aquam theriacalẽ, et aquã ardentẽ animaduertendũ, quod etſi nata eſſe uideãtur, ad ualide diſcutiendum, parua tamen pro ratione ex his contra uenena ebibitis, reſultat utilitas: ideo quod, cum percalidis, raris cõſtant partibus, quarũ ratione quamprimũ aſſumpta actuantur, vnde

in venas debilem deferunt facultatem: præsertim vero aqua ardens, quæ in ore ne dum in ventriculo sui subit actuationem: ac idcirco etsi multum excalefaciunt, parum tamen discutiunt. aliæ stillatitiæ aquæ vt minus calidæ, minus etiam pollent, proinde liquores congruentes sunt, quibus potentiora admisceantur alexipharmaca, vt diaphoreticam vim habentes. decocta non contra venena, sed vt plurimum contra quosdam crassos, ac frigidos: aut calidos sæpeque fermentosos humores quam apte offeruntur: vt aquosa enim diluunt; vt acria penetrant; vt calida successiue discutiunt. quamobrem vbi sunt à calore hominis actuata, in vaporosam abeunt cum noxijs humoribus substantiam, quæ per vniuersum corpus exiens, sudorem efficit copiosum: vnde merentur hæc dici propriè sudorifica: quorum partes, quemadmodum & infestantium humorum, rariores primo, densiores, atque acriores postremo attenuantur, & per sudorem erumpunt. propterea recte statuerunt scriptores per spatium circiter horæ, ni quid obstet, ægrum esse sudandum.

Substantiæ sunt aridæ, aromata plura, & alia huiusmodi, quorum quædam celerius nempè in ventriculo, tardius alia, vt in venis, eadem ferme vtrorumque intensione data, ad actum assumpta reducuntur. Quæ enim maiorem humidi proprij coctionem, maioremque præseferunt raritatem, illa quoque faciliùs in ventriculo alterationem admittunt: quin immo vel paululũ masticata quandam recipiunt in ore alterationem, vt testantur acrimonia linguæ illata, vt piper, cinamomum: nihilominus, & in venas effatu dignam gestant facultatem, maxime si in copia fuerint assumpta, ratione earum partium, quæ exactam demolitionem non sunt sortitę. quorum vero humor est non æque coctus, densiorisque, nec æque aridæ substantiæ, sicuti masticata linguam minus expungunt, sic magis integram in venas propriam deferunt virtutem. hinc non mirum, si illud Aponense in peste præseruatiuum tantopere celebretur, quod ex nucibus duabus, ficis tantundem, & folijs rutę viginti constat: abscondant enim nuces, quemadmodum & fici vim quandam calorificã, quæ in venis ad actum plene reducta virulentas auras discutere nata est.

Quę inter vtraque hęc substantiæ qualitate ambigunt, sunt velut allium, scordium, creticum, theriaca, mithridatiũ & alia. sub hac differentia iure locabimus balsamum, bezoar, extractũ baccarum iuniperi, baccharum hederæ, rosmarini, flos sulfuris,

spi-

ſpiritus ſalis methallici,nitri,oleum cinamomi,gariophilorum, roſmarini,ſal theriacale pruelle,ſal viperinum , trociſci viperini, iuſquiamnm mandragora,opium,ſquillla, caro viperina. Sed hęc poſtrema correcta eſſe volunt ijs , quæ humidum eorum primigenium coquendo,efficiunt vt actuata celerimè reſoluantur . Et propterea cum calidarum ac tenuuium partium medicamentis ſemper commiſcentur.Sunt autem ex his plurima validiſſima,expeditiſſimeque opus ſuum perficientia, maxime ſi cum congruenti liquore,eoque calido offerantur , quę omnia, cum caſus euenit non ſemel,aut bis, ſed quouſque veneni vim extinctam eſſe,comperies,ſunt exhibenda:octaua interim , aut ſexta,aut quinta,nunc & quarta quaque hora: ſcilicet pro minori vel maiori veneni actiuit, & urgentia. Doſis non vna, pro medicamenti qualitate,& hominis ætate. quorum ætas eſt florens, calorque natiuus mordax , ijs ſumma conuenit quantitas.

Hunc expugnandorum venenorum modum medicinæ decus Hippocrates declarauit ſe vndequaque tenuiſſe , cum 6.in 6.tex.5.dixit maleficorum lac,allium,vinum feruefactum,acetum,ſal:hiſce enim propoſitis medicamentis naturam venenorum omnium,ac curandi rationem reſpexiſſe videtur. Sunt nāque(liceat mihi ruſus venena omnia generalius diuidere) quatuor ſumma genera,turgentia,quæ ſanguini, ſpiritibus, ac neruis ſunt infenſa:putrefacientia atque erodentia,quæ ſolidis: tabefacientia,quę ad tabem hominem ducunt:ſtrangulantia,quę eundem aſſumpta ſtrangulant.Sed de poſtremis quorum natura paucis nunc explicabitur minime eſt actum, quod preter inſtitutum eſſent noſtrum.lac igitur contra erodentia vtiliter exhiberi ſolet,quemadmodum & butirum, obtuſa eorum inſigni acredine,nec non ſede affecta refrigerata.Allium & vinum feruefactum,generoſum ſcilicet & multum(ſic enim omnibus venenis auxiliari ait Celſus) contra turgentia eadem diſſipando pollent.feruefactum iubet,quoniam ſic expeditiſſime in venas fertur.Sal mirifice abſtergendo validiſſimas venarum meſenterij obſtructiones,a ceruſa & gipſo aſſumptis inductas tollere poteſt; quę alioquin obſtructiones prohibendo, quo minus pars chili vtilis ad iecur deferatur,homo alimento fruſtatus, inſueto quodam modo tabefactus emoritur: adeo vt ſi poſtmodum ſeces cadauer,venas portam, ac cauam ſanguine comperies inanes;quando alioquin eadem epota faucibus non adhærescant, quo caſu hominem ſtrangulant , quemadmodum & fibroſus

ſan-

sanguis e mactato tauro extractus, & illico ebibitus; cui casui acetum conueniens est; quod strangulationem pariter ex fungis per incisionem atque extenuationem lentæ eorum substantiæ auxiliari natum est, præsertim vero si in eo tantillum squillæ inferbuerit.

Sed opere pretium est audire, quo fungi strangulent; etenim cum sint fere omnes frigidæ, & humidæ naturæ, ac densæ substantiæ, vbi ingestis datur in iecur ascendere, in succum quemdam lentum vertuntur, qui à caua exceptus, atque vlterius elaboratus, tenuiorem, successiueq; vaporosam comparat substantiam, quæ ex sui natura sursum lata, vbi ad guttur, ac fauces peruenit, non vlterius procedit, sed præ frigidiori regione rursus densate, maximas inibi facit obstructiones, vt emori hominem strangulatum necesse sit. Casus. Rusticus Adrensis, nomine Adrianus de Todeschis, ex copiosissimo eoque triduano boletorum paululum elixatorum, ac rursus modico butiro quadantenus in sartagine elixatorum esu, cæpit affligi: uidebatur sibi aliquod ad guttur ascendere, ab eoque ueluti strangulari, idque modico quoque temporis interuallo. quod cum à gente fuisset compertum, conueniebant vndique homines, ac feminę, ut quid hoc esset, curiose uiderent, dicebantque ei hoc esse padronum, qui ad guttur ascendebat; à quo potuisset strangulari: atque hac de caussa, seu quod molestiam leniret, quotiescunque strangulari se sentiebat, manibus guttur fortiter constringebat. vocatus ipse adij illum, ratusq; effectum hunc strangulatorium à fungis prouenire potuisse, percontatus sum, nũquid fungos edisset: ita quidem respondit, sed omnes boletos in maxima quantitate; & cum apposita medicamenta parare ei facerem, derisus ab omnibus, quod esset homo facetus, quodque vt sanus, & erectus strangulari se assereret, secessit in Cœnobium Patrum Capucinorum Coloniarum, quo in loco nocte strangulatus interijt. Secto cadauere, vasa iuxta guttur, quę autumaui, succo viscido infarcta comperi. homo triginta annorum circiter, vigorosissimus, ac robustissimus: pectus gestans, quod osseam tabulam substantię soliditate æqualem pro costis habebat. hic est, cui alias semiægrotanti, ac cibũ, ut ipse aiebat, fastidiente cõtigit, vt aluus per quindecim dies reddiderit plane nihili. nterim autem mane, & sero duos effatu dignæ magnitudinis panes in panata digestos commandit: adeo ut postremo se sexaginta panes in uentre habere dixit.

Sunt tamen quidam fungi non prę frigida, sed impense calida natura

cura noxij: hi sunt pectinatim incisi, quos si frangas lac guttatim effundunt, vnde commesti acrem impense faucibus calorem, sthomaci erosiones, aliaq; praua inferunt symptomata. consistit eorum prauitas, ac maleficentia in eorum lacte, adeo ut ex his quidam sint, qui unica lactis gutta fauces inflammando strangulare hominem ualent, quibus forsan respiciens Galenus in l. de bonit.& uit. succ. cap. 1. dixit ipse quosdam noui exfungorum esu perijsse statim: fuit insuper multe aliæ fungorum mortiferorum species, quorum esus pro naturæ uarietate uaria, ac lethalia symptomata, sępius uero inferunt mortem. Hi si frigidi fuerint crebra theriacæ, uel mitridatij exhibitione sunt oppugnandi: oportunissimumq; est oximel squillitium. ac diatrionpipereon ad incidendam, digerendam, ac discutiendam crassam eorum substantiam. calidi uero strangulatorij, seu eorum noxa, lacte, butiro, oleo amigdalino vel penidiorum est corrigenda.

Quamobrem ex propositis ab Hippocrate superius medicamentis normam habes, quomodo vnumquodq; ueneni genus expugnari possit: neq; enim casu se se offerente, tibi est unum lac, unum uinum, sal acetum exibendum, sed alia, &c. alia quoq; horum singulorum naturam, ac facultatem præseferentia. & cum dicta sint uocari medicamenta hæc antidota, & alexipharmaca, & alexeteria, quidam tamen apud Galenum in 5. sim. cap. 18. alexeteria, quæ ueneno a feris inflicto, alexipharmaca uero, quę alijs deleterijs opponuntur, proprius censuerunt dicenda.

Quibus præsidijs venena solidis infensa oppugnanda sint.

Cap. III.

NOn differenda, sed ubi conspicatum fuerit hominem ab erodente vel putrefaciente ueneno esse detentum, illico remedia sunt addibenda. dupplex se se offert curandi scopus, alter ut euacuetur, alter ut uis eius acerima retundatur, ac simul patienti parti auxilietur priorem adimplebis vomitu, & clisteri vomitu (præsertim si non descenderit) lixiuio, vel assari, & raphani decocto, & hydromelite, aut aqua tepida cum butiro, non semel, sed pluries, si opus fuerit. clisteribus ex succo coctarum maluarum

rum, iuribus pinguibus, lacte, butiro, & similibus, cum puluere zacchari, sale, nitro, si potissimum de veneno in intestinis adhęrescente notam habeas. sed quoniam his non obstantibus relinqui in intestinis, aut ventriculo de veneno quicquam consueuit: propterea nulla ratione omitẽdus, sed adimplendus alter scopus, lacte, butiro, emulsione seminum frigidorum, ptisana hordeacea in iure facta, pinguibus iusculis; oleo pineorum, et dulci amigdalino: insistendumq; in horum vsu etiam per clisteres, donec venenosam vim, ex toto extinctam compertum habeas.

Sed ad maiorem maleficentię, & curationis erodentium venenorum cognitiorem, non indecorum fuerit, casum hic adijcere. Iuuenis quędam ad maritum de recenti ducta, cum vellet maritum tollere, paratum, quod habebat in quantitate, arsenicum, cum caseo trito commixtum, super panem brodio dilutum, inspersum obtulit. hic, & quidam eius consanguineus vbi cibum veneno conditum ingessissent, cæperunt hora iam transacta de dolore ventriculi, calore, & insigni afflictione conqueri. mox vomitibus, atq; alui turbationibus simul per multas horas affligentibus, non solum cibum ingestum, sed, & bilem flauam, & alias humiditates reiecerunt. his quiescentibus nihilominus cruciatu quodam ventriculi, cum sensu erosionis, calore, inquietudineq;, & circa renes dolore, nec non ardenti siti, vigilijsq; continuis detinebantur, ambo ab his omnibus: in consanguineo tamen omnia hæc erant quadantenus intensiora: hunc tertia vocatus adij, & cum ex insinuata mihi à domesticis illius suspectione, nec non ex enarratis accidentibus, pulsusq; paruitate, in certam de veneno assumpto deuenissem cognitionem, congruo languenti victu præscripto, inter alia medicamenta oleum amicdalinum de recenti extractum parandum curaui: sed nuntij medicamenta deferentis (erat enim in aliena Terra) obliuione, ac domesticorum ignorantia, medicamentum, quod per os assumptum salutem ægro afferre alioquin potuisset, nil attulit adiumenti, quod ad vngendum ventriculum adhibuissent: nec errore conscij prius facti sunt, quam denuo ad me misissent, languente iam ex summa accidentium intensione, atq; aliorum superaccessu, in extremis laborante: vnde de eius statu pernuntium certior factus, quid de eo futurum esset prædixi: attamen propinandum rursus amigdalinum iussi, à quo pauco epoto nil subleuatus subsequenti die, quæ fuit octaua interijt, maximo cruciatu, ac sincopalibus accessionibus præcessis. à ventriculi regione ad fauces vsq; visus semper sibi est, crustos habere; & post quartam crura sensu carentia facta sunt, postem motu priuata; ponderis enim

ratione

ratione infernas magis quam supernas partes affligit hoc venenum: quo etiam tempore super sinistrum latus cubare minime poterat. quędam vesiculæ, processu morbi conspicuæ, in cadauere liuidæ factæ sunt cicatrices. explorato tertia die à notario maleficiorum cadauere, cui ipse præsens adfui, ventriculi regio tota nigrefacta comperta est: tota posterior liuida. cutis mollis, ac laxa. articuli omnes flexibiles. vngues, ac digitorum summitates liuidæ. caua iecoris nigrefacta, gibba colorem proprium seruante. cor secundum posticæ partis visum est quadantenus liuidum.

Maritus autem etsi quarta duntaxat die opem implorasset, euasit tamen, qui acceptam salutem agnouit potissimum à potu amigdalini pondere vnciarum septem; ab hoc enim epoto vbi ardor, cruciatus, atq; acrimonia quadantenus leuata sunt, accessit desuper vomitus, à quo postmodum accidentia interna sunt sedata. verumtamen secundum manus, ac crura a genibus infra adhuc laborabat. etenim præterquam quod omnino debilitata essent, adeo vt primo nec manibus quicpiam comprehendere, nec sine auxilio deambulare posset, videbatur etiam sibi habere semper in his membris velut pungentes acus ueneni particulis quibusdā ad has partes demandatis: quin immo, & neruos ad pedes discurrentes quodammodo contractos: vt propterea cum deambulabat, hos ad altitudinem palmi subleuabat, quę omnia pręter pedum affectionē quinque mensium spatio sedata paulatim naturæ beneficio sunt. neque enim, vbi de vita certior est factus, vnquam passus est se subijcere medicamentis, quæ in hoc casu valida interius, & exterius discussoria, ac tractoria esse volunt. sed, et ipsa pedum debilitas, & punctionis sensus, & neruorū contensio, cum in dies sensim remitteretur, tandem finitis duobus fere annis sedata ex toto sunt.

De Ratione profligandi Venena Sanguinis corruptiua, & impressam in illo noxam tollendi.

Cap. IIII.

TVrgentia venena, quæ nimirum sanguini, spiritalis, ac neruosæ substantiæ sunt infensa, sicuti ad sui expugnationem vnum in genere alexipharmacum exposcunt, ita ratione sui ipsorum non

ægre euincuntur, non inquam ægre dissipantur, ac dissoluuntur, vt quæ aura quædam, vt quæ ceu fumus quidam subtilissimus sint; verum illata in proprio eorum obiecto maleficia, sępenumero inemendabilia existunt, maxime eorum venenorum, quæ sanguinem non turgidum sed corruptum, vel fermentatum reddunt. Quapropter cum maleficium hoc locum habeat, cum prę sidia tardantur, aut cum venenum ex pernitiosissimis est, & ab ipsa incussione per corpus celerime repens, intelligimus nulla interposita mora, aut si datum sit, illico esse præsidijs eidem occurrendum. igitur tibi primo curandum est, vt incussum extrahas à vulnere venenum: hinc, & illud ipsum congruis oppugnes, ac fuges alexipharmacis: mox vt tollas, si quæ relicta est in sanguine, offensam. Extrahes loci affecti scarificatione, ac deinde cucurbitulæ vel cucurbitularum appositione: aut per salutarem cum ferro vel argento candenti vstionem: quandoq; & per partis vulneratæ amputationem, si quidem virus ex pernitiosissima sit fera, & non dum vlterius proserpisse cognoueris. in vsum etiam veniunt vocandę partes illæ feræ, quę minus venenosę sunt, & contusæ loco alligandæ. sed hoc alteram respicit intentionem, cui interim quo hæc peraguntur, intendendum simul est. amplissima est alexipharmacorum silua: sed tu quo venena exitialiora sunt, eo etiam valentiora administrabis discussoria, qualia sunt, quæ in suo esse ex calidioribus, atq; tenuuioribus constant partibus. theriaca, mithridatium in vsum multum ueniunt; et vtinam confectiones has haberemus tales, quales Galeni tempore conficiebantur, sed aut succedaneorum ratione cum in minori sint pretio, longe etiā minus pollent ideo ex his solet pars calidior, subtiliorq; chimicæ extrahi, quæ ad auras uirulentas dissipandas, uidetur existere potentior. Excogitata etiam sunt multa alia perquamtenuium, ac calidarū impense, quę partiū non minus antiquioribus præstātiora existunt. Vbi igitur dissipandi uirulētas auras expiandiq; sanguinem casus se obtulerit, ualenti utendum est discussorio, ut extracto theriacę, uel mitridatij, uel baccarum hederæ, aut iuniperi à dimidia ad dragmam, uel plusculum pro ratione ætatis, uiriū urgentiæ: cui addere non erit inconueniens scrupulum medium uel integrum congruentis alicuius salis, ut feniculi montani gentiane rutæ caprariæ, absintij, theriacalis, uiperini, & est, quod adhæret lebeti, postquā carnes uiperæ fuerint coctę. & exhibeas cum adaptato liquore, ut aqua angelicæ, cardi sancti, florū arantiorum, limonum, scorzoneræ, hordei, ubi multus feruor; uel uino albo, ubi absit, uel remissa sit febris. bezoar quoq; egregium est diaphoreticum, & discussoriū malignorum quorūdam

vaporum. sic laudabiles præparatæ margaritę. & eadem intentione spiritus vitrioli in vsum multum venit in febribus malignis, ac pestilentibus. Si autem vnam corruptricem ac fermentosam vim soluere intendis, appositissime est aqua a theriaca, a Mitridatio (de quo in 2. de antidot. c. 4.) extracta, acetũ stillatũ, theriacale, & in quo chelidonium fuerit incoctum, ab vna ad duas vncias; cum quibus semper admiscebis guttas tres, aut quatuor circite. olei vel rosmarini, vel gariophilorum, vel cinamomi, aut balsami. huiusmodi enim, vt subtilissimæ, ac simul calidissimæ substantiæ de facili assumpta disperguntur, ac penetrãt: impenseque calefaciendo, vim interdicunt, diluuntque fermentantem: qualiter interciditur vis in crudo pane, per appositionẽ in clibano, fermentum. nec semel, aut bis hoc, vel illud propinabis, sed vsquequo, de veneni extinctione notam habeas, & ab epoto medicamento, coopertus iaceat æger.

At vbi tibi offertur homo, qui de excepto in se contagioso veneno sit maxime suspectus, posset tentari venę sectio, antequam actualiter ęgrotet: sed hac ratione, sentio, celebranda. ex vtroq; latere hauriantur vnciæ sanguinis sex, octo, decem, plusue aut minus pro ratione considerandorum. fiat autem incisio in vena vtriusque comuni, antequam ab horum altero quicpiam sanguinis exeat; qua facta, modo à dextro, modo à sinistro per interpositas quietes effluere sanguis permittatur. vel fermenti in sanguine vigentis, ac propagantis se, adaptatis alexipharmacis procuranda extinctio est; insimulque abscessio fermentati sanguinis diaphoreticis, & insuetis corporis laboribus tentanda. quo enim citius, quod corruptum est abscedit, eo res minori succedit cum periculo. verum quoniam non solet homo vendicare se à suspectu excepti in se veneni, sed morbum expectat actualem, antequam de salute propria curet: propterea tunc febre minime spreta, incumbendum, vt congruis alexipharmacis de quibus iam dictum est, vis extinguatur fermentatrix, ac simul vt natura abscessum, quem tentat salutarem perfectum efformet. intus diaphoreticis: extra frictionibus calidis lotionibus, illitionibus, emplastris, ceratis, cucurbitulis, inter quas non improbanda, quam in l. 56. Hero efformat, vt quæ sine igne attrahit. pullus columbinus, per dorsum sectus, & illico loco alligatus congruens maxime est.

Interrogãti autem cuipiam, quomodo se à contagioso veneno preseruari posset, dico ijs, quæ acorẽ quendam sanguini, atq. carnibus indere, & vim diaphoreticam, aut discussoriam quodãmodo

dãmodo impertire nata ſunt. tale quid, cum conſpicatus ſim in adipe viperæ, eadem cum quarta parte olei gariophilorum, & ambræ granis, inunctis gulæ, manuum, ac temporum pulſibus me ſingulo quoque mane, muniebam, quo tempore de contagij comunicatione maxime verebar. Sed oleum ex ſola eiuſdem feræ chimice extractum longe efficatius futurum ſentio. eadem ratione laudare pro pauperibus cogor allium, ſi ex hoc ſingulo quoque mane ieiuno ſtomaco caput fortis, debilis, & teneræ ętatis homo ſpicas comederit. hinc non improbandum illud quotidianum præſidium eſt, quod nuces capit duas, ficos tantũdem, & rutæ folia viginti. normam habes, tu plura excogitare potes.

Veneno in homine genito, et malis ab eodem putreſcente illatis quomodo occurrendum ſit. Vbi obiter de venæ ſectione in malignis, peticuloſis, & peſtilentibus febribus.
Cap. V.

AVſtrina peſte graſsante, bubonia inquam, ac carbunculoſa non alius ſolet in animantibus præternaturalis redundare humor, quam venenoſus, adeo vt cum quis ægrotare incipit, ob hunc iam motum, ac putreſcentem ægrotare eſt arguendum, quando alioquin perexceptum in ſe contagioſum venenum, venenoſi humoris ſobolem, homo morboſus non ſit factus. vnde antequam ad iſtius malefici ſucci expugnationem deueniamus, expedit prius intelligere, ægrotet ne homo ex veneno in ſe genito, an per comunicatum contagium, quod tamen cognitu difficile non tantum ex ſe eſt, ſed etiam ex accidenti, ideo quod ſub hac peſte non viſi, ne dum tangi à medico ſolet æger, attamen conijci ſatis poteſt. in principio iſtius morboſiſſimę conſtitutionis omnes prope ob venenum in ſe concretum laborant. de cętero modo plures ex veneno, modo ex cõtagio plures morbum ſubeunt, pro vt maior, vel minor habetur ſeparandi ęgros à ſanis cura. ſic ex domeſticis, qui in primis à morbo corripiuntur, hos ex concreto veneno à morbo fuiſse correptos rationa-

bile

bile est ; euenit tamen, vt quidam, qui venenum in se habent conditum à morbo appręhẽdantur priusquam venenum moueatur, ab intromisso in se contagioso præuenti, quo casu moueri simul intestinum venenum à flammulis vrentis fermentatis sanguinis accensum, conijciendum est. Qui ægrotant seclusa exceptę in se contagionis suspectione omni, hos ex veneno ægrotare dices. sic ij, qui affliguntur magis secundum caput doloribus, ac delirijs, quam alij, & qui cum vrinis turbatis, crassis, & cum maiori labore morbum transigunt: & his papulę, quæ erumpunt semper ex prauis sunt abscessusq; qui comparent cum imperfecti vt plurimum sint, magis quoq; vrentes ac mordaciores existunt.

Vbi igitur conspicatum fuerit à malefico humore morbum esse productum, curandum vt vel e corpore dimoueatur, aut in externam quampiam partem decumbat, ac simul vt sublati igniculi, ac fumi, qui corrumpere spiritalem substantiam aliaq; lethalia solent mala inferre, discutiantur, dissipenturq;

Circa primum nascitur difficultas vtrum humor iste sit medicamento aggrediendus: quoniam etsi sit materia turgens, quæ ex oraculo venit statim e corpore pellenda, crassus tamen, ac coactus sępenumero adeo est, vt videatur à loco amoueri nulla ratione posse, vt ex eodem quoq; elicimus, dum in libro de affec. dixit compacta fortia sunt, diffusa vero facile cedunt. circa hoc sentio, purgationem esse tentandam, quando potior ratio expurgationis (quod tamen perraro euenit) quam decubitus sit. idem auctor Hippocrates tradidit præceptum, quo crassi etiam humores obedientiores expurgationi fiunt, cum in 2. aph. 9. dixit, corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere, humida inquam, lubrica, laxa. & modum edocet 5. in 6. tex. 29. inquiens, elleborum bibentem celerius purgare si velis lauare atq; comedere. non me latet, quod Galenus in commentario præcitati aphorismi per corpora fluida senserit, Hippocratem respexisse humorum potissimum expurgandorum pręparationem, per incidentia attenuantia, & meatus aperientia. verumtamen aliter voluisse Hippocratem verba ipsa ostendunt, dicens corpora non humores: per hunc enim aphorismum respicit non remotam, quam scilicet præcedit humorum expurgandorum præparatio, quæ plures exposcit dies, sed imminentem, corporum inquam purgationem: alibi enim concocta medicari dixit, humores nimirum non esse prius expurgandos, quam à natura, vel ab arte fuerint parati. est pręterea hoc præceptum vniuersale ad omnes purgationes saltem validas: alioquin si pro comparanda corporum lubricitate in humorum præparationem

ratione m incumbendum nobis esset, vtiq; scitum Hippocraticum ad materiam turgentem minime adaptaretur: est enim ex ipso eadem die eliminanda; non incidentibus, attenuantibus, & aperientibus prçparanda. quin immo nec omnes, qui sunt expurgandi humores, fluidi sunt reddendi: quandoquidem indigent incrassatione tenues.

Valesius super aphorismum 13. sec. 4. qui dicitur ad elleboros, qui non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atq; quiete humectanda, respiciens Galenicam expositionem supra citatam, quç sibi maxime arridet, & inuiolandum oppugnans Hippocratis decretum, dicit videri sibi præter artem multum cibi dare ei, quem purgare velis, cum victus tenuis magis conferat ad laxitatem, & apertionem venarum, proinde sic subdit, tanquam magnum arcanum aperturus, verum quod res habet dicam aperte, prodibitq; inde germanus loci sensus: multum cibi medicinalis, cuiusmodi serapia incidentia, & aperientia sunt, dari debent antequamcumq; purgationem. verum videtur mihi Valesius sensum hoc ratione peruertere, & loquutionem Hippocraticam, quç clara quæ aperta est, obscuram reddere. vult auctor Hippocrates vere largius cibari ægrotos ante purgationem, quo corpora humectata facilius purgationibus cedant, quod, & balneo, & refectione, & quiete obtineri significat. hoc generatim docet in supra allegato aphorismo 9. sec. 2. hoc iubet in aphorismo à Valesio exposito: & 5. in 6. tex. 29. & alibi si bene memini in lib. de inter affec. quando dixit prçhumectare antea corpus ipsius oportet per fomenta quo magis pharmacis obediat: alia enim corporibus, alia debetur humoribus expurgandis prçparatio: quæ sicuti hos definit futuros esse neque admodum tenues, ac labiles, neq; tenaces, ac compactos, valdeq; crassos: neq. feruentes atq. ignitos, sed in quauis harum qualitate moderate se habentes: ita vult expurgandorum corporum vias per quas, molles, laxas, lubricas, ac lenes esse, sic enim paratis permeant, ac labuntur facile educturi succi: & propterea in loco epidomiorum dicit (celerius purgare si velis, lauare atq. comedere) quod verbum celerius, sicuti obedientiores humores eiectioni insinuat, ita facilitatem eiusdem eiectionis includit. Nec est, vt Valesius alioquin scribit, refectio ante purgationem prçter artem, sed est ex arte, ac ratione ad confirmandas, ac quadantenus adaugendas vires, quæ iam iam à medicamento quandam sunt iacturam passurç, cum adimpleat etiam scopum, humectionem inquam; ac lubricitatem virum, quam præsertim intendit auctor.

Atque

Atqui purgatio Hippocratica non me supponit excrementorum, saltem non turgentium, coctionem? sed hæc morbi inclinationem ostendit, quomodo igitur non est ex arte, quem purgare velis largius tali tempore reficere? sed & illud animaduersione dignum mihi videtur, quod victus tenuis conferat ex ipso Valesio ad laxitatem, apertionemque viarum: cum munus hoc refectionis peculiare sit, humectādo enim laxat, & emollit vias, alioquin a febre ac diæta præcessis exsiccatas, indeque succis pertranseuntibus de facili cedentes reddit: vnde hic auctor rectius dixisset, tenuem victum exsiccando ductus constringere: nec demum illud valesianum semper admittendum, quin immo vt plurimum omittendum venit, quod antequamcumque purgationem scindentia, & aperientia sint adhibenda, cum plurimi ex morbis hoc prohibeant. fluxiones enim ex tenuibus, ex acribus succis, febresque biliosæ sinceræ, æstiuę, nec non quæ à nulla pendent obstructione, tantum abest, vt huiusmodi medicamenta cooptent, vt contrarijs non occuramus. hoc idem respuunt turgentes Galenico, turgentesque Hippocratico modo humores. ad quid enim stimulus & incisio, vbi humor stare nescit loco? vbi motus, atque agitatus? ad quid præparatio illorū humorum, qui ad benignum reduci nequeunt? qui ab incisione, & attenuatione prauiorem contraherent naturam? qui cunctā do in corpore grauissima afferunt mala? qui propterea eadem die sunt eliminandi? 4. aph. 10.

Recte igitur admonitum ab antiquo magistro fuit, corpora esse fluida facienda, antequam ad expurgationem ducantur; quod exequendum maxime est in nostro casu, vt crassi ac coacmentati in animante humores itinerum, per quæ lubricitatem, atque mollitiem nanciscantur. hoc cum obtineri posse doceat duobus potissimum medijs, cibo copiosiori, atque balneo, intelligimus nos voti compotes tunc magis esse futuri, si vtrumque vsurpabimus; præsertim si cibum humidum & pinguidinosom efferemus, qualis ius carnium vituli, atque hædi, & panatella vel ptisana in iure cocta. balneum cum vniuersale adhiberi possit per insessionem in solio, particulare tamen hypocundrijs, ac toti ventri vsurpandum per fomenta, aut lotionem magis videtur.

Quamobrem vbi turgens, ad Hippocratis mentem, materia hæc mouetur, & vocatus sis, recte ages, si ægro refectionem qualem ac quantam insinuat auctor, & fomentum aquę tepidæ præsertim congruenter medicatum mandabis idque bis, ante

cibi

cibi, & rursus ante medicamenti assumptionem ab ægro vsurpandum curabis. quo etiam casu valde conducibile esset totum ventrem omento castrati tepenti oleo amigdalino, liliorum alborum, nunc etiam violaceo, aut camomelino imbuto fouere.

Sed cur ad pharmacum statim non deueniendum, cum peccet humor turgens, qui eadem die purgandus? in talibus enim tardare malum. 4. aph. disces hoc, si Hippocratici ingenii artem attendas, dicit enim purgare in valde acutis, si materia turget, non quidem eadem hora, sed eadem die, non oblitus se prius sanxisse, corpora expurganda prius esse fluida reddenda: præstare enim hoc haud quaquam posset medicus, si eadem hora medicandum sibi esset. itaque si mane vocatus sis, vult te adaptare purgationem ad vesperas, si vesperi pro sequenti mane: ad quid enim hora eadem medicamentatũ præbere, & nihil proficere? proficies autem nihil ratione magnæ humorum turgentium crassitiei: quorum malicia cum non det præparationi locum, ductus, per quos educturi sunt, volunt saltem molles laxi ac lubrici esse.

Pharmacum eductiuum vult esse satis validum, vt electuaria scamoneata, cremor tartari, rabarbarum, scamonium, colocintis, eleborus niger, sirupus rosatus solutiuus cũ aliquantulo mannæ vt quod fęlicitate omne medicamentum præter experientiã edoceat Auicennas: & a medicamento assumpto superbibat statim æger amigdalinum de recenti extractum ad vncias quatuor, quinque, sex. hoc est enim mirabile crassarum materierum vehiculum. hinc si nigra aut praui alterius coloris vel mixti educantur, tunc recte deiecisse intelliges. enim vero etsi talia per se exeuntia reprobanda sint, cum medicamento tamen venientia laudare potius, quam damnare videtur in 4. aph. medicinæ Genius Hippocrates. hoc vno semper admonito, ne quis pharmacum offerat, nisi prius cognouerit, nullibi venenum inclinare: excipio decubitum iuxta aures, & ad cutem per papulas, hæ enim cum numquam iudicent, ille mortẽ consueuit afferre. id ipsum suadere videtur bubo, cum inchoatus sub axillas nullum suscipit incrementum, & æger in deterius procedit.

His sic de purgatione statutis, inquirendũ venit, purgandũ ne sit, an decubitus ad partes inferiores procurandus, vbi nullũ det venenũ abscedẽdi inditiũ, vbi in cęcis flagrãs incidet uasis. Non

hæsi-

hæsitanter sentio , abscessum esse tentandum . caussa patens est ; quoniam crassissima recrementa,qualia in casu nostro,in venis,maxime autem supra iecur existentia , possunt quidem parum ægre per vasa corriuare, & ab vno in aliud,ratione anastomasis,transfundi : verum ad intestina per medicamentum translabi , ægerime. hinc cum in peste præterita plurimi sint ex abscessibus salutem consecuti, neminem tamen per aluum vidi sanatum. Quamobrem vbi ad languentem accesseris tali prædominante succo, & purgatio , veneniq; decubitus æqualiter tibi afferentur, nisi quid obstet,nisi ministeria desint, fidentissime decubitum procurato,aquæ primum tepentis vniuersali balneo de more in solio, ad laxandas aq; emolliendas carnes,ac uenas rãgionis hypocondriorum,partiumq; simul inferiorum : mox frictionibus,ligaturis , cucurbitalis, ac simili ingenio virulentus humor ad inferna , ad coxas inquam alliciendus , auocandus , trahendus est : concurrunt enim de facili reiectanei humores ad sedem calefactam , ac commotam teste Gal. in 3. d. cris. hoc in peste 7. in 6. tex. 1. enarrata , vsuuenisse fuit ab Hippocrate obseruatum,& istius rei varia affert exempla idem auctor in 5. epid , & alibi. conspicuum est . quod enarrat loco proxime citato part. 21. de adolescente,qui ex cursu facto dolebat pernam: tertia die locus totus nigrefactus: vigesima à cursu mortuus . & illud ibidem de virgine illa pulcra , quæ à muliercula amica ludente lata manu percussa fuit in sinciput ; hæc cum à vertigine , mox à febre vehementi , doloreq; capitis correpta fuisset,tandem conuulsa mortua est nona die . & rursus notatu dignum quod loco cit. par. 29. recenset de Herpali filio, quem ex luxatione magni digiti in pede inflammatio inuasit, mox, & lumborum molestia,â qua apisthotonos. ab hoc vero tertia perijt . malignus nempe humor per statum in animantibus gentibus , eo decubuit,quo auocaretur : ad eam inquam corriuauit partem , quæ mota,& concalefacta , quæ læsa fuit, ex quo haud admirari liceat , si sub austrinis , ijsq; siccis constitutionibus frequentes compareant collectitij abscessus . ideo quod humores cum de facili atrahantur , partem etiam , quam decumbunt , unam afficiuntur , vt coagmentati , vt in vnum coacti : siq; pars quæpiam percussa,aut alio modo læsa morbum contrahat non qualem , ac quantum ferret offensa,sed longe grauiorem grandioremq: alioquin qui cucurrit,& pulcra virgo , & Harpali filius nil essent perpessi , si quidem in eorum corporibus anguis non delituisset. sic in peste nostra leue ex sua natura quantumuis malum, malignum efficrebatur. sic propterea parturientes omnes ferme tollebantur. sic plurimi ex occasione ab abscessibus fuerunt correpti ; hic

ti;hic scilicet ; quod ex itinere esset defaticatus ; hic onus suble-uasset, hic vero pila lusisset, vel, sarcinam gestasset, vnde paucis post horis in parte magis commota ac concalefacta suboriebãtur bubones, vel carbunculi. silentio non est prætereundum , quod duobus vsuuenisse rusticis obseruaui, de repente enim vtriq; sub inguina excitatus est bubo, vbi fratrem suum alter, alter vero herum magna voce conclamasset, à quo etiam sublati.

Igitur si coagmẽtati per statum humores tam facile in partem, à qua alliciuntur, procumbunt, nemini dubium, quin adaptatis ingenijs fiut etiam ad coxas, & crura confluxuri, inibiq; perfectum facturi abscessum, siquidem auocentur alliciantur, trahantur, liberaliterq; excipiantur, & toti, profundo corporis relicto, in abscessam decumbant partem . vbi autem ex abscessus magnificentia, vel multiplicitate, quam remissio febris, atq; accidentium sequi solet, vacuefactas esse venas sis conspicatus, maturantibus est sedes tractanda, quam non debes prius amputare, quam ex toto sit corrupta , ac putrefacta : bubo cum non sit perforandus vsq; quo ad granditatem debitam non peruenerit : ita sub aliquali coctione qualis ista sit, scindendus est, vel totus, auferendus, vel si carbunculosus, amputandus.

Porro quæ de excitando , vbi austrinus humor nullibi adhuc inclinat, dicta sunt , eadem bellę adaptantur , vbi in quampiam iam vergit partem. contendendum scilicet omnibus uiribus est, vt trahatur, vt confluat totus in hanc, & sedes intereas penitus relinquat: balneis, fomentis, illitionibus, emplastris, ceratis, frictionibus, cucurbiculis. potissima pestiferi modi profligandi ratio consistit, vt profundum corporis virulento humore quam primum exoneretur, & totus humor in quampiam infernam partem auocetur, ac cogatur. in infernam inquam , quoniam bubones sub alas, & carbunculi circa collum , & thoracis regionem comparentes sæpe , ac sæpius iugulant, vt imperfecti , & propterea vbi non pro ratione bubones se attollere conspicaris, scopus tibi sit peccantem in inferna trahere humorem.

Vt autem in tanto ægrotantis periculo cautius agas altera interim est adimplenda intentio, discussorijs , dico, sunt putres vapores, ac fermentosi igniculi repugnandi , qualia sunt in superiori capite descripta. nec deterreat quempiam horum qualitas percalida , quoniam præterquam quod præferenda. longe alexipharmacorum vtilitas est eorum , si quod inferant, damno, pestiferarum quoq; febrium calor non mordax , non acutus , sed paruus solet esse. & ex propterea sub hoc pestilenti statu licebit tibi obseruare

seruare non paucus, qui cum de abscessu, aut dolore quopiam externo, nil tamen de febre conqueruntur: hinc propterea morbum facile ferentes non prius se grauiter ægrotare sentiunt, quam mors ex propinquo adsit. ex multis casus: Iuuinis quidam vigorosus adijt me gestans in vase proprium lotium, dicens tale esse cuiusdam sui consanguinei, quo a me inspecto, dixi illi, hunc talem esse mortuum. erat autem lotium crassum fuscum, quale se habet lixiuium. quomodo, respondit, mortuus est, si satis bene se habet; & recte obambulat? rursus mortuum esse affirmaui, tunc queruls voce dixit, ego is sum, nec aliud mali sentio, quam dolorem circa humerum sinistrum, & sub axillam, contractum ex sarcina sublata iam tres agunt dies. proxima nocte grauiter laborauit, & glandula sub axilla ad instar oleæ sublata, altera vero nocte concidit.

Fidenter igitur discussoria, de quibus supra, ter, ac etiam quater per diem adhibeto, quorum opus si non frustetur, vtique expectandum est, vt venosum, arteriosumque genus, nec non cor putribus inquinamentis expurgetur, & si abscessus pro ratione stet, vt æger ad salutis portum perueniat. interim tamen pro febrili calore, ac siti compescendis, æger accomodato tempore frigidis potionibus, aut alio ingenio minime fraudandus.

His sic de modo expugnandi per pharmariam venenum in homine concretum ac motum, quis sciscitabitur, conducibile ne sit in hoc casu venam secare: hoc enim voluisse Galenum aperte elicimus ex 3. in 1, tex. com. 26. in Critone quando dixit, vnde mireris, quod caussæ fuerit, quo minus huic in initio morbi venam secuerit. in hoc ausæ fuerit, quo minus huic in initio morbi venam secuerit. in hoc aurem ægroto maleficum redundasse humorem mors celerrima, pustulæ nigræ, & Galeni scriptura consentiunt: & propterea idem auctor 14. Meth. cap. 10. illam in carbunculo pestilenti secat. Quid igitur? Ego sentio nullatenus esse de venę sectione cogitandum. Non fouet morbum, non peccat sanguis, sed humor sincerus, niger, crassus, qui neque cum sanguine propter crassitiem euacuari valet; quin immo sanguinis missio esset in tali casu nocua: alioquin enim eius copia exoptabilis, ad demulcendam, si quæ inest in peccante humore, acrimoniam, at præsertim ad eundem crassum ac compactum ad remota loca faciliùs transportandum. vnde discas, si in Critone ad pedem non confluxit totus humor, sed persistens, putrescensque eius maior pars in venis, acutam excitauit febrem, non ob aliud hoc vsuuenisse, quam ob grandem eius crassitiem, cuius caussa à loco totus amoueri nequiuit. non igitur; vt Galenus in commentario significat; totus confluxit, & postea recursum fecit, quod pes totum haud capere potuisset. quoniam si capax pes non erat. crus capax extitisset. quemad

modum enim fluxio incępit ad pollicem, vt textus iudicat, ac peste totum occupauit pedem ad talum vſque ſic à talo totum occupaſſet crus, ſi quidem fluxio perſeueraſſet: at quia non perſeuerauerit, de recurſu non eſt arguēdum: recurſum indicat membri detumefactio, ac reditus in priſtinum ſtatum, ſed pes ſtetit, ex textu, cum contenſione, & crus minime laborauit.

Non me latet, quod inſigniores propemodum omnes ſcriptores Galenum ſequuti, ſanguinem mittant, plenitudine hominem tenente. Verum nec ſic mittendum ſentio, quoniam ſanguinis copia in tali caſu maxime iuuat ad arcendos, ac longe tráſportandos, reponendoſque maleficos humores: quare nil ſalutarius in febribus peſtiferis eſt. Quoniam etiamſi ſectio fieret, retineretur nihilominus virulentes humor, ac ſic nocua foret. quoniam iſtius humoris eſt non inflamare, & in efferueſcentiam trahere ſanguinem. ſed vitiare, corrumpereq; ſpiritalem omnem ſubſtantiam, ac vires; ob id cito proſternere. hinc propterea celer præcepſq; interitus, qualem quoq; expertus eſt Crito rationibus adſtac auctoritas; turgentia namq; in quorum numero vipereus hic recenſetur humor, conſumatæ vndequaq; experientiæ Hippocrates non venę ſectione, ſed medicamento aggreditur 1. aph. 22. & 4. aph. 10. hinc idcirco vrinas talibus prędominátibus ſuccis numquam ſane rubras, ſed ſemper, & in quocumq; homine damnandi, & mortis nuntij coloris conſpicies; argumentum certiſſimum, venenoſam duntaxat colluuiem in venis redundare.

Quis inſtabit, ſi venę ſectio haud conuenit, vbi hic humor impermixtus peccat, ſaltem accomodabit, vbi improbus ſanguis malignarum, peſtilentiumq; febrium cauſſa peccabit ſit. Circa hoc incedendum ſentio: vbi prauus ſanguis, qui latitudinem habet in prauitate non paruula, vt ſuo loco viſum eſt, plus vitij, quam bonitatis in ſe habet, à ſanguinis miſſione abſtineto. cum enim ſanguinis vitium non importet aliud, quam aliqualem ſinceritatem, affatu dignam craſſitiem, nec non improbitatis abundantiam, fit, vt ſi venam incidas, ſanguis exeat probus, vt ſubtilis · improbus remaneat, vt craſſus. vel ſi exire improbum contingat, probus quoq; effundetur vt percalefactus atq; attenuatus, nec non agitatus à putreſcente: adeo vt, qui bonus eſt, totus prius effluet, quam prauus, vt craſſus, vt multus exire deſinat. vnde ſi talem tibi contingeret videre ſanguinem, vtiq; tibi eſſet dicendum, quod olim Galenus in lib. d. bonit. & vit. ſuccorum cap. 1. de ſanguine illorum ægrotantium, quibus vena fuit ſecta. dicant ſit qui ſint, qui ſanguinis miſſionem in tali caſu per noſtram peſtem mandauerint, quid

inde

inde tulerint adiumenti. quemdam scio, cui secta fuit vena, cum sanguine furente animum quoq; sub barbitonsore effudisse. tale quid ostenderunt aliæ incessantes, & lethum tandem afferentes sanguinis effusiones. ac vbi sanguinem parum vitij in se habere conspicaris, recte ages si sanguinem mittes.

Non erit autem exercitato medico difficile, hoc inter se distinguere. enimuero vbi primum tibi offertur febricitans, qui primis diebus decoloratus cum lassitudine sit, cum alioquin ex febrili calore rubrum colorem (quando aliter non ferat eius complexio) gestare deberet, argumētum tibi sit sanguineam massam valde esse viciatam, & redundare in corpore maleficorum humorum colluuiem: quam identidem testantur rigores, inquietudines, corporis iactationes: vitiosæ vrinæ, turbatæ crassę, flauescentes, virescentes, fuscę, nigræ; maculæ similiter damnandi coloris, damnandæ magnitudinis: quibus si adiungatur temperamentum à calido, & humido deflectens, nec non autumnus, quo tempore sanguis in humanis corporibus paucus, Hippocrate teste in 1.d.nat, hum. semper inest, tunc certior fis de maiori sanguis prauitate: & ob id nulla ratione esse ad sanguinis missionem accedendum. tempus autem anni indicare, aut contraindicare sanguinis euacuationem elicimus ex obseruatione. Hippocratica per constitutionem illam 2. in 1. in ordine tertiam; scribit enim quod ex ijs, qui vere, & prima æstate vagantibus illis ardentibus ęgrotarunt, plurimi per eruptionem sanguinis narium salutem sunt consequuti: qui verò extrema æstate, & autumno, cum eruptio cessasset, horum etiam plurimi interiere. sanguinis nimirum affluentia cum cęteris paribus sanguinis molem minus prauam reddat, excrementa quoque in se dispersa minus vitiosa efficit, diluendo, & in proprium sinum comportando, cuius ratione cum sanguis per venæ sectionem euacuatur, simul etiam excrementa in se contenta excernuntur, qualiter euenit quibus vere, & prima ęstate sanguis profluxit: vnde cum signa comparent aduersa ijs, quæ molem sanguinis maiori ex parte improbum esse arguunt, sicuti sanguinem parum vitij in se habere ostendunt, ita non parum quoq; pręualere, ac propterea venæ sectionem esse celebrandam suadent, cæteris quoq; annuentibus: adeo vt si memor sis eorum, quæ in 14. cap. lib. 1. statuta sunt, vtiq; in malignis febribus vt plurimum hanc conuenire, reprobare il lam pestilentes iam non ignoras, cum illę ex fædo; hæ ex fædiori sanguine ortum habet: et ob id illæ decimoquarto, hę septimo die iudicari.

Sed solent. difficultas est, vtrum venæ sectio, vbi cætera consentiunt,

tiunt, conueniat, maculis aut elucescentibus, aut iam effluxis. etenim quidam cum contrarium statuerint pro cuitanda materię retrocessione, factum est, vt cum comparent, aut comparuerunt ab ea medici se abstineant, deterriti potius ob vulgi, ac mulierculárum reclamationem, quam ob allatam rationem. irridenda, & vt mortifera detestanda opinio. quid est, quod reformident illius materiæ retrocessionem, quæ excreta nulla ratione iuuat? quę non est qualis, quæ si intus retineretur, aut per uenæ sectioné retrocederet, duplici esset de caussa vtilis, ad fluidiorem, ac paratiorem ad exeundum per incisam venam sanguinem atq; ad calorem febrilem demulcendum, castigandum: insimulq; solida quadantenus contemperanda. aliud enim materia peticularum generatrix non est, quam pars peccantis sanguinis, peccantis humoris liquidior, frigidiorq; (argumentum certissimum est, quod calorem, ac mordacitaté plane nullam cuti incutit) quę cum obsistat ob reluctantem naturam calori febrili, si quidem hic non vrens atq; insignis existat, vt eam resoluat, in cutem deponitur maiorem in modum attenuata, vbi ob frigidam regionem compingitur, & maculas pro materię peccantis qualitate efformat. quomodo igitur excreta potest iuuare, quomodo retrocedens nocere? cum alioquin in venis retenta febri sit infestissima, teste in 4.d. non. Hippocrate. hinc bilis pallida, bilis inquã multum diluta multo associata sero, vt apud Galenum passim, febrem tertianam, si quando putrescere contingat, placidam, ac mitem facit; cum á vitellina vt meracissima in 2. d. nat. hum. tex. vlt. idem æternæ veritatis auctor, mordacissimam, & colliquatiuam, expectet febrem. quibus sic stantibus, si quando eueniat, vt peticulæ compareant cum de sanguinis missione cogitas, quæ non sit ante earum apparitionem actuata (est enim tali tempore laudabilior) si cætera quoq; pro ratione stent, audacter mittito sanguinem, sprea mulierculæ reclamatione, auctoritate te deterrente nulla, qui enim contrarium statuerunt, naturam earum germanam generatricemq; materiam prorsus ignorasse videntur.

At in quibus, ob quandam sanguinis prauitatem, venæ sectio minime conuenit, blandis purgationibus, refrigerantibus, & interim putrium vaporum discussorijs beroarticis congruo tempore adhibitis: successiue incidentibus, attenuantibus, & per vrinam ducentibus, nec non sudorificis sunt pertractandi. ptisana hordeacea cum melonum seminibus facta, mane, & sero adhibita, congruens maxime est.

Quæ,

Quæ, qualiaque præsidia sint adhibenda ad expugnanda Venena spiritali substantiæ nocua.

Cap. VI.

NOn ægre euincuntur maxime si in copia non effatu digna fuerint assumpta, vel noxam alte non intulerint venena hæc, & facilius quâm alia turgentia: propterea, cùm aliud non dicat venenorum actuatorum extinctio, quàm eorum resolutio, & in aerem digestio, quod obtinetur per summam quandã à calorifica alexipharmaci facultate adeptam eorum rarefactionem, fit vt, cum venena isthęc rara sint, ac vaporosa, ac velut in medio istius rarefactionis, de facili, si congruentia nanciscantur alexipharmaca, superentur. hinc a vino generoso, ad mentem quoque senis, venenati isti iuuantur. Vnde Plutarcus, dum de venenosa illa herba non minus spiritibus, ac soporifera venena, quam neruis infensa loquitur, aliud pro illa euincenda, ac eius noxa diluenda non videtur agnoscere remedium, quam vinum.

Vbi igitur se se offert venenatus homo, & compertum tibi sit, venenum nondum superam petijsse arcem, sed aut in ventriculo, aut saltem infra iecur insidere, vomitu, atque alui deiectione eius est euacuatio tentanda: cum vero ex concursu symptomatum supra iecur conscendisse, & iam cerebrum obsidere sis conspicatus, ad discussoria te conferas. plurima à scriptoribus proponuntur: probatiora accipies diatrionpipereum, diacalaminton, Mithridatium, theriacam cum decoctione gentianæ, dictami, calamintę, angelicæ, centauri minoris, aut vino feruefacta propinabis. si paululum aceti acerrimi, vel aquæ vitæ immiscueris, validiorem efficies potionem. aqua ex theriaca, & aqua vitæ pari pondere validissima est. ex repetita pluries huius vel illius medicamenti assumptione, si inualescere adhuc vim deleteriam animaduertas, ad ea confugias, quæ interdicere, & extinguere nata sunt vim in sanguine fermentosam didicisti.

Obstat sæpenumero, quo minus exhibere medicamentũ valeamus, os præ sopore, & stupiditate conclusum. tunc conandũ, vt

vt per vim adaperto languens aſſummat; excogitarunt ſcriptores varia remedia pro homine excitando frictiones, ligaturas, ſternutatoria, ſinapiſmata, veſicantia. ſed huiuſmodi ſæpe ac ſæpius nil conferre animaduertes; quoniam vbi quis ſpiritibus animalibus ferme eſt orbatus, ægerime valet expergifieri. propterea iuuat eo tempore, quo hæc peraguntur ad olfaciendum præbere vinum maluaticum (cum alioquin per os aſſumere nequeat) feruefactum, eoque regionem cordis, & vbi manifeſte pulſant arteriæ fauere.

Quæ ſpecifice alexipharmaca profligare nata ſint Venena neruis infenſa.

Cap. VII.

QVorum noxæ non in neruorum ſubſtantia internantur, vt alioquin tarantulæ, canis rabidi, ſed per neruos diſperguntur, vt phalangiorum, ſcorpionis venena, eadem minime difficulter a tempeſtiuis alexipharmacis ſui diſcuſſionem admittant. Sed illud ſemper memoria tenendum, quod ſicuti venena epota ſui ipſorum per ſuperna, & inferna euacuationem primo indicā t, vbi meſaraicas nondum pertranſiuerint: ſic quæ ab extra per ictum, aut morſum infiguntur, euacuationem per eundem demorſum locum expoſtulant, vbi de recenti infixa, nondum per corpus ſint diffuſa Hoc obtineri ſolet candenti ferro, ſcarificationibus, cucurbitulis, topicis medicamentis, quæ non tam attrahendi, quam diſcutiendi venenum vim habent, vt theriaca: dilatandumque ſi opus ſit, apertumque ſeruandum vulnus eſt. Similiter vnumquodque venenoſum animal contuſum, & ſuperimpoſitum, vel ſaltem pars eius minus venenoſa poteſt eſſe ſui ipſius veneni alexeterium. Quo ad diſcuſſoria, illa eadem contra hæc venena adhiberi poſſunt, quę iam modo contra ſoporifera adhibenda eſſe diximus.

Quod autem incutit venenum tarantula, videtur vſque adhuc fuiſſe inuictum. modo autem quod adaperta iſtius natura eſt, dabitur iam ingenioſis ad inuenire poſſe germanam rationem euin-

euincendi; ac diluendi tam peruicax venenum: ne tamen hoc interim desideretur, subijciam quid sentiam. Cum dupplici tempore possit medicamentis tentari tarantulatus homo, afflictionis, ac quietis tempore, censeo hoc, ad euitandum æstum, curationem esse instituendam: non tamen quocumque istius spatio, sed circa veris finem cum nondum calor viget, & autumni principium. quod si medicamentis adaptatis nullatenus venenum cedat, afflictionis tempore tentanda eius est expugnatio; rationabile enim, minus ægre superaturum, ideo quod in quadam tunc est constitutum rarefactione, quæ est veluti quædam præparatio ad suscipiendam perfectam sui discussionem. Itaque mundato, si opus sit, interius corpore, vt puriora contra venenum se offerant medicamenta, non alia aptiora agnosco, quam decoctum guaiaci, vel salcæ parillæ per qunidecim aut viginti dies de more vsurpatum. vt autem acutius, ac potentius euadat medicamen, commiscendum cum eo de aqua, vel aceto theriacali ad vnciam, nec non de oleo gariophilorum vel rosmarini ad guttulas, quod magis profuturum spero, si crurum interim, ac bracchiorum artus spongiola aqua vitę combustibili imbuta prius confricati, oleo scorpionum composito, vel de piperibus, aut petroleo: vel oleo viperino inungantur. laudare etiam cogor si ijdem cum hydragiro de more confecto obliniantur. vbi tamen per octo saltem dies decoctum fuerit ab ægro prius ebibitum.

His interualli tempore sic peractis si, quo tempore excitari in tarantulatis molestia solet, nil diuexetur, homo, non aliud superest moliendum. si vero nil subleuatus tibi videatur, tentanda est, vbi primum affligi incipit, curatio eadem; sed contractiori tempore perficienda: quam si suspectam censes ob calidiora medicamenta, spiritus vel tolles, vel eorum demas pondus, & potu in aurora exhibito sudorem abundanter procurabis. ægro vt sufficiat de more nutrito, artubus interim ardenti aqua, in qua diu infusæ steterint plures tarantulæ, madefactis. Posset quoq; parari ex tarantulis adaptatum oleum, quod conducibilissimum in hac affectione censerem: de qua si omnimodam haberem scientiam. fortasse haud optabilior exquireretur curatio.

Aggrediendum superest rabidi animalis venenum, cuius in primis adaptatis loco præsidijs, qualia sunt superius memorata, & inter alia vulnerati loci candentibus ferris exustione, quoad fieri potest extractioni, discussioniq; insistendum; idemq;

locus, si opus fuerit, dilatandus, & ex scriptorum sententia per quadraginta dies à cicatrice arcendus. Inter topica medicamenta proponunt Galenus, Dioscorides, & Aetius accommodata emplastra, salsamenta, allium, cepas, multaq; alia laudata reperies apud alios. etsi compertum quidem tibi sit intentionem istam tempestiue, ac probe fuisse adimpletam, non est quod hominem internis fatiges medicamentis: sin autem, ad discussoria quamprimum te conferas, vt venenum, quod pedes impressit adhuc non alte, intercidatur, extinguaturq; congruentia mihi videntur, quæ ad extinguendum fermentosum venenum nata esse superius insinuauimus.

Quod si ad hac veniat æger, vt iam aquam abhorreat, alia exquiruntur consilia. Celsus lib. 5. cap. 27. laudat ægrum inopinanter esse in aquam demittendum. hoc remedium Venetijs olim expertum cum hominis salute narrauit mihi medicus quidam Venetus. si salutare futurum concedendum est, tunc sentio, cum coactus est æger non solum ad nauseabundam repletionem aqua se implere, sed sub eadem quoq; aliquantulum degere, vt iam (cum cautione) immineat sibi suffocatio: alioquin extingui tam fixam, ac profundam intemperiem, rationi minime consentaneum est. Quidam sanguinem canis rabidi pomum hominem commorsum curare testantur: quod haud quaquam ratione caret: quandoquidem partes venenosi cuiuspiam animalis minus venenosas, viam contra venenum eiusdem, & similis animalis alipharmacam obtinere didicimus. propterea laudare etiam cogor iecur eiusdem canis, quod apud Aelianum de hist. animal. lib. 14. cap. 19. & Aetium eandem facultatem obtinere scribitur. Sed operę pretium est, adferre huc quędam alia præclara ex multis, quæ recenset ex Rufo, & Possidonio idem Aetius tet. 2. ser. 2. cap. 24. Mergi, inquit, quoq; iecur assatum datum cum oleo, ac medico sale commodum est, aiunt enim ita efficax ipsum esse, vt æger, e vestigio aquam petat. sed, & Hippocampus marinus assatus, commestus prodest: sanguinem enim ipsius amorem aquæ inducere dicunt, & formidini aquę resistere: vnde iterum, atq; iterum hippocampum edere iubent: & ipsos hippocampos cum acri aceto tritos vlceri imponunt, & hoc pharmaco rabiem superarunt, quin, & catuli coagulum cum aqua datum vtilissime ab ipsis bibitur, & vbi semel ipsam acceperint assidue commouet ipsis potus cupiditatem, & bibunt etiam alios liquores intrepide. oportet autem catulum non multorum dierum esse, sed recens

natum,

natum, & adhuc lactentem. prodest etiam leucanthemum herba pota; tantam autem eius vim esse aiunt, vt si ex ea fundum poculi sublinatur, & exhibeatur, ipsi libenter potum accipiant: prosequitur alia, sed hæc visa sunt adaptiora.

Forte autem erit curiosis pergratum audire, quomodo auxiliatur rabientibus hippocampus; quandoquidem, & eius venter, etsi venerosus, comestus ab homine mirum quoddam aquæ amorem inducit, quod didicimus ex Eliano loco supracitato cuius rei historiam huc transferemus, vt de quo sermo est, germanam noscamus caussam. Rei, inquit, piscatoriæ bene periti homines dicunt hippocampi ventrem in vino decoctum, ac liquæfactum si quis dederit cuipiam bibere, eum primo ex ea potione acerimo singultu affici, deinde tussire, & sicca quidem tussi vehementer torqueri, at eum nihil excreare: sed, & superiorem ei ventrem intumescere, & calidas fluxiones in summum caput efferri, & vero per nares minutatim deffluere, ac pisculentum odorem reddere, simul, & oculos sanguine suffusos ignei coloris flagrantia laborare, & eorumdem oculorem genas inflari, & vomendi quidem cupiditate ardere ferunt, verum nihil emittere. quod si natura euicerit, hunc tamen periclitata prius morte in obliuionem, ac dementiam incurrere: sin in ventrem inferiorem delapsum fuerit, ipsum omnibus iam membris captum, e vita excedere, ex morte vero qui euadunt mente capti aquam summo studio persequntur: hanc enim ipsum idcirco expetunt aspicere, eamq; stillantem, & scaturientem audire quod sane eis ægritudinis leuationem afferat, & somnum conciliet. itaq; ad perennes fluuios, aut ad littora, aut iuges fontes, aut lacus commorationes eis gratæ sunt, & iucundę cum tamen non magnopere desiderent bibere. sed, & ipsum natare, & pedes aqua alluere eis plurimum iucunditatis affert. sunt qui non hæc mala dicunt huius bestiæ ventrem creare, sed hippocampum algam quandam acerbissimam, ex qua ita afficiantur depasci. verumtamen solertia veterani piscatoris, & ad res maritimas bene prudentis salutaris etiam repertus est hippocampos. is, & cretensis erat, & filios admodum adolescentes piscatores etiam habebat. accidit igitur, vt hic piscator hippocampus simul cum alijs piscibus caperet, & adolescentes a rabida canicula morderentur, cum eorum in Methyna Cretensi ad littus iacentium vicem dolentes spectatores incerficiendam caniculam censerent, & illius iecur edendum iuuenibus dandum esse: alij consulerent à Diana Roccea salutem petendam, senex

piſcator eos de conſilijs,quæ afferrent laudatos demiſit,& hippocamporum exēteratorum alias aſſos eos comedēdos dedit, alios in acetum & mel contriuit,iiſque morſus vlcera obligauit, atq, hominum adoleſcentium rabiem vicit,eoſque ad incolumitatem tandem reſtituit. Hæc Elianus. ex cuius hiſtoria cum detur nobis aſſequi hippocāpi naturam probe poſſe, datur etiam cauſſam intelligere,propter quam hippocampi caro rabiem tollere nata ſit:conſtat enim ex partibus in vniuerſum impenſe calidis,& quadātenus humidis,ſed ijs perquam tenuibus,quibus facilè in cerebrum aditum habet,vnde comeſta,& actuata,quam recte poteſt virus rabidi canis, fermentumue ab eodem in rabiente homine introductum, in membra ſe inſinuans,diluere,ac ſoluere. Fortaſſe adinuētum alexipharmacū hoc fuit,ideo quod ſanguis, & venter hippocampi,vt enarratum eſt,ſi ab homine aſſumantur,aquæ deſiderium excitare valeant,vt pote calidiſſima: verumtamen in ventre maiorem, quam in ſanguine conſpicatur caliditatem, vt qui abſolutè venenoſus lethalia ſymptomata, & ſæpe mortē venenato homini inferat?

Vnde hic curioſe quæritur,propter quid modo mortem,modo demētiam,atque obliuionem, nunc vero & aquæ ſtudium pariat. An quod vbi in cerebrum plurimum euaporat, ſi quidem homo, qui aſſumpſerit venenum ex ſæuitia ſymptomatū non intereat,obliuioſus ac demens efficitur, cerebri temperie alte corrupta.ſi verò in ventrem inferiorem delabatur ſiue ratione cibi,cum quò ſummitur, aut paucitatis, aut alia de cauſſa,& in cerebrum non effumet, niſi perparum, & ſecundum quaſdam ſubtiliſſimas eaſque igneas particulas,homo ſi mortem effugiat,mente quodāmodo captus ſummo aquæ ſtudio afficitur,inducta in cerebro ſicca quadam,& nonnihil calida intemperatura,reſultante ex aliquali humiditatis ſubſtantificæ conſumptione,non quidem æqualiter in centro ac circumferentia membrorum,ſed in circumferentia, ſuperficialiue tantum parte.ad differentiam venenati a cane rabido hominis,vt propterea ſicuti hic aquam reſpuit propter diſſidium,ita hippocampicus illam magno ſtudio proſequitur, quippe qui ab obiecto natura affectui aduerſo recreetur, leuationemque ægritudinis ex auctore,& ratione adſtipulante ſentiat; concilieturque ipſi ſomnus,quē in hoc affectu maiori ex parte abeſſe ratio dictat; ſcilicet aquæ abominatio in hydrophobo prouenit ex eo,quod cerebrum vellet in ſuo eſſe contracto calido

et ſicco

& ſicco intemperato conſeruari, non ab obiecto diſſimili aduerſari, ac deſtrui; quoniam hoc eſſe calido & ſicco vtitur vt naturale, & in eo quodammodo quieſcit: ſtudium verò aquæ ideò prouenit in hydrophilo, quod cerebrum vellet corrigi ſecundum partes intemperatas, & totum ad vnam ſymetriam deuenire, nequiens in intemperatura ſicca & calida, vt inæquali, atque impropoitionata quieſcere, hinc aquę deſiderium, quod ſane non ſubit maniacus, propterea quod calida ac ſicca eius cerebri intemperies reſultat non ex ſubſtantificæ humiditatis conſumptione, ſed efferueſcentia acris cuiuſdam excrementi, quæ citra priuationem humidi ſubſtantifici importat deprauationem, & rationis corruptum; cum alioquin hydrophilus mente quodãmodo diminutus cenſendus ſit. nec ſubit quoque hecticus, quoniam etſi ſit ſecundum ſui totum in quodam calido ac ſicco eſſe conſtitutus: attamen ſecundum cerebrum temperie vtitur naturali, à noxa vindicatum, ſiue quod totum ſit membrum ſpermaticum ſiue ratione frigidæ eius complexionis. alioquin tabidi, præſertim qui prope mortem ſunt, dementes omnino efficerentur.

Quibus ſic ſtantibus iure ſcriptum fuiſſe intelligimus carnẽ, nec non ſanguinem iſtius beſtię aſſatum aquæ formidinem tollere eſſe nata: & proptetea pręſtantiſſima eſſe alexipharmaca vbi rabienti homini pluries offerantur.

Nec ratione caret quod catuli coagulum rabiem ſuperare valeat, cum omne fermè coagulum apud Dioſcoridem vim habeat alexipharmacam, eſt enim teſte Galeno 10. ſim. coagulum omne calidarum ac tenuium inſigniter partium, adeo vt lac coagulat per expeditam eius partium ſpirituoſarum reſolutionem, & coagulatum diſſoluat in ventre liquefacta eius aquoſitate, per calidam atque acrem, qua pollet, potentiam; quam in eo præſertim, quod catuli eſt, conſpicamur, quippe quod & prę multis alijs non mediocriter calidum animal eſt, & eſt coagulum quodãmodo pars minus venenoſa ad venenũ caninum. Quamobrem laudarem illos pharmacopulas, qui tum medicamentum hoc, tum ex enarratis plurima ad vſum parata haberent, vt, cum caſus ſe offerat, languentes ſi non ab vno poſſint, a pluribus ſalutem conſequantur.

Hiſce alexipharmacis ad rabiem euincendam, pro hominis iam aquam renuentis ſalute comparanda, propoſitis, neq; igni, ſi ita res ferat, iuxta Hippocraticum conſilium parcendum eſt: ægroto igitur ligato inurendum mandabis candentibus ferramentis

mentis summitatem eius capitis duabus inter se intercidentibus lineis, altera versus aurem vtraq; altera a sincipite ad occiput se extendent. namq; etsi vstio hæc ad membranas, cerebrumq; ipsum immediate non spectet, attamen vis igneæ cum sit vlterius serpere, ac penetrare, ratio vult, vt se quoq; interiùs comunicet: atq. si sic, rabidum fermentum turbet, soluatque quemadmodum ex pudendo canis fæminæ inusto. vstionis vim ad cerebrum ipsius quandoq. peruenire, & rabiem illi excitare fertur. Vtinam cum hæc, tum cætera contra enarratos morbos, ac venena proposita præsidia optatam humano corpori salutem, si quando ea adhibere opus fuerit, afferant, ad maiorem laudē, & Gloriam summi Dei, et in TRINITATE Viuentis.

FINIS.

HIERONYMI
OCHI
RIZETTI

Medici Brixiensis

EXACTA FEBRIVM

Per inferiorem agrum Brixiensem


anno 1649. diuagatarum

Enarratio, ac Curatio,


Seu de febribus Malignis Vulgaribus Austrinis

Tractatio Vtilissima

Eaq; cumulatissima. ac noua prorsus doctrina referta.



AD LECTOREM



Ccipe Lector hanc de febribus malignis tractationem, quæ etsi ad specificas tantum directa esse videatur, vniuersalis tamen est ad omnes vulgares austrinas, quæ veræ malignæ dici merentur: namq;, etsi per alias quoq; tempestates, per quas hoc, vel illud morbi genus suboritur, visantur febres quædam, quæ malignitatis nomine, insigniri ambiunt, illæ tamen dũtaxat malignæ, vel pestilentes legitimæ videntur dicẽdæ, quæ ab austrina potentia, cuius est vel malignas tantum, aut pestilentes, vel pestem absque alio morbo generare, dependent. Nec solum ad malignas vulgares, sed etiam ad pestilentes, ac pestiferas etiã extenditur tractatio ista: quãdo obiter harum natura, materia, effectus, ac curãdi ratio, si non exacte explicata, saltem taliter insinuata sint, vt cuiq; ingenioso pro exacta regula inseruire possint. Accipe, inquam, & si de imperfectione quapiam notandam esse comperias, temporis angustiæ, qua est confecta caussã ascribas. sciasq;, quod vel ipso Galeno iudice, fieri nequit, vt, qui homo sit, inuenta perficiat, in multisq; non peccet. Vale.

INDEX CAPITVM.

PROEMIVM

Austrini Imperij Dignotiuum, et occasio scribendi.



Ebres, quæ anno iam proximi elapso passim per quasdam Italię partes sunt diuagatæ : pestisque quæ Hispalim, quæque Harbonensem Prouinciam afflixit, facilè induxerunt me, vt opus de Pestilentibus morbis, quod per plurimos iam annos occultatum in tenebris veluti delituit, eruerem, animumque ad id excudendum applicarem. cum enim de pestilentibus constitutionibus, ac præsertim de austrinis, earumque morbis in eo sit pertractatum: cumque hos omnes maligne, ac pestiliter grassatos morbos, austrorum soboles extitisse certissimum sit, in hanc sententiam facilè deueni, vt si luci publicæ exponeretur, fore, vt nebulas ac caligines tolleret, quibus austrinis morbis velut conspersis, factum est, vt germanæ illorum causæ minime vnquam â medicis potuerint, & intelligi, & cognosci. Etenim quo ad remotam causam spectat, in hac indaganda, eos veluti cæcutire animaduertis, hac autem ignorantia, quomodo potest adinueniri, cognosciq; proxima? & hac rursus minime cognita, qui â fieri potest, vt quis adaptata exhibeat medicamina? At non admiror quidem, nec vel minimum; quandoquidem austrorum ad nos accessus remota existit horum morborum caussa, quem tamen nos planè fugere, & sensus ostendit, & animaduertit Galenus ab Hippocrate edoctus, lenis, inquiens, auster est, cuius motum in aere ac nubibus non sentias: adeo vt Hippocrates totum illum annum à ventis prorsus silentem statuerit, etiamsi per totum eum auster dominatus esset. Vnde medici, cum malignarum, vel pestilentium quempiam morbosum statum in conspectum ferri vident, illico quidem ad cõmunem inuestigandam causam deueniunt, quam tamen, latente principio, a nemine vnquam à tenebrarum inuolucro fuisse detectam, & animantium luci ex-

po-

positam, constantissimum est, resque ipsa ex se declarat. &, si pestem quampiam ab austris dependisse uisum quibusdam fuerit, quam tamen qualitatem in subiectis impresserint hi animantibus: quod, qualeque inde excrementum, et qua ratione id ingenerarint, unde morbus exitiosissimus, ac contagiosissimus coalesceret, perplexi subticuerunt. Et profecto mente concipere, per unum dominãtem austrum, prauos, ac maleficos humores, nec non uenenum propriè tale in humanis ingigni corporibus, maximum quid est, & nisi Antesignanum haberemus Hippocratem, qui diuini sui ingenij acumine, normam nobis obtulit, impossibile fuisset, essetque id unquam posse comprehendere. Hic enim est, qui istius spiritus tantopere malefici tardissimum,

3. in. 3. t. 1. & præ tarditate insensibilem nobis insinuauit motum. hic, qui maleficium, quo aerem afficit, insuetum, atque immanifestum, formæ eius mutationem importans, patefecit, dum ex

In lib. de sac. mor. compacto liquatum reddere docet. Qui maximam, ac uastissimam istius potentiam expressit, dum austrum operari in terram, in mare, in fluuios, fontes, ac puteos, & quæ ex terra nascuntur: soleq: ac lunã, syderaq; multo hebetiora, quã ex sua natura sunt, reddere scripsit. Qui per dictatã corporũ dissolutionẽ, ab austro factam, arcanum detexit nobis quo intelligeremus,

Ibidem

3. aph. 5. & 17. quõ in his praui, ac uenenosi humores, malignarũ, ac pestilentialium febrium vulgariter grassantiũ productiui, generantur. Qui tãdẽ pestem per silentem quidem, sed in throno aereo sedẽtem, atque imperantem austrum, excitatam, per quam inter cætera,

3. in. 3. Ibid. t. 25. exesis à depascente viru ęgrotantium carnibus, ossa secundum totum affectum membrum denudabantur, vt multis etiam totus deciderit cubitus, ad viuum pictam nobis obtulit. vt propterea diuinum hunc virum, pro vna hominum corporea salute cęlitus fuisse datum, summo quodam iure dici possit.

Cum igitur opus de Pestilentibus allata de causa luci exponere decreuissem; atque idcirco, exporrectus, vtramque censuram incolume, pertransiisset, cum iam prælo esset paratum, subministratum mihi est, rectè me facturum esse, si de febrilibus, quę iam superiori anno per inferiorem præsertim agrum Brixiensem sunt diuagatæ, quæque vt productricem sui caussam, austrum agnouerunt, tractarem, tractationemque illi annectęrem. Quo postea à me statuto, tractationi statim accubui, perfecique maiori (cum superfluum tempus non extaret) qua potui celeritate. Et quidem ratio hoc expostulauit; quandoquidem etsi in illo de hisce febribus actum sit, breuissimus tamen sermo

est

est factus, & quod magis est, cum in eo curatio sit tantum insinuata, in hac postremam visa est accepisse manum. in illo rursus quidquid de his definitum est, per contemplationem est definitum (neq; enim per antea contigit mihi quempiam malignarum febrium vulgarem vidisse statum) modo in tractatione ista ex praxi practicata, est actum vnde cum scientiam illam contemplatoriam, consentaneam huic practicæ vndequaq; esse compererim, in hanc solidam deueni sententiam, totum hoc efformatum de austrorum natura, ac maleficentia, deq; ipsis febribus ædificium, in solidis, atq; inconcussibilibus iactum esse fundamentis.

Accessit pro stimulo ad hanc tractationem, videre per agrum Brixiensem passim elucescere, diuagari huiusmodi febres, gentem perterrere, cladem minariet quid mirum obseruatum abunde est, austrum ab arcturo oriente, vsq; ad occasum pleiadum, & successiue post hunc, propria in aere impressisse vestigia: & cum per paucos boreas accessisset dies, rursus vsq; ad æquinoctium ferme vernum austrum vibrasse aeris lenitas à maligno hoc spiritu identificata, & austri velut repræsentatiua, commonstrauit: & nisi fauonio, qui adhuc spirat, & iam agit tertius supra decimum dies (quo die hæc exaro) tertio calendas Martij datus fuisset locus, grassantes hæ febres vastiorem proculdubio compararent locum. Sed vtinam valuæ iam sint insidioso spiritui obstructæ, verendum enim non sine ratione est, ne iam iam referatæ quadantenus intermissum recipiat dominium; quandoquidem cum cis mediteraneum morbosus semel accedit, diutinum in aere retinere imperium, experientia perpetuo edocuit. Hinc propterea cum iura sua dat, nunc. Prouinciam hanc, nunc illam occupat: modo regionem istam affligit, modo illam depopulatur: & dum Ciuitatem hanc depascitur, illam conficit. scilicet hoc perpetrat, pro vt huc vel illuc fluctuare: huc vel illuc impellere contingit. In vniuersum autem, quo validior accedit, eo diutiori tempore perdurat, ac dominatur: ac successiue eo grandiorem, ac vastiorem procreat pestem: æqualioremq; in prouintia, in regione occupat locum. e contra, minus grauem generat morbum: inæqualioremq; vel saltem angustiorem in regione perflata occupat locum. Hinc enerrantur quædam sæuissimæ pestes, quæ per plurimos perdurauerunt annos. Philostratus enim ex. ner. trac. de Pest. pestem tempestate sua subortam, vt tot alias longas omittamus, quindecim perdurasse annos, enarrat. Iacobus de partibus, pestem suo tempore grassatam quinque annorum curriculo perdurasse, & totum ferme terrarum orbem perua- *In 1. 4.*

gasse, multotiesq; Vrbes ac vicos, villis penitus illæsis, à morbo fuisse correptos, scriptum reliquit. quod particulare vsuuenisse quoq; in Peste Brixiensi anni 1577. & relatum mihi, & scriptum inueni. namq; cum Vrbem sæuissime deuastasset, totum illius agrum, præter Iseum, & quadantenus Lonatum, oppida domibus valde conferta, intacta reliquit. Sunt scilicet Ciuitates atq; loca domibus confertiora, sic ratione à nobis alibi allata, dominanti austro potissimum obnoxia. quod si piè interpræta̲ri hoc velis, dic iustius quodammodo in hæc flagella infligi: quandoquidem in Ciuitate peccare sit longè grauius, quam vbi legum inscitia, & Gubernatorum absentia, vt ob id fortasse non agro, non villis, sed ipsi Niniui subuersio à Propheta fuerit minitata. Rursus pestis, quę anno. 1575. incæpit, non prius cessauit, quam plures Italiæ vrbes esset depopulata, & cum anno 76. Venetias crudeliter depasceretur, Brixia Reginæ suæ, erga quam fide prorsus incontaminabili viuit, & ardet, mala grauissime ferens, atq; ingemiscens, immanissimæ feræ rabiem veluti in se conuertit: namq; vt scriptum inuenio, quo tempore Venetiarum mala restinctionem acceperunt, Brixianis datum est principium. sic pestis quæ anno trigesimo supra sexcentesimum, nobiliorem Italię partem deuastauit, ęstatem anni vigesimi noni, ex malignis, & pestilentibus febribus morbosam habuit prænuntiam.

[margin: 1 d Pest. m.]

[margin: Io. c. 3.]

Vt propterea ex his iam firmetur, austrum, cum morbosè spirare incipit, non per annum, sed perannos cis mare proprij imperij iura, exercere. quo stante verendum est, ne febres iam grassantes vastiorem successiue quæritent locum, sæuiusq; in gentem efferent.

Velim autem te pro constantissimo habere, pestes à scriptoribus enarratos austrorum soboles extitisse: quoniam etsi non inficior, quod ab alia, quam austrina aeris affectione suboriri potuerint, rarissime tament hoc euenire scias. &, si quando euenit, manifestissima, eaq; diutina in aere præcedit qualitas: austrina solam aeris lenitatem præsefert, cuius comes est calor quidam, & cuiusq; alterius venti vacuitas: quam propterea vbi diutius per annum vigere obseruabis, de morbis austrinis, præsertim si cæteri morbi sileant, tibi suspicandum valde est. Quod si iam exiliant, & nullam manifestam præualuisse aeris qualitatem, tibi compertum sit, dic, illos ab austrino pendere imperio. hinc iure optimo Plinius obseruatum fuisse scribit, pestem à meridionalibus perpetuo in occidentales extendi partes, & Marcus Varo, cui à meridie omnem maleficentiam venire, notum erat, Corcyram Insulam se ab imminente peste liberasse narrat, obstructis fenestris austrum spectantibus, & ijs;

[margin: L. 7. ca. 50.]


quæ

quæ ad aquilonem vergebant, adapertis.

Tali igitur pestiferi istius venti aggressu, vi, ac maleficentia stante, placuit hanc de malignis febribus austrinis conficere, ac superiori operi annectere tractationem, vt latens, atq; insidiosus is aggressus magis conspicari, potentia retundi, ac maleficio, quoad humanæ vires dabunt, aduersari possit: quo enim maiorem austrini morbi intensionem gestant, eo magis reluctari remedijs, certum est: adeo vt medicina in pestiferis obscuretur, vilescatq; morbis, non tam præ quadam eorum summa extremitate, quę Hippocraticam superat extremitatem; quam quod summus, atq; optimus Deus permittat, vt, quæ Diuinitus ipse immisit, mala, artem omnem contemnant. Sicuti quippe bonorum bonis est Dator, sic Iustissimus malorū vltor. pestiferas enim tempestates, si quid aliud, cælitus esse datas, tum ad dignam nostri vltionem, tum ad morum correctionem, quando in his potissimum errores quisq; suos apud Confessarium detegat, pie agnoscendum est. quo fit, vt primaria pestiferi morbi curationis veluti intentio ab ipso in primis, à quo venit, Deo sit petenda. nam si percussi homines ad Deum humiles ac contriti non confugiant, sed irreligiose in humanis tantum præsidijs spem collocare velint, vanum esse omne tentatum ex morte celerime irrepente, experiuntur. Cælis igitur pestilentias minitantibus, ipsiusq; pestilentijs pullulantibus, vt humana remedia cum reuerentia postmodum erga Deum parentur, ante omnia expianda publice non ordinaria religione ciuitas est: expiandę priuatim domus, cunctaq; elucere in pęnitentijs debent: hac quippe ratione mors, alioquin instans, vt arceatur, sic de Ezechia Rege ægrotante in sacris cartis habetur; malaq: Diuinitus minitata vt dispergantur, ut clarissimum Niniues præbuit exemplum, sperandum religiose est. Sacrificemus Domino, dicebant Israeli tę, ne forte accidat nobis pestis, gladius.

4. Reg. ca. 20. Io: c. 3.

Exod. cap. 5.




Exacta febrium per Inferiorem Agrum Brixiensem. Anno 1649. diuagatarum enarratio, ac Curatio. Seu de febribus vulgaribus Malignis Austrinis

Tractatio vtilissima.

Eaque cumulatissima, ac noua omnino doctrina referta.

Quando incæperint febres istæ, quæ loca infestarint, et quæ, qualesque extiterint.

Cap. I.



Vm superiori anno quadragesimo nono supra sexcentesimum diuagatę sint per inferiorem agrum Brixiensem, in terris scilicet iuxta, ac desuper flumen Oleum, febres quædam minimè vnquam intermittentes: propterea harum formam ac naturam a me vndequaque anatomizatam, atque excussam, nec non earum accidentia enarrare, causasq; exponere, nunc decreui, cùm ad explēdam curiosorum cupiditatem, tum vt germana harum habeatur curatio.

Primùm autem Cremonę eluxerunt, statim atque Galli ab illius oppugnatione, quod successit tertio idus Octobris anni 1648. abscessere, ac mox eius agrum, huiusue habitatores molestarunt. Inde oleum flumen veluti tranantes, Vstianum primo ac Pratalboinum, postmodum Alfianellum, & Ponteuicum cæperunt, hocque celebre oppidum frequentiori cęde, insigni non obstante medici peritia, non parūm afflixerunt. successiue vastitatis veluti cupidę, Quintianum, Monticellum, Gabianum,

Verolam

Verolam Alghisi,veterem,Bassanum,Sanctum Geruasium,Manerbium,Cignanum,Cadignanum,Pedergnagam, Orianum, aliaq;loca hisce proxima occupantes, maiorem fortasse hominum partem afflixerunt.

Incipiebant omnes cum rigore,de cætero cum feruore semper incedebant. erat cunctis capitis dolor assiduus, præsertim primis morbi temporibus,qui & per dies, & per hebdomadam quoque quosdam,& per hebdomadas ante febris inuasionem, hominem corripuit.erat hic grauatiuus, vt hinc nonnulli plus de grauitate,quam de dolore conquererentur. vigiliæ non ad modũ, sed somni turbati.& vigiles melancholico modo quiescebant.sitis assidua,magna,cum linguæ ariditate, vt hinc permultis crustæ faucibus inducerentur. calor earum in cunctis erat ęqualiter expansus:attamen,ob putres ac densos vapores, in venis,atque arterijs inclusos,videbatur languens maiorem interius,quam exterius ęstum persentire,& absque periodo affligebant.

Namq; quæ cum salute terminabantur,sic incedebant, quatuor primis diebus erant non magnæ,mox ingrauescebant, & à septima ad duodecimã vsq; maxime affligebant, à qua paululum declinantes, die decima quarta iudicationem accipiebant. consistebat hęc grandior afflictio, in maiori febre,intensiori siti,delirijs,somnis turbulentis,quodam stomaci dolore, virium languore: erat in summa tunc morbus vndequaq; grauis ac magnus,ijs præsertim,quibus vena aut non fuit secta, vel large sanguis non fuisset missus. hi enim præter cętera vel à maximis corripiebantur delirijs,vel cataphoricis,aut comatosis affectionibus.

Interim plurimi per aluum,vel per vomitum lumbricos excernebant longos,sæpius viuos. Vrinę erant vt plurimum subrubrę, quæ aut nebulosæ,aut turbatæ crassæ redditæ, tandem clarescebant. at in morituris,deposita tandem crassitie, flauitiem contrahebant,in quorum multis primo tenues decoloratæ comparuere. in alijs quibusdam tenues, & subbilescentes excernebantur, crassæ tamen hæ non solebant fieri. qui aut virides,& subuirides reddiderunt,his lethum blanditum est. Sudarunt non pauci, sed sudor nemini fuit absolute decretorius,sed salutis nuntius, quibus sub declinatione contigit, aliter neq; proficuus. erupit quoq;iuuenibus quibusdam sanguis, sed hæc eruptio,quẽadmodũ,& per venam sectam euacuatio,etsi morbum minus grauem, minusq; lethalem redderet, non tamen

minus breuem efficiebat. adolescentibus tamen, quibus erupit, adeo profuit, ut de cætero morbus robur non haberet ullum.

Et quamuis in uniuersum grassatæ hę febres, fuerint magnæ atque graues: æquales tamē in cunctis minime extitere: grauiores quippe in quibusdam, in pluribus intensiue, & extensiuè minus graues uisæ sunt. extensiuè dico, quoniam in illis uigorem in decimam quartam usque diem seruarunt. in his post undecimam declinationem quādam assummentes, decima quarta iudicabantur.

Obseruatissimum a me fuit, pauperibus in genere minus graues quam diuitibus extitisse. An quod in ijs uitiosus sanguis, harum caussa, ob communem egestatem, minor quantitate extiterit, atque idcirco minor febris. fui propterea quibus large sanguis fuit missus, aut per nares effusus, ij cæteris semper paribus minus grauiter se habuere, morbum leuius trāsigere: cum alioquin grauissime, ac pessime se habuerint, quibus nihil, aut non pro ratione fuit haustus.

Erat autem morbi finitio non per ullam criticam excretionem, sed per solutionem, cuius terminus erat dies decimaquarta: in qua plurimi exacte refrigerabantur: in quibusdam enim caliditas quędam seruabatur ad decimam septimam, nonnumquam ad uigesimam diem; in ijs scilicet, quarum febris adhuc uigens quartam supradecimam assumebat. impossibile enim prope est, febre aliqua magna soluta, solui simul cōtractam carnium caliditatem. Sanati, omnes ferme, transactis quibusdam diebus, secundum caput depilabantur.

Porro iudicium dierum quatuordecim adeo fuit harum febrium proprium, ut, si quispiam ante hunc diem iudicaretur, ut multis usuuenit, rursus à recidiua correptus talem diem totali iudicio absolueret. namque quibusdam decreuit morbus septimo, intermisit septem: repetijt, et iudicatus est die septimo. quibusdam alijs post iudicium dierum septem intermisit tribus, nonnullis quatuor, redijt, et rursus septimo iudicatus, et in genere prior morbus uisus ut plurimum est cum intensiori, posterior cum remissiori uehementia incessisse, qui, & cum paruiori rigore inuadebat. Qui autem in huiusmodi recidiuas incidere, sanati, vt noui, omnes sunt, præter vnum chirurgobarbitonsorem, qui septimo iudicatus, ab intermissione trium dierum rursus à morbo correptus, quarto ex vehementi febre, & fluxu disenterico mortuus immature est hic vir, peritia, & humanitate præstans. hinc cum tale recidiuæ genus fuerit à scribente medi-

dico obferuatum, reuerfio plurimis iam primo iudicatis, finitioq; futuri morbi ftata, non fine ægrotantium, ac domefticorum admiratione erit prædicta.

At quorum finis pernitialis extitit, ficuti hic breuiori, vel longiori tempore contigit, fic diuerfa horum fuit incedendi ratio: etenim qui feptima, octaua, vel nona tollebantur, his praua ftatim elucefcebant: febris vehemens, capitis dolor immoderatus, magna fegnities, pulfus duri, angufti, vrinæ vt plurimum turbatę, ac craffæ, quibufdam virides, repugnantia ad oblata (in falutaribus enim ad hæc bene fe habebant) & in quarta deliria aderant, feptimaq; vel octaua, aut circiter comatofi moriebantur. fed pauciffimi hunc celerem funt experti interitum, fic conftitutionis aeris qualitate importante. alios vndecima, duodecima alios fuftulit; qui omnes fub eodem ferme fymptomatum fæuitie militarunt. Pleriq; inter decimam quartam, & vigefimam interibant: qui ab vndecima vel duodecima fignum pernitiei certum præfeferebant. erat hoc, morbi ingrauefcentia, ab intenfiori febre, virum lapfu, corporis grauitate, & ftupefactorio quodam delirio efformata: cum alioquin morbus in primis leuiter, & non fine fpe incederet. adeo vt medico fępe imponeret.

Quibus autem fatum iftud experiri contigit, hi in plurimum extitere atrabilares melancholici, biliofi. ex ętatibus in vniuerfum, ętate confiftentes maiorem cladis (quanta hęc extitit) partem, quin immo fere totam efformarunt. ex fenibus pauci funt à morbo correpti, fed ij fere omnes fuerũt fublati. perquam longe minus iuuenibus morbus fuit pernitiofus. minimum, aut melius nil adolefcentibus: minime prorfus pueris: adeo vt ex his, quorum plures egrotarunt, nullus. vt noui in tanto numero fuerit defunctus.

Hæ cum fuerint febres, quæ per agrum Brixienfem graffatæ funt, nemini dubium effe poteft, quin fuerint epidemię vulgarefue: præfertim cum paffim per Italiam eodem tempore vifum huiufmodi febrium genus fit, peftifereq; in prouintia Narbonenfi, atq; Hifpali auditę fuerint: quas omnes, cum vnam communem cauffam agnofuiffe, certum fit, propterea iam tempeftiuum eft, vt ad cauffas iam inquirendas defcendamus.

De Caussis Harum Febrium. & Primum Quæ. Qualisq; extiterit remota harum Caussa.

Cap. II,

ESt modo harum febrium caussa remota, sermonis ordine sic expostulante, inuestiganda. circa quam inuestigationem non mediocri est opus diligentia. quandoquidem etsi ab actuato morbo caussa hæc longæ absit, ipsa tamen est, quæ proximæ dat esse: quæ modum, quem tanti facit Hippocrates, quo creantur morbi, designat: quæ perfectam actuati morbi cognitionem, tibi affert; quæ rectam viam, vnde scopi curatiui sunt desumendi tibi commōstrat. Hanc autem remotam diuagantium morborum caussam quampiam aeris affectionem perpetuo obseruabis. ab affecto hoc vel illo modo aere morbi plurimi pendent. quod optime intelligens, maximiq; æstimans Hippocrates, epidemiorum libros ad nostram doctrinam delineauit: tertium de humoribus librum litteris consignatum nobis reliquit: librum de aere locis, & aquis conscripsit, & tertium aphorismorum efformauit: vt propterea valde mirer, quod à scriptoribus, quod à medicis de affecto, ac mutato aere, animantium corpora, calidumue ipsorum innatum afficiente, minima habita fuerit, habeaturq; cura, ad immediatam immediati accurrentibus caussam. & si quempiam pestilentem morbum, quempiam communem affectionem vulgariter grassari contingat, cum fieri nequeat, quin ad aliquam confugiant remotam caussam, in medium afferant contagem, veræ caussę ipsos latentis excusatiuam: adeo vt ipsius etiam pestis, quæ anno 1630. tam vastè dominata est, caussa, non sine quopiam dedecore communiter à medicis contagio fuerit ascripta. Has insuper diuagatas febres a contagio ortū habuisse; per contagium spatiatas esse; contagiumq; vibrasse, non defuere medici, qui putarunt. Si morbos iste communis fuit, qua quęso ratione priuata caussa potuit illum generare vęh nobis si contagium pro communi caussa inseruire posset.

2.d.dię & alibi in lib.d. bon. & vit.suc. cap. 1.

Et quoniam prauam victus rationem communem aliquando posse producere affectionem, scriptum olim nobis reliquit Galenus, caussamq; attulit, propterea videndum, fuerit ne istarum popularium febrium quispiam improbus victus effectrix caussa, an

non, &

non: & quidem ratio dubitandi adest, quando antequam diuagatę sint, quoq; tempore sæuiebant communem egestatem viguisse compertissimum sit. verum nullum in harum ædificio victum aliquem habuisse locum, præter rationem, experientia edocuit. etenim etsi cerealium penuria extiterit, non tamen ea fuit, quę gentem coegerit ad herbariorum esum: vt propterea non minus diuites, quam pauperes constitutionis istius maleficentiam experiri contigerit. Aeri igitur vt cunctis communissimo caussa est assignanda.

Cum autem animantibus quadruplici in genere modo ex placitis nostris officere natus sit: fœdatus: suffocans: ad quampiam qualitatem valde mutatus, & austrinus factus; ob id inuestigandum venit, quomodo in nostro casu se habuerit. At vt fœdatum minime obnoxium fuisse, duo potissimum declararunt, quod defuerit caussa, quæ vitiare, ac coinquinare (saltem coinquinatione, quę communem alioquin posset importare morbum) illum potuerit; quoq; vagatæ febres coinquinati aeris soboles minime extiterint. Sed nec suffocans, nec in quali mutatus obfuit, cum notum sit nec ante vagatas febres, nec quo tempore sunt vagatæ, quampiam eflatu dignam, ac manifestam præualuisse qualitatem, & propterea ijdem nec suffocatiuæ, nec siccæ cum caliditate, aut frigiditate, nec humidæ cum hac vel illa actiua qualitate iunctæ, constitutionis natutionis naturam redoluere. reliquum igitur est, aerem præualuisse austrinum, austrinam constitutionem productricem istius morbosi status, caussam extitisse, quam inter cætera diuagatę febres, vera, ac legitima austrinæ maleficientiæ soboles, nec non dolor capitis, Hippocraticè grauatiuus apertè demonstrarunt.

Nec est, quod quis opponat, obseruatum fuisse, austrum tunc temporis minime spirasse, quoniam vt alibi dictum est, auster cum legitimus spirat, adeò lente mouetur, vt motus illius nos plane fugiat, ad quod insinuandum nobis Hippocrates dum austrinum eumq; annuum statum nobis proponit sic scribit, annus austrinus à ventis in totum silens: quo loquendi modo significare videtur, ipsum neque austrum spirasse, quamuis per totum spirasset, per totum dominatus esset annum. adeo enim est spiritus istius motus tardus, vt potius humiliter repere, quam spirare dici possit. hinc fit, vt valde polleat, insinuetq; se in animantium corpora, grandemq; breui tempore imprimat alterationem.

3. in. 3. t. 1.

Dominatus igitur est ventus iste; eiusq; dominium partim pluuium, partim pluuijs vacuum extitisse, obseruatum abundè fuit. etenim post ortum pleiadum, & ante canis ortum anni. 48. multi accę ssere imbres, quo tempore aeris lenitas obseruabatur, quę ausrri

ad nos

ad nos accessum facile declarauit: post canis ortum vsq; ad arctu-rum orientem, æstas sine pluuijs, sine ventis transigit, & cum ipso arcturo oriente, et post ipsum adhuc pluuiarum vacuitas, atq; aeris lenitas vigeret, rursus pluimæ multę quæ sationem distulerunt, cecidere, ac mox serenitas successit; quæ paulo post excepta à tempestate est, vsq; ad Pleiadum occasum, vtramq; naturam mutuo gestante, à qua postmodú multi imbres per quoddam tempus. at de cætero hyems fine pluuijs vsq; ad æquinoctium, transigit lenis.

Cum igitur anni tempora cum lenitate, ac ventorum vacuitate sic processerint, non potuit non argui de austri dominio, declarato insuper à serie cum vniuersali, tum etiam particulari, qua loca fuere à febribus capta. etenim cum Cremona in primis, ac mox eius ager morbum contraxissent: successiuè is vastiorem versus Boream capiens locum, oppida, ac loca Oleo flumini quam proxima cæpit; mox alia his succedanea, vsq; quo Manerbium corripuit. sic ab ipsa particulari serie, qua vnumquemq; locum morbus appræhendit, arguitur. regionem quippe seu uicinitatem primo loci meridianam, successiuè serpendo, borealem tandem capiebat. Quid plura, communes morbi, communes clades, quæ passim per Italiam, & per quasdam Gallię, atq; Hispaniarum partes vt alias prouincias omittamus, vsuenere, austrum anno iam elapso 1649. grande in aere dominium habuisse, clarè suet testatę. Quos communes morbos; sicuti in prauitate, ac sæuitie inter se minimè extitisse æquales, ratio dictat, se variam vnumquemq. seorsim austri potentiam agnouisse necesse est.

Quo ad has spectat febres, sentio ab austro sufficienter valido fuisse productas, sed non multo tempore in subiectis locis præualuisse. quod validus extiterit, inde arguo, quod etsi non multo tempore sit dominatus, tam copiosam tamen produxerit in animantibus excrementorum colluuiem, vt necessè fuerit, venis inde repletis, quamprimum à putredine, frigido anni tempore minime obstante, corripi. quam rem firmat quoq. grandis ęgrotorum copia, namq. supra dimidiam, aut saltem dimidiam circiter ex subiectis hominum partem laborasse certissimum est. quod verò in locis seorsim non multo tempore sit dominatus, tempus perdurationis huius morbi breue, demonstrauit. morborum enim communium perdu-
t. 23. rationem, consequi constitutionis perdurationem, deducimus ex 3. de humorib. Et quamuis satis diutinus constitutus paulo superius sit status iste, non tamen semper prǫualuit, & ad subiecta loca semper accessit auster. etenim cum Cremonam, ac Cremonensem agrum prius affecerit, successiue loca Brixiensis agri affecit vnde

interim

interim quo Cremonenses austrini aeris sæuitiam morbosè experiebantur, Brixienses bene se habebant; & è contra, cum Brixienses (saltem qui postremò constitutionis maleficientiam subiierunt) laborabant, Cremonenses rectè transigebant. Sic Ponteuicum ante Verolam, & Verola ante Manerbium morbum per multos antea dies contraxit, atque hac quoque de caussa factum est, vt Manerbium, Lignanum, aliaque loca postremo affecta, minus intensiuè, atque extensiuè laborauerint: morbosus inquam horum locorum status extiterit minus grauis, ac lethalis, minusque perdurarit: ad differentiam morbosi status Ponteuici, ac Verolę, qui cum fuerit grauior ac lethalior, diutius etiā perdurauit. Inchoauit morbus Ponteuici post occasum Pleiadū, & ad ortum ferme earum, paulatim iam contabescens extinctus est. Verolæ post solstitium hyemale primum eluxit, & post pleiadum ortum sensim elanguens expirauit. Videtur morbus in his duobus locis primarium sibi statuisse solium, ac veluti pro tribunali consedisse.

Firmatur id, de quo loquimur, ex quibusdam malignis sed ijs leuibus febribus ab austrina maleficentia pendentibus, quæ in aliquibus locis, vt Offlaga, Bagnolo, alijsque vicis, affectis locis conterminis, visæ sunt; namque etsi austrina hæc potentia ab oppidis, ac locis enarratis fuerit circumscripta: non fuit tamen ita limitata, quin ad loca quoque hisce finitima, quamuis defessa ac debilis, peruenerit, qua stante debili potentia, quæ ipsius etiam breuem perdurationem includit, valdê pauci morbum, eumque longe minus prauum, ac lethalem contraxerunt.

Quæ mediata, atque immediata extiterit harum febrium caussa. & quo nomine sint insignendæ.

Cap. III.

Non erit nobis difficilè hanc vtramque constituere, quando res ista alibi fusius fuerit pertractata, atq; explicata. Percussit enim immediatè innatum animantium calorem auster, quē

remotam caussam esse statuimus, oblæditque insueto quodam modo, inibi declarato: cuius iniuriam paucis hic etiam perstringemus, ne maior lectori succrescat labor. delitescit autem ista sub austrina corporum dissolutione ab oraculo, dum austrinas
3. aph. 5 et 17. recenset incommoditates, dictata. Sed quid dico delitescit, dicam sarius exprimitur, innotescit, pingitur: dũ enim ab austris corpora dissolui, scribit Hippocrates, simul & semel calidum innatum, quod sedem ac domicilium in ijsdem habet, dissolui docet; simul & semel eiusdem dissolutionem quam opprimè nobis exprimit, ac repræsentat. Quid autem sibi velit hæc dissolutio, indicat ipsa nomenclatura, quæ cum dicat quandam rarefactionem, quandamque hinc compaginis ac toni fractionem, aciei quoque illius obtusionem importat. qua ratione natiuus calor, vi, ac robore orbatus; nec non hebefactus tibi repręsentatur. vnde non mirum si corpora ita dissoluta, sint pigra, atque infirma; è directo aduersa, cum sunt à borea alterata: calore enim
3. aph. 17. coacto à rectè compaginato corpora efficiuntur ex sene, firma, valida, atque agilia. hoc igitur pacto natiuus subiectorum animantium calor ab austrino statu iam delineato affectus, atque hebetatus, non potuit, quin prauum conficeret sanguinem, ciborum partibus coctu atque alteratu difficilioribus, inalteratis in sanguine remanentibus: quæ in dies cumulatiores redditæ, in dies quoque copiosiorem reddebant sanguineam massam; à qua postmodum putrescente febres iam descriptæ fuerunt productæ.

At cum dico, prauum, non intelligo, quod totus esset prauus; ac duntaxat secundum partem; quam prauam partem quanto copiosiorem per sanguinem, & in sanguine esse contingit, tanto prauiorem, & quanto pauciorem, tanto minus prauum reddit sanguinem: cuius naturæ fuisse, qui hunc malignarum febriũ statum generauit, exitus demonstrauit. Fit tamen in huiusmodi casibus compluries, vt quo longiori ab ortu tempore sanguinẽ vitiosum à putredine corripi contingit, eò prauiorem contrahat naturam, non solum quod in dies quidpiam à cibis relinquatur, si tamen ab austrina affectione naturalis calor detineatur: sed etiam quod interim nutritura membra, probis attractis sanguinis partibus, prauas repudient: qui si adhuc non putrescat, ad hoc postmodum, austrina perseuerante potentia, venit, vt, alibilibus prorsus nudatus partibus, impermixta, ac sincera euadat materia, prorsus & vndequaque malefica, de qua in 1. de Past. m. vnde ab vno austro, pro leui vel valida eius intensiuè, & extensiuè

poten-

potentiā, nunc prauus: nunc deterior: modo massa ex toto malefica proueniunt; quarum singularum materierū cōmunem est ex se statum, seorsim morbosum constituere.

Quod autem improbus sanguis in subiectis hisce animantibus præualuerit, id largæ in nonullis sanguinis per nares eruptiones; id rubra exanthemata, sed præsertim salutares, atq; tantopere proficuæ sanguinis per sectam uenam euacuationes ostenderunt. quæ res simul et semel nobis commonstrat, sanguinem istum ex probis atque utilibus maiori ex parte fuisse conflatum partibus. alioquin sicuti non ęque salutares extitissent sanguinis missiones, sic eruptiones non tam frequenter in genere visę fuissent. in genere inquam, quoniam etsi respectiuè tantorum ægrotantium paucæ quodāmodo fuerint, frequentes tamen in genere extitere. videtur quoq. huic sententiæ suffragari Galenus, dum sanguinem vitiosum malignarum febrium caussam esse statuit, edulia inquiens vitiosa, sanguinem vitiosum gignunt, & rursus eodem in loco, humor inquit vitiosus, ex vitiosis edulijs collectus, in venis diù latet, qui progressu temporis malignas accendit febres. *In com. 3. d. ali.*

Cur autem deterior, prauiorue sanguis, qui pestilentium febrium caussa, ex placito nostro, existit, per hunc statum non fuerit genitus, cum statutum superius sit, satis validum extitisse, ratio est, quoniam breui tempore, vt est demonstratum, dominatus est, vt nequiuerit in subiectos homines grandem imprimere noxam, præserrim quibus plurimus esset calor, vt pueris, atque adolescentibus; consistentibus enim ac senibus, lethalis euasit, natiui caloris defectu, vi fractæ, atq; acie obtusæ, accedēte; vnde ex prauiori noxa, prauior resultauit sanguis. hinc factum est, vt illis fuerint tantopere proficuæ sanguinis emissiones: non æque his, quoniam vt prauior, sic erat crassior, ac successiuè, ad exiliendum ab incisa vena minus idoneus; vnde pars prauior, à sectione relicta, ac perseueranter putrescens, non prius præ crassitie ad exactam sui consumptionem veniebat, quàm natiuo ægri calore ad summum deprauato mors in conspectum ferreretur. cuius etiam prauitatis ratione, arbitror, factus est, vt nemini ex his sanguis eruperit. Quibus sic stantibus iam intelligimus. mediatam harum febrium caussam, non aliam extitisse, quam natiuum subiectorum animantium calorē ab austro, caussa remota, percussum: immediatam verò, earum generatricem, sanguinem extitisse improbum: à quo postmodum putrescente efformatæ hæ febres fuere. *Caußa harum febrium mediata*

Quo autem titulo sint insignendæ, non est nobis difficile statuere, cum iam sit de earum productrice caussa, vitioso sanguine, determinatum; cuius esse, malignas accendere febres, vitiosioris pestilentes, maleficę vero materiæ pestiferas, decretum à nobis alibi est. Malignæ igitur fuerunt febres istæ, eædemq; epidemię: at non iuxta Galenicam interpretationem, quæ inter epidemium morbum, & pestem nullum alium pro medio morbum constituit: sed epidemiæ leues, respectiuè ad graues, quę sunt pestilentes non exactæ, seu in prima specie. exactè enim pestilentes seu pestiferæ, illæ sunt, quæ pestem constituunt: quæ cum longissimè absint à malignis, ita decet inter has, atq; illas, alteras medias constituere; & erunt hæ pestilentes: quæ sicuti plures, & breuiori tempore occidunt, quam malignæ: sic pauciores, ac longiori tempore, quam pestiferæ: quæ propterea pestiferæ omnes ferè corripiunt, plures tollunt: & id, si non prius, inter tertiam, ac sextam faciunt. Pestilentes, plures ex subiectis animātibus corripiunt, multos perdūt & à sexta ad duodecimam id perpetrāt. Malignæ multos, aut dimidiam circiter partem, ex subiectis constitutioni, apræhendunt, paucos enecant; quod inter decimamquartam, & vigesimam accidit, quæ omnes singulæ pro vt ad confinium minoris, vel maioris prauitatis accedunt, sic pauciores, vel plures; & longiori, vel breuiori tempore occidunt: adeo vt, has omnes, etiamsi harum vnaquęq; proprium seorsim producat morbi genus, inter se tamen quodammodo connecti comperies, si vnicuiq; latitudo trium veluti graduum, fuerit assignata. Nimirum, quod primus malignarum grandem statuat à pestilentibus longitudinem: moderatam secundus: quandam tertius connexionem cum pestilentium primo. Eadem de istarum gradibus in pestiferas sit ratio, quibus pariter latitudo ęqualis est concedenda; adeo vt, si quæ in tertio prauitatis gradu sunt, ex centum ægrotis tollant octoginta quinq; quę in secundo tollent septuaginta; quæ vero in primo quinquaginta quinque. rursus eodem ordine, si pestilentium tertium, ex centum, perdat quadraginta, medius triginta, & primus viginti perdet. successiue malignarum postremus quindecim, medius decem, quinque primus enecabit. malignas autem quas plures supra quindecim occidere inuenies, vtro nomine, malignas in suo esse grauiores, vel pestilentes leuiores voces, nihil moror: dummodo inter huius, & illius generis extrema nullam admittas differentiam. sic pestilentes, quæ ex centum ægrotis ad internicionem fermè quinquaginta deueniunt, & pestiferas, quæ quinquaginta circiter interficiunt, vtrauis nomine, cum eadem additione, vocare tibi libet. quod autem de febribus

In 1. de pest. m. febres istæ malignæ fuere.

Malignarum Pestilentium ac pestiferum natura, ac mos.

est

eſt dictum, id de ſtatibus morboſis dictum puta.

Cum autem in hiſce diuagatis febribus vix ſeptem, ex ijs, quibus congrua fuerunt adhibita remedia, pro vnoquoq; centenario occubuiſſe, obſeruatiſſimum fuerit, iure malignas fuiſſe definitas, & eſſe vocandas, ratio vndequaq; diſtat. illas tamen ex grauioribus extitiſſe pro certo habendum eſt.

Vnde hic curioſus quæret, ſint ne malignæ, an peſtilentes dicendæ febres, ex quibus, ſi curentur, pauci: ſi non curentur, aut non bene, multi intereant. ego ſentio peſtilentes eſſe dicendas: quoniam hoc habent à natura, vt multos occidere valeant, quamuis ex accidenti fiat, vt præ medici peritia, pauci moriantur. debet quippe denominatio non ab accidente, ſed ab eſſentia rei deſumi alioquin ſepeliretur medici præſtantia. ſic è contra, morbus quiſpiam ex ſui natura ſalutaris, ſi quidem præ medici inſcitia mortem homini afferat, (cum alioquin non curatus, cum ſalute fuiſſet iudicatus) non ob id lethalis dicendus eſt.

Vtrum febres iſtæ, conſtitutæ Malignæ, contagium vibrauerint, nec ne,

Cap. IV.

ERat ægrotantium numerus tam grandis, vt non ſolum cæteris omnibus, qui ſanitate gaudebant; verum etiam exteris terrorem incuteret. de qua re tanquam graui, atq; animaduerſione maxime digna, cum rumor in Vrbem perueniſſet, ex nutu Illuſtriſſimorum, atq; Excellentiſſimorum Rectorum, diuina quadam in cunctis prudentia incedentium, à Sapientiſſimis, ijſq; perpetuo oculatiſſimis moderatoribus medici, non tam ſapientia, quam prudentia præſtantes, diuerſi diuerſo tempore fuere miſſi, vt quid hoc eſſet, caute viderent, ſedulo inquirerent, exactè intelligerēt, ac præcipue num quodpiam peſtilentię ſignum eluceſceret: contagioniſq; ſpiritum euomeret morbus.

Circa quam rem, quid ſenſerint doctiſſimi hi viri, quid renuntiarint, exitus declarauit: neque enim Prudentiſſimi nauis gubernatores, pretioſiſſimum hominis theſaurum, ſanitatem, inquam, geſtantis, ſemper vigilantiſſimi, ne in quempiam incidat contagionis ſcopulm: & ne publica ſanitas, tanquam abſterſſimum ſpeculum, à quopiam malefico ſpiritu inficiatuur, ad hoc vnquam venerunt,

vt morbum istum declararent contagiosum , vt regionem istam de suspectu notarent: turpi, atq; sordida de contagio voce penitus spreta; etiamsi talis vox à doctissimo quodam medico primum fuisset eructata, ac propalata. & quamuis ex delegatis medicis alij à longe, ægrum interrogantes, starent, non ob id, aliter sensisse mihi ipsi persuadeo: sed hęc prudens fuit cautio, & cautata prudentia: fuerunt enim non ad curationem, sed ad inquisitionem summendam missi, quæ non contactu, sed prouida indigebat, interrogatione.

Duo vulgi opinioni videbantur suffragari, languentium copia, ac series, qua plurimi ex diuersis familijs morbum subierunt, ab vno enim primum à morbo correpto, cęteros omnes ex vna, & eadem familia vnum post alium fuisse correptos, sæpe, ac sæpius experientia edocuit. Si morbum vniuersalis produxit caussa, quid mirum si tot tantiq; laborauerunt? vniuersali quippe caussa data, vt vniuersalis subsequatur morbus, necesse est. Quod autem vnus successiue post alium à morbo corriperetur, id quędam illorum inæqualis dispositio sic exegit; sicùti cum plures (vt vsuuenisse constantissimum est) vnius, & eiusdem familię vno, & eodem die, quin immo vna quoq; & eadem hora, à morbo fuere correpti, æqualis eorum ad subeundam affectionem, aptitudo extitit caussa, & quid mirum, cum homogeneam, vt ita dicam, insimul ducerent vitam? quæ res excludit penitus, quod locum quempiam habuerit contages. quemadmodum, & casus sequens. etiam notabilissimũ apud me fuit, quod cum decimo quinto, & decimo quarto calendas Martij Euronotum plenis velis ad nos accessisset, qui dies inciderunt in duobus baccanalium postremis: æstuq; quodam subiectorum hominum corpora impleuisset: postmodum duodecimo, vndecimo, & decimo calendas successiuis, tot, tantiq, in morbum inciderunt, vt, computo quodam facto, supra centum, & sexaginta præter pueros intrà spheram duntaxat meæ actiuitatis ceciderint.

Si contagium fuit inculpandum, cur cunctos cuiusq. familiæ non tetigit, cum vnum solũmodo laborasse contigit? cur intra enarratos limites clausum? cur vastiorem, vt contagij est natura serpendo, sibi non comparauit locum? cuncti à contagio tacti non fuerunt sublati? cum morbus à communicato contagio sit pernitiosissimus. statuamus igitur, has febres haudquaquá extitisse contagiosas.

Vnum tamen hic superaddere non indecorum fuit. & est, quod sicuti per statum pestilentium febrium quandoq; visuntur carbunculi, Pestiferi status proprij: sic per statum malignarum animaduerti solent quędam ex pestilentium grege, quæ in genere contagiũ ciaculãt: vt propterea si qui medici, per has vagantes malignas renuerint

rint ægros visere, aliqualē hinc habuerint, se excusandi caussā. nāq. & inter has, quasdā, visas fuisse pestilentes, certū est. puta autem illas extitisse, quæ inter septimā, & duodecimam interfecerunt.

At non te lateat, veiim, non omnes pestilentes, esse contagiosas, sed illas duntaxat, quę ex prauo pendent sanguine, qui acres in sua mixtione assummit partes: qui enim ex superfluitatibus nullam acrimoniam in se habentibus congestus est, contagione omni caret, cum acrimonia fermentationis sit ministra. Sed neque illę continuatim contagiosæ existunt; non inquam ex acri putrescente sanguine corpuscula, atomiue, seu igniculi perpetuo attolluntur contagiosi, cum non sit secūdum sui totum, sed tantum secundum quasdam partes acore fætus; sed eatenus, quatenus quampiam ex acribus particulis, cum alijs putrescere, & simul attolli contingit. igitur cum vsuuenit, vt atomus, vel atomi contagiosi per ægroti expirati erumpant, de facili fit, vt qui ægroto adstat, malefici inspiratus medio, lethaliter inficiatur, per sanguinis corruptionem, quo modo in 3. d. pest. m. lib declaratum est. Qui inquam ægroto adstat, quoniam, qui paulo remoti sunt, nequeunt infici, ex eo quod igniculi isti nequeant ius totius substantiæ diutius retinere, ad differentiam quia veneno pestiferarum caussa attolluntur, sed e morboso corpore effluxi, quamprimum aeream, per maiorem successiuè susceptam rarefactionem, formam assummant.

Fit tamen, vt, quo sanguis iste, quem pestilentium febrium productricem caussam statuimus, prauior in suo genere extiterit, eo etiam copiosiores, atque densiores, subindeq; acriores euomat igniculos: quandoquidem, cum maior hæc prauitas insurgat tū ex cumulationibus superfluitatibus, quos priuatiuè importat maior alibilium partium paucitas, tum ex ijsdem quoque magis insimul coactis, atque alteratis, fieri nequit, quin ex prauiori sic reddito, plures etiam igniculi contagiosi, dēsioresq: atq: acriores, ac subinde ad rarefactionem minus quadantenus tardi attolluntur.

Quod si insuper deterior hic sanguis, per constitutionis vim, atque vlteriorem in homine moram alibilibus prorsus, atque aquosis partibus fiat expers, tunc ex prauis tantum quodāmodo supercoctis, atque insimul alteratis ac fermentatis coalescit massa, omnimodè praua: quam si ex percalidis, atque acribus duntaxat partibus mixtionem sumpsisse contingat, tota etiam, putrens, in igniculos contagiosissimos abire nata est: quippe tota venenum proprie est, ex quo postmodum putrescente carbuncu

lus

losi bubones, & carbunculi vndequaq; ignei, nec non mors ex spirituum corruptione celerima in conspectum feruntur: contagium autem quod hinc prouenit, temporaneum, ac distantaneum est: ex eo enim quod, igniculi inde sublati, atq; è morboso corpore in hanc aeream regionem per quamuis expirationem erupti, suum formale esse diutissime conseruare, ac inde per fomites in remotissimas, ac distantissimas partes comportari valeant, temporaneum, ac distantaneum, tantopere exitiale, contagium efformant.

Ex quibus elicere potes, propter quid febres in hoc genere malignæ, cuius sortis fuere hæ de quibus loquitur, contagiosę, nequaquam esse possint: scilicet quoniam sanguis, qui has producit, vitiosus, propter substantię raritatem, acrimonia careat, quę alioquin ex partium calidiorum densitate insurgit: adeo vt hic idem sanguis, qui nunc contagiosus esse nequit, postmodum per aquosarũ, ac rariorum partium priuationem, talis euadere possit, calidioribus interim angustiorem vnionem, ac densitatem sui nanscişcentibus. tale quid euenit prauiori sanguini, nec non veneno in homine concreto, quale ardenti aquæ, quæ, cum prius esset vinum, per resolutionem humorosarum atq; aerearum partium, medio destillationis, factam, pauca aqua, igneo spiritu vndequaq; fęta, efficitur: in hac quippe calidę omnes vini partes, seruatæ rediguntur, ideo quod vt densiores, sic ad resolutionem minus idoneę, quam raræ existunt. quod si hanc denuo, ac rursus destilles, in paucissimum, eumq; ardentissimum spiritum reducis; qualiter veneno proprie euenire sentimus.

Et quamuis ex pestilentibus non omnes esse contagiosas: etquæ sunt, haud perpetuo esse tales, sed tantum secundum quosdam maleficos ægroti halitus, statutum superius sit: optimum tamen est, quo ad fieri potest, caute cum ægrotis huiusmodi agere; ac quantaquumq; potest prouidentia incedere. alloquor præsertim medicum, velut cui expostulatam à se ægri salutem denegare, & iam concreditum sibi ęgrum deserere minime liceat. iubeat igitur, vt ante cubiculi, in quo iacet ægrotus fenestræ adaperiantur. cominus sedens interroget: & in interrogando spongiolam linteolo venuste obligatam, vel pyxidula perforata inclusam, aceto acerimo (est enim vt tale maleficorum vaporum incisiuum) ante os, atq; nares, veluti pro scuto, teneat. auersis, contangat faciebus. digiti, ad quos contactus pulsuum spectat, sint potius frigidi, quam calidi. & in contangendo sit breuis. omnia eleganter pręstet. Bonum quoq; est domesticos, ac ministros docere, admonere, non tam pro illorum prouisione, quam vt medicus ipsis insinuet, ęque sibi, ac ipsis

pericu-

periculum imminere, & rem vt grauissimam semper prædicet: vt hinc iure discant; quantum in his casibus medico debeant, alia enim ipsi pro medela recognitio, alia longe maior pro propriæ salutis discrimine, debetur. Cæterum, vbi agitur de contagio temporanea, longè se à languentibus continere, optimum censeo præsidium.

De Accidentium febrium iam diuagatarum Caussis.

Cap. V.

CVm igitur proxima harum malignarum febrium caussa non alia extiterit, quam improbus quidam sanguis, non mirum si, putrescens, hasce effecerit continentes. si enarrata produxerit accidentia. Namq; quo ad febres, vbi humor quispiam in vanis, aut quopiam alio in loco totus aggregatus continenter accenditur, ac putrescit, continentem de necessitate excitat febrem. Vnde hic curiosa insurgit speculatio, putruerit ne sanguis iste totus simul secundum sui totum, an per partem post partem. Sentio secundum quandam in primis partem putruisse, successiue accensionem, atq; putredinem creuisse; ac postmodum totam in simul massam computruisse. Declarauit hoc modus, quo febres afflixerunt, etenim primis quatuor diebus non admodum fortes erant; significantes, paucam consequutas fuisse materiam, in maiori copia, cum adaugebantur, quod eueniebat à quarta vsq; ad septimam: at cum maiorem in modum vigebant, quod erat à septima ad duodecimá, tunc reliquum totum simul computruisse, inditium erat euidentissimum.

Sed rursus speculatione dignum est, quę nam sanguinis peccantis pars primum putruerit, cum enim rationabile sit, vt præ copia; non solum in venis magnis, sed etiam in communibus, ac paruis de eo contineretur, quæritur iam, inciperet ne qui in absconditis, an qui in externis venis continebatur, à putredine corripi. Circa quam rem, errare non posse mihi ipsi persuadeo, si dixero hunc in primis putredinem subijsse: successiue qui in communibus, ac mox qui in maximis insidebat. Ratio est, quoniam qui per veras extrarias erat distributus, aduentitiam, putredinis inductiuam, calidita-

tem prius passus est, ante alium, siue ob cutis constrictionem, vt multis frigore seuiente: vsuuenisse vidimus: siue ob quandam plenitudinem. aut immoderatum corporis motum, aut alia de caussa. hinc ratione frigiditatis loci, corporis, inquam, circumferentię (quod enim minus calidum, habetur in philosophia pro frigido) lente putrescebat, ac ob id quoq; non magnam efficiebat febrem, accidentiaq; adhuc non aderant effatu digna; adeo vt in quibusdã ad quartam vsq; videbatur febris iam iam finitura. e contra, si qui in internis considebat vasis, in primis putrescere contigisset, illico magna, ratione caliditatis loci, ac mox copiæ materiæ, excitata fuisset febris: quod cum contingit, vna vt pluri mum febrilis sine rigore emicat caliditas, ad differentiam cum materia in venis corporis ambitus continetur, & iam iam putredinem in se exceptura est, rigor primum in conspectum fertur: ex hoc enim quod humor antequã actualiter putrescat, excalefiat primo vltra modum, rarefiatq; quandam sedi propriæ infert molestiam, explicata per talem alterationem materiæ acrimonia, vnde naturalis calor hinc lacessitus, cogitur ad sui custodiam ad interna confugere, & suo toti adhærere, vt necesse sit, hinc externis sedibus derelictis, refrigerationẽ subsequi, quæ communiter rigor vocari solet, præsertim quando cũ expunctione effatu digna accedit, alioquin refrigeratio proprius vocaretur. qua igitur explicatum est ratione, eadem in principio harũ febriũ refrigeratio rigorue fiebat. nec de cętero amplius talis casus accedere solebat.

Porro ille continuus capitis dolor dupplicem agnoscebat caussam, repletionem austrinam, ac febriles fumos in cerebrum raptos, ac multiplicatos. eadem autem repletio grauatiuum reddebat. qui dolor permultos antea dies quosdam non leuiter afflixit, ex quibus postmodum à morbo correptis, fere omnes interijsse obseruatum à me abunde fuit. indicans antecessus hic dolor austrum in his multam effecisse impressionem.

Deliria ab eijsdem pariter fumis cerebrum mirum in modum opplentibus, ac percalefacientibus producta fuisse, certum est. atquos phrenitides, vel comatosæ corripuerunt affectiones, in his etiam materiam sursum repsisse, & secundum quampiam partem abscessisse pro certo habendum. hoc enim venis cerebri à natura inditum est, vt quod excrementitij, atq; superflui in se habent in cerebrum transfundant atq; eructent. ob id quosdam ab interitu sectos, cerebrũ habuisse cruore perfusum compertum est. quod ijs vsuuenisse experientia edocuit, à quibus sanguis à vena vel nullus, vel non pro ratione fuit missus. tulit autem caput, inter cętera, onus morbosum, tum

tum ex propria affectione ab austris illata; tum etiam ex materiebus sursum raptis, quæ tanto facilius eo se contulerunt, quanto supera hæc arx iã per austros esset debilitata: scimus autem ex Hippocraticis, Galenicisq; decretis, ad sedem calefactam, commotam, atq; imbecillam de facili reiectaneos ferri humores.

Sitis illa vrgens, & crustas intra fauces inducens, effectus erat. nõ purę igneæ qualitatis, qualem biliosi sinceri effundunt humores, sed fumorũ febrilium, qui per asperam arteriam ascendentes, & humiditatibus, à cerebro inibi delapsis adhærescentes, easq; exsiccantes, ad instar crustas efformabant.

Vermes materialem caussam habebant quasdam chili partes nõ probe alteratas, efformatricem vero mixtum quendam calorem, ex ijsdem semiputrescentibus in intestinorum vacuo, & naturali hominis coalescentem. dico semiputrescentibus, quoniam rationẽ frigiditatis loci, huiusmodi partes vere non putrescebant, sed ex cunctatione quandam contrahebant corruptelam, quemadmodum, & in pueris, vt hinc animalcula huiusmodi generari contingat. quæ cum longa sint, facile tibi indicant, consequi loci formam in nostro autem casu, cum ex his vermibus multi essent valde longi, argumentari licet, per vniuersam intestinorum longitudinem extensam adhæsisse inconcoctam materiam.

Quantum ad vrinas, nil mirum si ex his plurimæ rubrum gestassent colorem, sic peccantis humoris qualitate exposcente. quarum alię nebulosæ efficiebantur, ob quandam eiusdem humoris crassitiẽ, ac lentitiam. aliæ turbatæ ac crassæ, quando magna adesset materię copia, vt libere in putrescendo exhalare, ac flammas attollere minime posset: namq; eodem in quali dato humore, poterunt vrinæ nunc nebulas gestantes, nunc vero turbatę, ac crassæ comparere, pro minori, vel maiori humoris quantitate. liberas enim attollit flammas, exhalatq; de facili paucus; multus, ob febrilem calorem quadantenus suffocatum, volutatur, cæceq; ebullit, vnde vt turbatus, turbatas, ac crassas efficit vrinas; præsertim quo crassior cum lentore quopiam extiterit, quoniam crassus valde, ac terreus, crassas citra quampiam turbationem reddit. vnde vrinę crassæ semper malæ sunt, clarescunt tamen in saluandis cum probato colore, vt vsuuenit quoq; vt plurimum in hisse febribus quippe quod nec immoderate multa. nec valde crassa, ac tenax extitit materia: claruerunt etiam in morituris, sed claritate flauescente, ex humorum super coctione resultante. vnde iuniores aduertant, sæpe enim huiusmodi vrinæ, ex crassis clarę redditæ, imponere solent.

Virides porro ſiue claræ, & ſubuirides, etiamſi claræ, lethales ſemper obſeruatæ fuere: indicantes vnam duntaxat improbi humoris colluuiem in talibus redundaſſe. pauci fuerunt, qui tales reddiderant, & hi vt plurimum ad hanc, vel illam bilioſam naturam inclinantes. bileſcentes autem, quibus comparuere, ad nullam, ſic humoris paucitate, ac qualitate expoſtulantibus, deuenere craſſitiẽ, aut turbationem.

Circa ſudores, nil mirum, ſi qui intempeſtiue comparuerunt, nullum ægrotanti leuamen attulerint, redundantem ſignificantes ſeroſitatem, cum ſanguine vitioſo fuiſſe annexam, quæ propterea, vt ad combuſtionem inepta, cum non poſſet à febrili caliditate inſenſibiliter digeri, ad vaporoſam ſaltem ſubſtantiam attenuata, atq; ad vniuerſam corporis circumferentiam tranſmiſſam, per oſcula cutis erumpens, inibi ob ambientis frigiditatem rurſus compacta, aqueos globulos, oſculorum rotunditatem ſequentes, ſudores vocatos, efformauit: qui tamen vt inutiles excipiebantur, quod ſubleuationem vllam non haberent pediſſequam, perſeuerante nihiloſecus in reliquo vitioſæ maſſæ putredine: ad illorum differentiam, qui ſub declinatione fiebant; à quorum eruptione, etſi febris adhuc teneret, quamprimũ tamen illius extinctio in lucem ferebatur: verum ex eo quod abſolute non iudicarent, non iudicatorij, ſed iudicationis nũtij dicendi veniunt.

Vnde quæritur hic, propter quid modo intempeſtiue, modo declinatione inſtante; alias vero declinatione iam conſpicua ſudores in lucem ferantur.

An quod prouenit hoc à maiori, vel minori ſeroſitate, qua moleſtantes ſunt referti humores: nec non à minori, vel maiori agente febrili caliditate. namque in vniuerſum ſudores in febribus nullatenus ſunt expectandi, vbi humor, qui peccat calidus ſine ichore ſit. quo ſi ſit moderate refertus, expectandus quidam ſudor in particularibus, atq; vniuerſalibus febrium declinationibus eſt: & quidem nunc multus, ſi humor modice calidus: nunc paucus aut fere nullus, ſi immoderate calidus fuerit. at ſi humor copioſum ichorem habuerit comitem, & valde calidus extiterit, non expectabis ſudorem vſq; ad declinationem: ſi moderate talis non ſolum in declinatione, ſed per proceſſum etiam febris ſudorem erumpere animaduertes: quoniam in tali caſu, cum calor febrilis aptus minime exiſtat ad tantum ichorem inſenſibiliter digerendum, attenuare ſaltem ad vaporoſam ſubſtantiam valens eſt. hinc in particularibus, atq; vniuerſalibus declinationibus ſudo-

res

res vt plurimum erumpere obseruabis : quoniam cum febrilis calor remissus tunc existat, fit vt ad sudorifice extenuandum consentaneus vndequaq; sit. in declinationibus autem vt plurimum quępiam, vt ad conbustionem inepta, superest serositas. ex quibus colligo ad sudorem efficiendum, calorem perpetuo esse debere moderatum, vel ratione sui ipsius, vel in respectu ichoris, vnde etiamsi fortis esset, mereretur tamen moderatus, si in ichorem in redundantia peccantem agendum sibi esset, dici.

Quibus igitur intempestiui, per nostras febres, sudores comparuere, in ijs de ichore, seu sero plurimum cum prauo sanguine fuisse coaceruatum, quibus autem sub declinatione, in his non æque multum fuisse congestum, exposcit ratio. quod si qui in fine sudarunt, in his paucum adfuisse certum est; tunc enim & eo casu sudor non comparet, quousq; tota inflammabilis, ad conbustibilis materia fuerit per putredinem consumpta.

Quod si humor partim ex inflammabili, partim ex ichorosa parte mixtionem à sui generatione habuerit, puta sanguinem quodammodo pinguem, tunc tota inflammabili parte per putredinem absumpta, reliquum, quod est aqueum, non per sudores, calor quippe prorsus ineptus existit, ad talem, ac tantam copiam attenuare, sed per copiosas, eaq; decretorias vrinas excernitur. tu autem disce hinc excretiones in declinationibus per sudores, ac per vrinas factas, non esse decretorias caussatiuas, sed indicatiuas; quoniam febris non agnoscit ex ichoroide parte sui pabulum, sed tantum ex accensibili, atq; combustibili, qua corrupta, si aquea retineretur, cessaret nihilominus febris. ad differentiam criticæ excretionis, veluti per sanguinem factæ, quę causatiua est, quoniam excernitur id, à quo actualis efficitur febris.

Quo ad sanguinis, è manibus eruptiones, sicuti non mirum, quod quibusdam acciderint, eo quod vitiosus quidam sanguis peccauerit, cuius ebullientis videtur sursum latio esse propria : ita mirum videri debet, quod ex tot, tantisq; à morbo correptis, pauci tamen quodammodo sanguinem effuderint; cuius rei caussam facile hauriemus, si considerauerimus, sanguinem propterea in quibusdam febribus, e naribus large erumpi, quod per putredinem valde accensus, atq; inflammatus sursum (ignea vi sic ferente) rapiatur, erumpatq; postmodum, e naribus, harum venis, quę ad sanguinis superfluitatem excipiendam, atq; expurgandam, videntur deputatæ, reseratis : adeo vt ad hunc raptum, ad hanc sursum lationem, duo potissima concurrere eliciamus; insignem sanguinis inflammationem, atq; eiusdem

idoneam

idoneam qualitatem: quæ duo in nostro casu vt plurimũ a peccante sanguine defuisse ratio insinuat.

Et quidem, quod sanguinis inflammatio, ad sursum lationẽ, sufficiens non adfuerit, caussam aliquali eiusdem putrescentis suffocationi assigno, a quadã vasorum plenitudine coalescenti quam tum rarefactus per putredinem sanguis, tum putres fumi, ægre aereum, præ aliquali densitate, digestionem nanscissentes importarunt: vnde hac de caussa nequiens, ob sublatam sibi liberam euentationem, satis inflammari, atq; attenuari, ineptus reddebatur ad superum raptum. Scimus enim, quod sicuti ignis, si spiraculum non dederis extinguitur; sic cum sufficienter non exhalat, aliqualem pati suffocationem, necesse est: aliter enim euentatum ex modico multum fieri, decreuit quondam in 1. prob. Arist. & quotidiana edocet experientia. hinc non mirum si per raro in synochis sãguinis eruptiones, vt aliter ratio exposcere videretur, vsuuenire videmus, quando in his febribus sanguinem in quantitate perpetuo peccare, sciamus: adeo vt si magna extiterit plenitudo, nulla vnquam ratione effluere obseruabis. id ipsum edocuisse videtur experientia, quandoquidem pluribus, quibus vena fuit secta, & quibusdam quoq; quibus bis secta fuit, sanguinis contigere eruptiones.

Qualitatem quoq; vitiosi sanguinis sursum lationi quadantenus se opposuisse, rationabile est: vult quippe alioquin ex sui natura calidus, ac subtilis sine serositate esse. in nostro autem casu de serositate, ratione imbriũ, continuisse rationi est consentaneum: vt propterea mirum minime sit, si ex tot, tantisq; paucis sanguis effluxerit.

Vnde autem factum est, vt nec per spontaneam, nec ex arte factam sanguinis euacuationem contraheretur morbus, sed nihilosecius perseueraret ad decimam quartam vsq; diem, cum ratio exposceret, vt minorata materia, breuior fieret, plana in sub sequenti capite res fiet.

Porro capitis depilationes, quæ conualescentes cunctos ferme corripuere, radicis pilorum corruptionem consequutas certum est: quæ prouenire potuit, aut quod sanguis, qui immediatum illorum futurus erat alimentum, corruptus fuerit: aut quod corruperit illorum alimentum: vel ob sedis deprauationem, ex austrina humiditate putrente contractam.

Duo Problemata proponuntur, ac discutiuntur, Primum est, vndenam stata harum febrium dierum quatuordecim perduratio prouenerit.

Cap. VI.

ASsummo, nunc soluenda duo problemata præclara quidē, atque vtilissima, sed æque etiam difficilima, quippe quorum resolutio vna duntaxat mentis acie indigeat, quæ in visceribus humanis secondat, per ea diuagetur, rimeturque vndique, quæ quantaque hostilis fuerit materiæ copia, quæ qualitas, quis, qualisque ac quantus eius situs: & num continuus, an intercisus: quis putrescendi modus: ac quanta illius in putredine perduratio, Quam laborem, etiamsi arduum, libenter subeo, cum scopus mei sit, velle, si tamen imbecillæ dabunt vires, in medicina prodesse: ad quod pręstandum, curabo, quoad mihi fuerit datum, nil, quantumuis difficilè, qnod in tractationibus meis occurret, indiscussum relinquere, sed ex meditulio enucleatum lectori repręsentare, ac doctrinam perpetuò nouam in conspectum afferre. qua ratione lectoris captus non solum fiet locupletatus; sed etiam super re, fundamentaliter cognita, placatus quiescet: cum philosophice scire, sit rem per suas caussas cognoscere. vnde Galeni illi dicto adhærere numquam potui, quod scriptum sic inuenitur, quod nulla necessitas te vrgeat, ad principia scientiæ comprehendenda, cum iam frui possis, quæ ex scientia prouenīūt. hæc Galenus, qui si vere principia, vel res per sua principia nobis tradidisset, vtiq; non exteriorem, sed interiorem medicinam, alioquin adhuc absconditam, atq; ob id perfectissimam nobis reliquisset. *in 3. d. crif. c. 8.*

Caussam igitur statę istius dierum quatuordecim perdurationis effectricem, sicuti certissimum est, non aliam fuisse, quam febrium materiam: ita incertum prorsus est, quomodo hęc determinatā effecerit perdurationem. namque sola illius quantitas non potuit esse caussa: quoniam æque perdurare in putredine nata est pauca, ac multa materia, si illa crassæ, hæc verò tenuis

substan-

ſubſtantiæ extiterit. ſic paruæ molis lignorum craſſorum faſciſculus igni expoſitus, poterit in combuſtione perdurare æquè, ac maximę molis alter lignorum ſubtilium. igitur cum ſtata quadam materiæ quantitate, iunctam quoq. fuiſſe ſpecificam qualitatem, ratio dictat.

Sentio igitur, vitioſum illum ſanguinem (quo ad quantitatem ſpectat) ſatis copioſum extitiſſe: adeo, vt, non ſolum de eo cõtineretur in venis magnis, ſed etiam (ſaltem in quibus recidiua minime contigit) in communibus, ac per ambitum corporis exporrectis; cuius tamen primariam ſedem vaſa fuiſſe magna certum eſt: quandoquidem tàm in his excremẽta quoquo pacto generantur, tùm potiſſimum ſtabulantur. fit autem, vt, cum vaſa hęc, in generatione cuiuſpiam excrementi, referta ſint, ſenſim quoque ad communes, ac particulares circumferentiæ corporis venas, nedum ad communem cloacam de excremento mittant.

Quo ad qualitatem, percalidæ atque humidę extitiſſe, conſtitutionis dominantis natura, ac febrium accidentia declarãt: ſubſtantiæ vero quodammodo diſſimilaris fuiſse, craſſæ nimirum, ac tenuis ſubſtantiæ, vt in excrementorum redundantijs uſuuenire ſolet, ratio ipſa inſinuat; vtramque hanc quippe qualitatem, quanta vtraque extiterit, argumentamur, tum ex ſede; craſſę etenim eſt, in magnis conſidere vaſis, tenuis, in exilibus: vterque autem locus fuit in his febribus peccãti ſanguini communis: tum ex febre, nihilominus poſt ſanguinis euacuationes perſeuerante à craſſa illius, tenui iam euacuata, parte pendente.

Verum etſi talis, ac tanta extitit huius humoris quantitas: ſpecificaque hęc fuerit temperiei atque ſubſtantiæ qualitas, non tamen adhuc ſequitur, quod inde certa cõſequi poſset dierum quatuordecim perduratio: ſi etiam modus, quo accenſionem, ac putredinem in ſe excepit, nõ confluxerit poteſt enim humor quiſpiam tantus, ac talis eſse, & nihilominus in putredinis perduratione euariare, ſi vel partem poſt partem, vel totum ſimul computreſcere contingat; manifeſtum eſt enim, quod breuiori longè tempore putreſcet, & conſumetur, ſi totus ſecundum ſui totum, quam ſi per partem poſt partem à putredine appræhendatur. quamobrem modus quoq; quo putruit conſpicandus venit.

Rectè autem in ſuperioribus fuiſse dictum, arbitror, prauam hanc maſsam, accenſionem ſui primo ſecundum eam partem,

quæ

quæ in venis circumferētiæ corporis, mox quæ in interioribus, vel comunibus, ac successiuè quæ in magnis continebatur admisisse: loci enim differentia diuersam quadantenus locati naturam statuit. quarum quidem massæ partium, cum multoties sit mentio facienda, propterea libet singulis his nomen proprium assignare: namque massæ, vitiosiue sanguinis peccantis partem in extraria circumferentia contentam, exteriorem seu extrariā; ad differentiam eius, quæ statim consequitur, quam interiorem: profundam vero, seu absconditam, quæ in magnis insessit vasis, vocabimus.

Sed dum extrariam prius, intrariam posterius, ac successiuè profundam putruisse dictum est, velim ne intelligeres, quod interior non prius accenderetur ac putresceret, quam exterior exacte fuisset putrefacta; & sic pariter abscondita, ante absolutam interioris putredinem; quoniam interim quo extraria putrescebat, interior disponebatur, successiueque accendebatur. eadem ratione, quæ in profundo occultabatur, accensionem sui admittebat, antequam interior ad exactam veniret putredinem, sic cōtinuo materiæ situ ferente: cuius etiam ratione partem materiæ preputrenti succedaneam, cum ante aliam sui gregalem fuisse dispositam, sic quadantenus prius accensionem sui excepisse, rationabile est, ac sic successiue; adeo vt, cum materia ista continenter putruerit, continentem quoq; excitauit febrem.

Num autem ad constituendam hanc determinatam dierum quatuordecim perdurationem, alia re opus fuerit? sane quidē; neque enim satis fuit, vt materia tanta, talisque fuerit; hocque & non illo modo putruerit; sed inter alia optatum fuit statum eius in putredine perdurationis spatium. si enim vel ante, vel post statum hoc tempus consumpta per putredinem fuisset materia, sequuta minime fuisset determinata iudicatio: verum cum non tota simul, sed partiatim putruerit, quæritur nunc, qua ratione res ista se habuerit.

Et quidem si febrium series, qua incessere normam nobis rei istius non dedissent, perquam difficile esset, hoc recte posse definiri. hinc igitur hoc conspicato, sentio materiā in corporis ambitu contentam, quatuor circiter dies primo consumpsisse, antequam interior à putredine fuisset correpta: ac successiue tres alios ad sui exactam putredinem exigisse. & tres circiter intraneam in putredine prius perseuerasse, antequam abscondita putrem contraheret motum, adeo vt, quo circiter tempore hęc à putredine fuit correpta, circumferentialis exactam sui consum

ptionem nanfcifcebatur. Præter dictam feriem ab humoris qualitate roboratam, infinuarunt quoq; nobis id ipfum febrium reuertentium acceffiones, quę cum ambę diebus feptem feorfim terminarentur, iunctim dierum quatuordecim iudicationem ftatuebant. inditium euidentiffimum humorem peccantem ad fui totalem confumptionem feptem popofciffe dies: breuis enim contractufue erat illius humoris fitus, ad breuitatem efficiens, vt in fubfequenti capite videbimus.

Quamobrem cum humor, feu humoris pars, in corporis ambitu contenta, feptem ad exactam fui putredinem expofceret dies: & femptem alios expofceret pars profunda, fit vt in totũ quatuordecim dierum fpatium coalefcens, ftatam harum febrium iudicationem efformauerit.

Ex eo autem quod materia intrufa ab antecedentibus flammis ad putredinem, atq; fui ipfius confumptionem valde effet difpofita, factũ eft, vt iuncta infuper percalidi loci qualitate, ftatim atq; accenfionem admifit, tota illicò in putres abierit flammas, citioriq; propterea tempore pro maiori parte ad abfolutam peruenerit fui putrefactionem. fic lignorum fafciculus in clibano impofitus citius comburitur, fi clibanus percalidus, & ipfa infuper ligna difpofita fuerint. Qua citiori ftante, pro maiori parte, putrefactione, factũ eft, vt plurimæ ex his febres poft vndecimam, declinationem acceperint: abfolute autem quarta fupra decimam die iudicarentur, craffiori interim, quæ fupererat, parte exacte putrefacta. quibus enim fummum quoddam febres vfq; ad hanc diem retinuerunt, par eft factum hoc fuiffe vel ob quantitatem paulo magis redundantem, vel ob qualitatem non æque combuftibilem, vel ob errata in victu; quod verifimilius non fine ratione arbitror.

Hęc cum germana, ac fundamẽtalis extiterit de terminatæ iftius iudicationis cauffa, quæritur, cur, nec per fpontaneam, nec ex arte factam fanguinis euacuationem cõtraheretur hæc iudicatio, vt alioquin ex cauffæ productricis minoratione videbatur fubfequuturum. An quod, etfi in vniuerfum fecundum eius molem minoratus fuerit fanguis, non tamen hoc ipfi fecundum eius extenfiuam dimenfionẽ euenit: non fuit, inquam, contractus, atq; abreuiatus eius fitus: ab hoc enim fpecificum in putredine perdurationis tempus, ac confequutiue determinatum iudicium refultauit.

Accedit quod, cum per hanc, vel illam euacuationem fanguis effluxerit minus vitij, ac prauitatis in fe habẽs, atq; idcirco tenuior, par prauior, vt craffior, fic naturali inclinatione ferente, relicta eft, nõ obftante fanguinis euacuatione ad ftatum fui in putredine per-

durationis

durationis tempus perseuerauit. hinc quod in adolescentulis,ratione qualitatis caloris,non illam prauitatem,ac crassitiē preseferret; proficui tātopere fuere sanguinis fluxus. Negari tamen nequit,quin multo minus graues fierent febres: arcerenturq; multa symptomata,ad cerebrum prǽsertim spectantia, quæ alioquin,absq; tali sanguinis euacuatione, cōfertim accessissent:vt declararunt,quibus saluberimum hoc presidiū,vel nō rite, vel nusquequaq; fuit adhibitū.

Problema Secundum

Cur ex febribus istis non paucæ, vbi per septem dies afflixissent accessarent ac rursus per septem alios affligerent.

Cap. V I I.

Recidiua tantopere admirabilis,quam 2. in 1. ep. t. 86. exactissimus obseruator Hippocrates,ad nostram doctrinam quibusdā ægrotis accidisse narrat,normę mihi fuit,serio obseruandi,quid sibi vellet harum febrium recidiua,vnde tenderet,quæ qualisq; existeret.quo à me præstito,nō fuit mihi arduū huius recidiuæ caussam, quāuis difficilimā,mēte statim cōcipere: ex eo scilicet qđ iā adinuēta,atq;explanata à me fuerit in lib.de febribus,germana, ac fundamentalis recidiuæ illius Hippocraticæ caussa.qđ opus vbi digestionē acceperit,fortasse luci expositū,nouo ordine,atq; ex noua prorsus doctrina cōfectū videbis. Modo autē istius recidiuæ caussa mēte iā cōcepta in cōspectū cuiusq;est ferēda,clarū autē est, quod cū duæ hæ accessiones,vnā alioquin febrē efformātes,seiunctim afflixerint, seiunctā quoq; materiā illarū pductricē fuisse insinuarūt:nulla enim intermissio accedit,vbi materia sibi ipsi cōtinua: & propterea intermittentes febres,ex eo qđ à materia pēdeāt disgregata,intermittant. Duos igitur reuertētes has febres habuisse focos,pro cōstātissimo habēdū:quorū materia cū in altero horū putrescebat,febris effulgebat:soluebaturq; tunc,cū materia fuisset absolute putrefacta.& denuo,ab intermissione quorūdā dierū, alterius foci materia accēsa febrē excitabat,vsq;ad totalē sui cōsumptionē;à qua postmodū iudicatio totalis sequebatur. vnde etsi duæ excitissent febriles accessiones,duæue febres,vnā tamen tātū coaluisse febrē productrix dictat materia,& Hippocratica, Galenicaq; cōsentit auctoritas.

Qui autem, qualesq; fuerint hi duo foci, sentio, alterum cauam ascendentem, alterum descendentem cum suis ramis extitisse, in his quippe inalteratæ chili partes, excrementaq; cum sanguine genita coagregari, stabulari, ac tandem etiam impermixta fieri solent. Nec mirum cuiquam videatur, quod superfluitas aliqua in altero horum foco putrescat, foci alterius salubri alia degente: quoniam præterquam quod quotidiana hoc edocet experientia, & Hippocratica firmat recidiua: insinuat quoq; ratio, vt ex congesta in duobus focis materia, illa accensionem in primis sui admittat, quę prius altera disposita ad accensionem fuerit.

Vnde hac de caussa arbitror, quæ in ascendente, vt calidiori, prius quam quæ in descendente caua, continebatur, vt plurimum putruisse: videtur hoc insinuasse prior febris, quæ vt plurimum etiam grauior, ac molestior superiori extitit ventri. Quod si cui placeat, vtramq; cauam pro altero, portam vero cum suis ramis pro altero foco statuere, nihil moror. & profecto ex his quędam visę sunt inferiorem potissimum ventrem cum alui turbatione, non parum molestasse: aliæ superiori, & pręsertim pręcordijs infensæ fuisse.

Sed inquisitione dignum est, Cur hisce febribus, ex hoc, quod duos habuerint focos, sublata continuitas, & sequuta earum fuerit intercisio. An quod, sicuti hi duo foci, qui venas duntaxat intrusas cum suis truncis dicebant, seiuncti inter se fuere, sic seiuncta earum produ[c]trix materia fuit: ad differrentiam perseuerantium, quarũ materia, cum in vniuerso insideret venenoso genere, continuitatẽ præseferens, continuam excitauit febrem.


Cur, dicet quispiam, in febribus hisce intercisis, vitiosus, earum caussa productrix, sanguis, in statutis duntaxat vasis magnis sedem habuerit: quare ad extraria quoq; non fuit de eo missum. Dic, factum hoc fuisse vel ob quantitatem eius non grandem: vel ob substantiæ crassitiem; vel vtraq; de caussa. Igitur, subdet quis, quotiescumq; humor quispiam fuerit adeo crassus, vt nequeat in parua trudi vasa, succedent semper intercisæ, & reuertentes febres. Negatur quod perpetuo euenturum sit: compluries enim fit, vt cõtinua suboriatur febris, ideo quod humor continuitatem aliqualem seruet, iecoris medio aut ob quampiam communionem. siue quod supera, atq; infera humoris pars vno, & eodem tempore à putredine corripiatur, aut quod altera pars à putredine ante aliam correpta, non prius ad exactam veniat putredinem, quam altera quoq; à putredine apprehendatur: hinc postmodum fit, vt febres, quæ primo fuere simplices, compositæ efficiantur. vnde ex parua magna, ex periculosa lęthalis admodum insurgit febris. quemadmodum

modum tertianis quoq; sæpenumero vsuuenit, quæ simplices inchoantes, duplices postmodum efficiuntur.

Quod autem in his interruptis febribus, humor non per totum venosum genus, sed in absconditis duntaxat vasis contineretur, disce hoc á stata septem dierum harum duarum febrium perduratione, quæ in totum dierum quatuordecim indicatione statuit. breuis enim partialis hęc dierum septem iudicatio, non ab alio prouenit, quam á breui situ, quem humor occupabat: talem autem definiuerunt vasa iam dicta: vnde statim atq; accēdebatur, totus secundum sui totum in putredinem abiæns septimo ab accensione sui die, absolute putrescebat.

Nulla autem circa statam dierum septem iudicationem admiratio quempiam teneat, quoniam istius vitiosi sanguinis qualitas, vt ostēsum est, sic tulit. vnde dato, qđ in vtroq. fomite paulo minus, aut paulo magis, vel qđ in altero paulo copiosius, quã in altero, de vitioso humore, fuisset cōgestũ, vna tamē æque septē dierũ sequuta fuisset iudicatio, qualiter duos lignorum, inqualitate minime differrētium, fasciculos æquali igni vno, & eodem tempore seorsim oblatos. & accensus, cineritiam æqualiter consequi consumptionem, experientia commonstrat. non inficior tamen; quòd sicuti copiosiora ligna maiorem de se attollunt flammam, sic á cumulatiori putrescente humore maior non excitetur febris, quin immo quadantenus etiam extensior, si is valde copiosior extiterit. vt ob id non mirũ, si ex ęgrotis alij grandiorem, ac molestiorem, alij leuiorem experti fuerint morbum.

Quod autem intermissionis spatium varium extiterit, quando in pluribus septem, in alijs quatuor, ter in quibusdam diebus intermiserit, effecit hoc tardior, vel citior peccantis sanguinis ad accensionem dispositio. aut quod, cum dispositionis, ac subinde intermissionis tempus fuerit vt plurimum dierum septem, acciderit, vt accessu cuiuspiam caussę calefactiuæ, veluti vini potus, humor ante tale tempus accensionem sui nactus fuerit.



Quot,

Quot, qualesq; fuerint Scopi Curatiui Qui pro harum febrium ablatione ad vsum fuere reducti. De primo, &c. sanguinis euacuatione.

Cap. VIII.

CVm igitur harum vulgarium, atq; austrinarum febrium facies talis exciterit, talisq; se factitanti medico obtulerit: non ægre fuit salubria adinuenire, atq; adhibere remedia, à quinque potissimis scopis desumpta. cum enim genitus per constitutionem sãguis qualitate, ac copia simul peccaret, illico scopus in conspectum se obtulit, sanguinem hauriendi. Cui purgatio pro secundo scopo immediate accessit, ad expurgandum non solum quidquid infra iecur, aut saltem infra mesenterium depositum, atq; aggregatum de chilosis atq; humorosis superfluitatibus fuisset; sed etiam si quid de peccante humore secretum, atq; inibi depositum esset. Tertius vrgebat scopus ægrum refrigerandi, febrilemq; calorem, ac sitim compescendi. Quartus ad putridas densasq; exhalationes, venas, atq; arterias, corq. ipsum opplentes, aliaq. mala patrantes, soluendas atq. fugandas erat directus. Quintus circa victus rationem versabatur. hisce potissimis in sum à medico rite, ac recte voxatis, certa ferme ægroti cuiusq. salus in conspectum ferebatur.

Quo ad sanguinis missionem, liberalissime hæc in vniuersum celebrabatur. sanguinis vitium hanc insinuabat: copia indicabat: febris exigebat: experientia edocebat. vitium tolli non poterat absq. sanguinis euacuatione, quam copia necessario volebat: & cui febris subscribebat, quando legem Galenicam habeamus saluberimum esse in putridis febribus venam secare. quam quoque euacuationem, copiosissimam, inquam, vt vtilem experientia non solũ comprobauit, sed etiã copiæ normam edocuit. Nã que cum primum moderata, ac quæ de vsu esse solet, mandaretur barbitonsori sanguinis musso, nullatenus proficua obseruabatur, ac si nulla tẽtata fuisset: febris quippe nihilosecus eminebat minitans, symptomata in conspectum ferebãtur furentia quod cum fuerit ascribente medico animaduersũ, communi vnciarum relicta sanguinis euacuatione, libras auferẽdas

manda-

mandatũ de cętero eſt: quæ res poſtmodum, vt ſaluberima, ſic perpetuo fuit obſeruata. & quid mirũ? peccantis ſanguinis copię vndequaque extitit conſentanea. cui copiæ triplicem aſſenſiſſe cauſſam comperio: conſtitutionis primo qualitatem calidam, & humidam, quæ cum ſanguificantis viſceris temperiei proportionata ſit: atq; huius ſcopus veluti ſit ſãguinis redũdantia, cõſequuta ob id eſt quędam ſanguinis copia. quã pro ſecunda cauſſa ſtabiliuit, ac quodammodo adauxit eiuſdem ſanguinis vitioſitas, ac fæditas: ſicuti enim ſi in vas claræ ac ſplendentis aquę, alterius craſſi liquoris quampiã portionem inijcias, aquam non ſolum vitiari, ſed etiam mole adaugeri obſeruas. His duabus acceſſit alia, quæ, etſi accidentalis extitit, abundantiorem tamẽ ſanguinis euacuationem, præter alias, inſinuabat, quia immo cogebat eſſe moliendã. erat hæc ſanguinis per ebullitionem rarefactio, quę cum intumeſcentiam, cuius eſt multum loci ſpatiũ capere, importaret, propterea repletionẽ in extremo quodã ſtatuebat: ad inſtar aquæ, quæ frigida exiſtens, parum loci ſpatium occupat; rarefacta per ebullitionem, maximum: adeo vt, ſi lebetem aqua ſemiplenum forti igni exponas, iam iam ebullientem, atq; turgentem ſuperfundere aquam vides.

Tali igitur ſanguinis copia ſic ſtante, quid mirum, ſi ſanguinis euacuatio de more facta, nil, aut minimũ conferret? ſi copioſa valde proficua exiſteret? ſic cum natura critice mouebat, non pellebat ſanguinem ad vncias, ſed large pellendo, ad libras euacuabat.

Porro etſi in genere ſanguinis miſſio liberaliſſime celebraretur, metiebat tamen hæc iuxta hominum ætatem, ac temperamentum, adeo vt quam longe minus ſenibus quam iuuenibus: minus atrabilaribus, ac bilioſis, quã ſanguineis de sanguine hauriebatur: his enim copioſiſſime detrahebatur, ijs parce, præſertim ſi valde maligne laborare viderentur, ita vt recte iudicatum fuit, quibuſdam ex his, nil per ſectionem haurire. minus adoleſcentibus, quã iuuenibus: ſucceſſiue minus ętate conſiſtentibus; ac conſequutiue ſenibus. Quidã etiã carnoſi pueri, duodecimũ agẽtes annũ, venæ ſaluatellę ſectioni ſalubriter fuere expoſiti. alijs eminẽtiori venæ cubiti hirudines de more affigebantur. *Quãtitas ſanguinem mittẽdi vnde de ſũmebatur.*

Sanguinis detracti quantitas ad pondus librarum trium, viſa eſt quibuſdã iuuenibus nõ fuiſſe ſufficiẽs, ex larga, eaq; ſalubri poſtmodum ſequuta ſãguinis per nares eruptione: vnde huiuſmodi, euacuationi inſuper hæmorrohidali fuere cum ſalubritate expoſiti.

In duas detractio ſolebat partiri vices, dupplici, inquam, venæ ſectione, in bracchijs facta, ſanguis emittebatur, quarum altera mane in dextro; veſperi altera in ſiniſtro: vel ſi veſperi prima, mane ſub- *Modus*

ſequenti

sequenti secunda,immisso interim clisteri,celebrabatur. adolescentulis altera in cubiti vena,communi vt plurimũ,altera in saluatella sectio fieri solebat.senes pro annorum,complexionis,viriũ,& morbi ratione tractabantur, alij quidem per saluatellæ sectionem,alij per hæmorrohides.

Tẽpus

Tempus istius remedij, quodcumq; ferme aptum reputatum fuit,exceptis quibusdam ab assumpto cibo horis, siue magna, siue parua teneret febris ad actum reducebatur. multa intererat saluberimum hoc tempestiue exequi: quod neque ab intensa admodum febre fuit vnquam retardatum,vel omissum: quando tali præsertim tempore proficuum extitisse experientia edocuerit. & racio adstat, quoniam,cum tunc temporis maior fieret sanguinis ebullitio,maior quoq; in ipso efficiebatur conturbatio; cuius ratione excrementitiæ superfluitates, maiorem in modum cum sanguine motæ atq; confusæ,ab aperta vena facile educebantur, quemadmodum videmus aquam in fundo continentis vasis, fæces in se habentem, ex ebullitione,vel alia agitatione, cum prius esset clara,conturbari, fæcibus sursum latis,ac cum liquore confusis: adeo vt si tali tempore aquam à vase effundas, fæces insimul effundi, animaduertis.

Et quamuis ex vsu sit ante venę sectionem, clisterem præmitti, aluo tributum minime reddente: nihilominus, cum in tanta ægrotorum copia in paucis id exequi posset,sanguinis tamen missionem perpetuo salubrem successisse obseruatum abunde fuit. Erat in summa remedium istud tam salubre, ac celebre, vt nullus etiamsi puer ex ægrotis,qui mei iuris erant,id renueret, nullus non ambiret,cuncti libentissime bracchium barbitonsori incidendum porrigentes,ferme certissimi salutem ex hoc remedio, quod salutare vndequaq; experiebatur,consequuturi.

Dictum (mei iuris) quoniam multi ex alienis terris, adeo hoc formidabant,metu papularum, peticularumue, has febres consectantium,vt quidam ex his eligerent potius interitum ipsis minitatum subire, quam saluberimo se subijcere remedio. Adeo hi venæ sectionem abominabantur,adeo inuisam habebant, vt etiamsi papulæ non adessent,nec vllatenus apparerent, quidquam tamen de hac audire minime prorsus poterát, vt certissimi mortem accepturi,si alioquin sanguinis missionem admisissent.

Et quidem non miror quod vulgus hominum remedium istud, tantopere in tali casu proficuum, extimescat, loquitur enim ex traditione à medicis emanante. sed fortissime admiror, quod ex quo lethalissima de peticularum per sanguinis missionem,retrocessione opinio in medicina suborta est, maior medicorum pars huic insulsissimę,

ſimæ, atq; exitioſiſſimæ opinioni perpetuo adhæſerit. quę apud quoſdam medicos in tanta creuit exiſtimatione, vt etiamſi non dum appareant, à venæ tamen apertione ſe abſtinent, ſi febris ex periculoſis ſit: vel vnum elucens ſignum, fortaſſe neque periculoſum, pro euidenti habeant pericularum eruptione, cum mulierculis proinde exclamantes periculas exire, comparere, adeſſe, quaſi tot ſerpentes, tot dracones, tot baſiliſci exiſtant, illico mandantes (erubeſco talia fari) vt ſtragulis, pellicijs, indumentis præſertim rubris ægrum cooperiant. hincq; ſtatim ad cucurbitulas, in tali caſu prorſus exitiales, ſcarificatas, ac ſine ſcarificatione repetitas deueniunt, vociferantes tali remedio, morbum, venenum exhauriri, non animaduertentes, quod languentis animam hac arte exhauriunt. An neſcis tu, qui id ꝑpetras, ſigna hæc non à veneno, non à prauiori, ſed tenuiori, & amabiliori peccãtis humoris, peccãtis ſanguinis portione efformari? inditiũ tibi ſit euidentiſſimum, quod nullam omnimode exanthemata præſeferunt acrimoniam, ſi hanc per cucurbitulas extrahas non ne acutiorem atq; ardentiorem reddis febrem? dilutiori, ac tenuuiori parte vitioſo ſanguine orbato, quando talis pars ex ſene ſit febri infeſtiſſima. Nonne rurſus hanc grauiorem, ac peruicatiorem facis, validas inducendo obſtructiones, tantopere à Galeno damnatas, dum copioſas per cucurbitularum appoſitionem ab amplis vaſis in vaſcula carnium attrahis ſuperfluitates? nonne ſimul craſſiorem peccantis materię partem, compactam, ac ſic ſuperatu difficiliorem ex Hippocrate reddis? nonne amplius ſymptomaticę excretioni, lege medica alioquin vetante, manum porrigis? ſigna quippe hæc crudo exiſtente morbo comparent, & decretoria non ſtatim elucere Hippocraticum, Galenicumq; decretum vulgatiſſimum eſt. nonne demum prępoſtero ordine medicinam facis, dum particularia ac topica, ante vniuerſalia adhibes remedia?

In 4. d. m.

In I. d. off.

Scriptum à me alibi eſt, pericularum ſeu exanthematum materiam non aliam eſſe, quam tenuem peccantium humorum partem, quam natura, quæ ſui ipſius leuamen perpetuo quærit, ad extrariam amandat ſuperficiem, quę à cutis oſculis erumpens maiori ex parte inſenſibiliter exhalat, craſſiuſcula præ frigiditate inibi compacta reddita, exanthemata de ſe efformans, non quod natura tenuem emittens ex induſtria partem craſſam intus relinquat: ſed quod nequeat hanc præ craſſitie expellere, & in cutem deponere. Vnde deduco, ſi aquea, ac tenuis hæc materia in cutem iam erumpens per venæ ſectionem retrocederet: vel erupta retrocedere poſſet, duplex inde inſurgeret vtilitas: ſanguinis ſcilicet fluiditas, ob quam

In 1. d. poſt. m. c. 14.

facilius sanguis per incisam cum suis fæcibus erumperet venam: minorq; febris ardentia, ab hac alioquin dilutiori parte, febre quadantenus castigata.

Nullum igitur inconueniens, papulis erumpentibus, vel eruptis, venam secare est, quin immo vtile, ac proficuum.

Cui rei, rationi vndequaq; consentaneæ cum perpetuo adhæserim, in hoc tamen morboso statu, cum casus se obtulit, in vsum præsertim vocaui. namq; cum in cunctis ferme laborantibus, quibus conueniebat, tempestiua celebraretur sanguinis missio si qui tamen antequam essem vocatus, vel alia de caussa, exanthematum toga, nondum aperta vena, essent insigniti, liberali ęque sanguinis missione tractabantur, conuocatis sępenumero ad hoc spectaculum ex industria pluribus. edicto etiam barbitonsoribus facto, vt repressο muliercularum (siqua esset, quæ reclamasset) de periculis clamore, venam intrepide secarent. quod cum aliquoties ad actum cũ ægrotantis salute fuisset reductum, euanuit breui vox ista de periculis, nil postmodum à gente formidatis.

Cucurbitularum vsus, quendo. Cæterum alia etiam media, sub hoc chirurgico genere militantia, non quidem pro sanguinis euacuatione, sed alijs intensionibus directa, vsurpabantur, vbi post vniuersalia remedia in processu morbi adhiberi talia expediret. etenim si in cerebrum ex pullulante delirio, vel simili affectu de materia irrepsisse videretur, mandabatur, vt cucurbitulæ quatuor dorso non scarificatæ, pro reuulsione: duæ aliæ supra spatulas scarificatæ, proderiuatione apponerentur. atq; hoc prestito, hirudines statim iuxta aures affigerẽtur, permittentes, vt à tribus ad vncias quinque circiter de sanguine hauriretur.

Duo alij casus medicum ad cucurbitularum tali tempore appositionem impellebant: alter, vbi secundum vniuersam corporis circumferentiam de acri quadam caliditate conquereretur ęger: tunc enim ab imis coxis, ascendendo ad spatulas vsque, cucurbitulis veluti onerabatur, dorsalibus cunctis, ad extrahendam materiam sub cute contentam, scarificatis. alter cum in profundo fębrilis caliditas potissimum vigeret, dorso totis sed sine incisione affligebantur: clisteri perpetuo, aluus si esset minime fluida, præmisso. quo etiam casu leues inferioribus partibus frictiones mandabantur.

Vesicantia quibus minime conueniant. Vesicantia paucissimis admodum fuere adhibita, cum sentiam paucissimos esse casus, in quibus, febribus diuagantibus malignis, conueniant quando pestilentibus magis consentanea existant. Biliosæ enim naturæ, percalido affectu detentæ, hæc

renuunt,

renuunt, ne is alioquin ex calidissimo medicamento magis incandescat. sic in febribus, quas humorum multitudo parit, inutiliter alligantur, etiamsi de materia quidpiam attraheretur. Sentio pariter ab ijs esse arcenda, quæ etsi grauiter se habere videntur, certa tamen quodammodo conspicatur salus. quęadmodum, & ab ijs, qui inditia pręseferentes, nil si alioquin fuissent alligata, esse profectura, ad interitum ferme certum paulatim tendunt, ne alioquin infametur remedium, quod si quando res exigat, cum maiestate, quadam est adhibendum.

At in duobus casibus vtiliter posse adhiberi arbitror, alter est cum vitalem facultatem non parum laborare, & quandam pati opressionem contingit, ad noxiorum à corde deriuationem, vel diuersionem: quam, etsi iuxta communem appositionem, siue noxia hæc sint malefici vapores, siue praua materia, ab hoc medicamento ægre obtineri posse sentiam, ad actum tamen reducendum est, ne quid ex præsidijs intentatum relinquatur, pro principi auxiliando, ac conseruando membro, quod in medio corporis humani tanquam pro tribunali sedens, perenni, ac viuifico sui motu, vnicuiq; membro, vnicuiq; parti de proprio calore, pro quadam veluti recognitione, impertit, ac tribuit, vnde vita hominis eminet, ac conseruatur. quod tamen cum decore moliendum est, publica quadam medici declaratione, febrem illam ex valde malignis esse: non posse aliud expectari, quam vt interitum languenti quamprimum afferat: vnum superesse remedium, à quo etsi non certa morbi sublatio, saltem sperari salus, alioquin desperata, potest; & hoc esse vesicantia, ad quæ, tanquam ad triarios, rem deuenisse manifestatur. esse igitur ad actum reducenda, ne prælium, in quo de summa rei, de salute inquam ægroti agitur, deseratur. *Casus in quibus cõueniant.*

Tempus vesicantia alligandi, tunc appositissimum censemus, non ante vrgentiam, sed cum res vrget. quandoquidem quęuis reuulsio, aut diuersio à vesicantibus fiat, fit propterea ob calorem, ac dolorem, qui sedi inducitur: quem idcirco, ratio dictat, excitandum tunc duntaxat esse, cum res vrget. vnde si ante vrgentiam hunc ad actum reducis, fine, quem intendis, frustraris, acri iam euanita, ob quam noxia à corde retrahi intendis, caliditate. fieri etiam potest, vt cũ primo iudices, vesicantia esse oportuna, in febris postmodum processu *Quãdo sint adhibenda*

2. Oph. 19. aliter ostendatur: sunt enim ex sene acutorum morborum prænunciationes, ac iudicia non omnino tuta. iunge quod remediorum qualitas morborum consistentiæ respondere debet, ex eodem. vnde 1. aph. 6 cum remedium istud sit quoddam maximum, atq; extremum, morborum principijs, aut ascensui primo non dum respondet: debet igitur vrgentia duntaxat elucescente vti.

Vesicantium alligationis locus, in primo casu. Locus, quo vesicantia apponuntur, solet esse desuper manuum, ac pedum artus: à quibus tamen ad cor vsq; vesicantium facultatem peruenire ob longiquitatem posse, dubitatione minime caret. sed quæstione hac omissa, aptiorem in hoc casu existimamus sedē, vt ab experientia didicimus, supra coxas, vbi pestiferi bubones attolli solent, non solum enim diuertunt, sed etiam de noxijs ad sedem attrahunt, & expurgant: præsertim cum locus iste, ad excrementa, quæ inter iecur, & inguina continentur, excernenda deputatus videatur. quo casu si alia duo manuum artibus alligari iubeas, nihil mihi. sed non inconueniens fuerit, nouam vesicantium alligationem tibi repræsentare, quam bis, iuxta hepatis, ac lienis regionem secundum latera (posterior enim pars incommoda est) factam, febre cæca, pauci caloris, & vndequaq; maligna hominem tenente, sum expertus: adeo vt spes duntaxat aliqualis per quandam veluti disperationis rimam conspicabatur. ex quarum certe altera euasit æger. ex altera, post nigrefactam, ac corruptam à virulenta materia vesicatam sedem, cessit tandem languens, plures saltem dies à tali expurgatione agnoscens.

Locus in secundo casu. Alter casus, in quo vesicatoria conuenire sentimus, est, vbi in febre à lethargica quapiam affectione, vel segni delirio languens corripi incipit. igiturne alte radices infigat, firmeturq; humor, quamprimum affligenda sentio, non quidem extremis, vt de more fit, partibus, sed supra humeros, æquali ferme, inter collum, ac brachiorum radicem, distantia. Qui locus, etsi alligationi incommodus videatur: recte tamen artificiosa falcia, indusio inibi scisso, adaptatur: qua ratione deriuant, & expurgant nocentem humorem: cuius affectus, si quidem adeo grandis sit, vt vicem primarij gerat, & totam curationem videatur exposcere, affigenda insuper post aures duo alia paruiora, sunt: aut si conuulsio quæpiam elucescat, occiput pro sede eligatur. interimq; aluus, quo ad fieri potest, fluida seruetur.

Vesicātiū materia. Materia autem, quæ cantharides cum sinapi vel euphorbio excipit, etsi plurimum vetus fermentum, cum aceto squillitico solutum, accipiatur; vbi tamen locus parum cōmodus ad alligationē videtur, relicto fermēto, cū cera, terebentina, & resina q. s. rectius cōficiuntur, & loco firmentur.

De

De Secundo Scopo, Curatione.

Cap. VIIII.

SCopus iste dupplici vt plurimum tempore locum habebat; in morbi principio post venæ sectionem, atq; eius declinatione. erat expurgationis in principio molitæ intentio, vt quidquid infra iecoris cauam superflui, ac præternaturalis contineretur, per aluum expurgaretur: in hac enim regione, quæ est tanquam communis corporis humani cloaca, non solum dum sanus degit homo, sed etiam dum ęgrotat pręternaturales superfluitates deponuntur. nequit enim fieri, quin in homine etiamsi sano, sub aeris præsertim constitutionibus, quidpiam indies præternaturalis gignatur: hoc in venis magnis, per repudium segregatum, ad inferiorem hanc regionem amandat, inibiq; deponit natura, per aluum postea excernendum. id ipsum per morbos vsuuenit quod enim de peccante in fomite humore, secernitur de hoc tum ad alia emunctoria, tum ad hoc transmittitur, & nunc quidem parum, nunc multum, pro loci vicinitate, commoditate, consortio, adituum apertione, &c. adeo vt interdum ad hanc intestinorum regionem excrementum totum quod in homine, per quoddam tempus generari contingit, amandetur. Per hanc regionem intelligo intestina, eorum venas, anfractus, atq; inania spatia, venis mesenterij neq; exceptis. hanc inferam regionem, sentimus esse locum, in quo humores transmissi præparationem, ac coctionem Hippocraticam consequuntur. Etenim non caua ascendens, aut descendes cum suis truncis coctionis locus existit, cum sit sedes fomituum, ac minera excrementorum, quæ nec sunt expurganda vt cruda, & expurgare si tentares, nullo modo, e proprio dimouerentur loco. neq; communes, aliæq; per carnes distributę venę coctionis Hippocraticæ sedes esse possunt, cum sint febrium focus, cuius est caliditatem importare: humorum vero coctio, est contemperationem, ac refrigerationem dicere. statuamus igitur infernam hanc regionem coctionis esse locum: in hac enim depositi, ac cunctantes humores coctionem comparant, nimirum contemperationem, ac refrigerationem quandam, vt in loco à febris sede remoto, vt frigido, atq; recenti humore semper referto hinc bilem coctam si purges, non feruidam, non flauescentem, vt alio-

alioquin in fomite; & in foco se habet, sed refrigeratam, & quodammodo albescentem conspicis. ciniritiæ enim superfluitates, subsidentiarum identificatiuæ, non sunt proprie, nec vere dici possunt humorum coctiones, cum, ex humorum febrem efficientium combustione resultent. Sed de hac re in libro de febribus absolutus habebitur sermo, vbi quæ concocta sint, Hippocratica, quæ cruda, queq; materia turgens in lucem prodibit.

Erat igitur hæc expurgatio in principio celebrata ad humores in cloaca existentes eijciendos directa: quæ moliebatur, vt esset non stercoracea, aut leniens de more, sed purgatiua. talem dictabat aphorismus, qui sic habet, in principijs morborum si quid videtur mouendum, moue. motio hæc Hippocratica refertur proprie ad expurgationem, quamuis partialem: sic quoq; deducimus ex aphorismo vigesimo secundo, suadebat febris imbecillitas: quippe circa initia, & fines omnia sunt imbecilliora.
2. Aph ra. talis autem imbecillitas, quandam febris coctionem Hip-
29. pocratice dicit. indicabat hanc locus continens, cuius est coctionem importare. facultas consentiebat: quandoquidem in morborum principijs validam semper esse scimus. experientia firmabat; subleuabatur enim æger, vnde manifesta conferentia se-
1. Aph. quebatur. copia tandem exigebat; cum in hac regione, in sano
2. Aph etiam homine, superfluitates multę vt plurimum contineantur:
19. adeo vt, cum aliquando ex his redundantibus, ac putrescentibus ingens illico suboriatur febris, vnico, his expurgatis, non quidem leniente sed eductiuo pharmaco febrem solui experientia doceat. quæ res firmat maiorem in modum placitum nostrum de coctionis loco.

Quin etiam decretatur quodammodo in febribus malignis talis expurgatio ab vtilitatibus, quę hanc consequuntur; namq; ex hoc quod tota hæc regio, eiusq; aditus, alioquin ab excrementorum copia obstructi, per expurgationem reserentur, ac deobstruantur, idonea postmodum datur allectę naturæ facultas, noxia successiue expellendi. febrilesq; exalationes maiorem sui diffusionem, atq; etiam exitum per hanc viam nanscīscentes, disperguntur, nec non alterantia à medico postmodum exhibita, itinere peruio comperto, pura, ac fæditate orbata in conspectum attrahentium, atq; indigentium partium comparent: quemadmodum specifica queq; medicamenta, vt chinam, ut terebintum ante exhibitionem defæcatos prius esse aditus expostulare scimus.

Ex

Ex aduerso si ommitas, febris maiorem in modum ingrauescit; inferioribus enim his ductibus obstipatis, putres vapores, alioquin per hanc viam dispersionem sui aquisituri, retenti, conclusam quodammodo reddunt febrem: naturę tollitur conatus. quo nequeat de peccante materia ad aluum quidpiam transmitti; cum alioquin sciamus, multos per hoc emunctorium, materia propulsa, morbos iudicationem accipere. ac demum pabulum febrili foco per attractionem adaugetur. nãque phisice scimus calori, ac dolori vim quãdã attractricem fuisse inditam: vnde non solũ de molestante humore quidpiã expurgatur: sed etiam de excrementis in hac infera regione contentis ad febrilem focum attrahitur. hinc propterea pleuriticos in principio expurgare tãtopere iuuat, sed ad quid expurgatio ista, cum pleuræ inflãmatione? nimirũ si nõ purges dolor, ac calor istius inflãmati mẽbri, tanquam cucurbitula excrementa ad se allicit, vt hinc alioquin vel suffocationis immineret periculum, vel maiorem in modum morbus adaugeretur.

Dic, si in huiusmodi febribus primis diebus, quo tempore debiles adhuc sunt, & vires constant, haud largè eijcias, quando nã large eijcies? in incremento ne, aut vigore? nequaquam, id decreta vetãt Hippocratica. in declinatione ne? longe minus: quoniã, si declinatio ex lethalibus fit, animã simul eijcis, dum noxia eijcire tẽtas: teq; ac remedium simul infamas. si ex salutaribus, vnde nã vires ad largam sustinendam euacuationem idoneæ? remanent enim in febribus malignis, præ morbi sæuitie, ac symptomatũ cumulo, adeo fractæ, adeo solutæ, vt minime liceat in quibusdam vel perquamblandũ adhibere medicamentum. hinc cum in principio vel non expurgas, vel saltem non pro ratione: & cum in declinatione fas tibi nõ sit expurgare, expurgatione inquam, quæ de more â medicis intenditur, sequitur quodammodo, te potius morbi adulatorẽ, ac spectatorem, quam medicum præstitisse: & quod magis est, dum te à liberali expurgatione tantopere salutari primum abstines, vim quodammodo morbo addis, atq; idcirco lethaliorem illum reddis.

Summa igitur cum ratione ad pharmacum eductiuum in malignis febribus in principio deueniendum: qua medendi ratione, qua praxi, cum perpetuo, ne dum solum in hac enarrata malignarum febrium constitutione, fuerim vsus, perpetuo quoque felix in conspectum se se obtulit exitus.

Cõtra placitũ istud, vt cõmunissimæ, & opinioni, & praxi aduersũ, quispiã insurgẽs, dicet. Qua ratione tibi licebit ĩ principio medicari, cũ stet axioma medicũ, à tota medicorũ schola receptissimũ, cruda in initijs vigere, quæ expurgare minime fas est sic oraculo dictante.

Responsio

1. *Aph.* 22. Responsio sit, axioma istud falsissimum esse, & Hippocraticæ doctrinę penitus dissentaneum: perpetuo namq; materia in initijs morborum adest, quę vt parata, & Hippocratice cocta expurganda est, nisi acuta detineat passio. Insinuat hoc ipsum Hippocrates dum in principijs morborum, si quid videtur mouendum, mouere dixit; mouere enim, apud ipsum, est expurgare, vt clare ex ipso elicimus per illa verba concocta medicari, & mouere, at ipse numquam expurgat, nec expurgare iubet, nisi humorum adsit concoctio: vnde cum in principijs mouere docet, tacite ostendit, tunc de humore cocto adesse. & se veluti explicat, dum expurgationes bonas recensset, quas quoquumq; tempore fieri posse tales innuit, dum generalem statuit regulam, inquiens, in perturbationibus ventris, &c.
2. *Aph.* 29. hoc vnum sufficit ipsi, quod est bonitatis harum demonstratiuum, vt cum conferentia, ac tolerantia fiant, hę autem qualitates coctionem
1. *Aph.* 22. materiæ designant, id ipsum quoq; diducimus ex 4. aph. Modo, si naturam posse probè in principio, & quouis alio tempore expurgare conceditur, Cur hoc denegabitur medico? quid plura ipsa experientia demonstrat, non solum enim ex pharmaco purgante, in principio exhibito, morbum sæpe, ac sæpius subleuari, sed etiam aliquando ex toto tolli, videmus; quod profecto non vsuueniret si cruditas perpetuo in principijs vigeret.

Quod si in acutis passionibus in principio medicari vetet, non
1. *Aph.* 2. vetat ob materiam, sed ob passionis qualitatem, quæ ingens, & maxima sit (sic enim acuta passio hic venit intelligenda) vel sui natura, vel saltem primis diebus, ex eo quod sit ex ijs, quæ statim incipientes florent. vt talis enim cum cruda prorsus censenda sit, purgans abdicit pharmacum. Debet enim: cum expurgandum est, non solum materia, sed febris etiam ipsa esse cocta, sic enim Hippocratica concocta intelligenda, sed de hoc latius alibi. sunt secundus, vigesimus secundus, & vigesimus quartus aphorismi tot oracula ad artem vtilissima, sed pace expositorum omnium dixero, arcanum
aph. 47 eorum sensum, quemadmodum, & fere omnium, à nemine adhuc fuisse cognitum, quin immo in pernitiem ægrotantium hos esse expositos, fortasse aliquando patebit.

Non igitur absurdum est, in principio expurgare, cum tali tempore non solum de veteribus superfluitatibus, sed etiam de peccante
2. *in* 1. *ep.t.cō.* 10. te in regione intestinorum statuta, paratum, ac coctum sit. & quid mirum, audi hoc, quod etiamsi verissimum, & Hippocratice animatum sit, fortasse tamen paradoxum, & à veritate alienissimum tibi videbitur. & est, quod in intermittentibus, in periodicis, ac longis omnibus febribus continuis, non minus in principio atq; augmento,

quam

quam in ſtatu ; ac declinatione perfecta non ſolum Hippocratica ; ſed etiam cineritia de peccante humore, efficitur coctio . hęc omnia ſuo loco ante oculos tibi offerentur, vt ſolida, atq; inconcuſſibilia . ſcilicet euidenti ratione vndequaq; ſtipata , & auctoritate Hippocratica animata: vęh ęgrotantibus , ſi in fine duntaxat ſtatus humorum perficeretur coctio.

Quibus omnibus ſic ſtātibus vniuerſale,ac practicandum deduco pręceptum , validius, reſpectiue, in febrium, præſertim malignarum, principio , eſſe adhibendum medicamentum , quam in fine; non vna adſtat ratio . tunc enim vires de validitate exultant : nunc infirmę ſunt, quæ alioquin à valido prorſus frangerentur pharmaco . tunc reiectanea materia etherogenea eſt, minuſq; calida atq; acer . nunc homogenea calida atq; acrimonia minime orbata. tunc per totam inferam regionem diſperſa : nunc coagregata . & quis ſtante hoc , fortiori in declinatione audebit vti pharmaco ?

Vnde forte admiror, quod cum communis opinionis ſit, humores in declinatione eſſe paratos eſſe coctos , eradicatiua tamen expurgatione opus eſſe vociferent , quaſi fixi in profundo corporis ſint, fere quod à propria ſede ſint euellendi . ſi cocti, ſi parati, ad quid eradicatio ? ad quid medicamenti robur ? cum alioquin locus continens, vt emunctorio proximus perquamblandum inſinuet medicamentum: coctio , ac pręparatio exigat : vires languidę ad terram veluti proſtratæ, ac genuflexæ humiliter expoſtulent. in initijs vero, vel ſtercoraceum , vel ad ſummum leniens , idq. blandiſſimum adhibeant. hanc confuſionem cæteraq; mala peperit medicina non à centro , non ab interiori , ſed ab exteriori conſiderata Laudanda Brixiaca praxis , quę poſthabito prauo hoc purgandi vſu , in falſa propoſitione nitente, opportunitati, quæ anima curationum eſt , perpetuo adhæret. habuit hæc quocumq; tempore medicos, à quibus fuit ſplendide alita, præſtantiſſimos. Eſt, fari cogor , in medicamentorum munditia , operandi dexteritate, atq; exhibendi opportunitate (ſaluo ſemper cuiuſcumq; alius praxis decore) egregium quid,atq;eminens . Quæcumq; perſona etiam Regia,atq; Imperatoria tali, ac tantæ tuto ſe concredere poſſet.

Porro formula medicationum , quæ in principio exhibebantur, hæc erat . baſim potionis ſtatuebat ſirupus roſatus ſolutiuus , ad vncias tres , quatuor , cum quo lenitiui vel diacatolici drachmæ tres,quatuor, quinque,cum totidem ſcamoneati cuiuſpiam electuarij, cũ liquore ſtillatitio,aut congruenti decocto cōtūdebātur.

aut cum folutiuo ad vncias quinque , de fcamoneato ad dracmas quatuor, quinque, fex, commifcebatur. fi māna ingrediebatur, tot de firupo vnciæ demebantur, quot de manna addebantur , blanda erat potio, quę tres folutiui, vnam mannæ aliam lenitiui, vel diacatolici affūmebat. fcāoneata erant, de fucco rofarū rofatū Mefues, dia phenicon, diafebeften folutiuum, confectio hamec. hoc fcilicet, vel illud vfurpabatur, pro circumftantijs perito medico notis. bolus , ex caffiæ floribus ad dracmas octo, decem, duodecim, cum dracmis quatuor, vel quinque fcamoneati vt plurimum parabatur. & fi quidem medicamen non pro ratione deieciffet , propinabatur poftera die mechiucan, vel filapa , cum granis diagridij , vel gummæ gotæ. atq; hæ erant vulgares medicationes. namque nobiles, pueri, senes, ventriculo fracti : & præfertim delicati fuauiter, & cum munditia tractabantur. cæterum formulas medicamentorum integras à me non expecta. folue me laboriofiffimo hoc tædio, quod in fummo abominor. peritus cum fis, peritas ex te ipfo paras.

Facta infinuatis purgantibus priori eductione , non dabatur in hifce febribus alia interim tentare, vt alioquin in quibufdam alijs continuis : ideo quod vbi femel ingrauefcerent , fummum quoddam magnitudinis, ad grauitatis ac declinationem vfq; feruabant, vt minime interim mouere, nifi per glandes , aut clifteres , quibus frequenter innitebatur , medico liceret. fi quando tamen in morbi proceffu aluus tributum redderet plane nullum , parumq; per clifteres proficeretur, tunc arrepta occafione conferua prunorum , vel pingues paffulæ ad dracmas circiter quinque, cum totidem, diagridij granis medicatę primis epulis offerebantur ; vnde fępenumero non folum exoptata alui obedientia fed biliofa quæpiam deiectio obtinebatur : quam belle etiam præftabat caffia nouiter à fetaceo extracta à duabus ad tres, vel quatuor dracmas in prandij principio deuorata : hac enim ratione cibus medicamento infperfus venufte eijciebat: cui refpiciens in enicmatico de alimento vir in cunctis Diuinus, fic , exclamauit, in alimento pharmatia optimum. Quamobrem vim quoq; ptifanę hordeaceę, tantopere in febribus proficuæ indes laxatiuam, fi hordeum de more coctum in infufione rofarum folutiua , priufquam per fetacium tranfmittatur, per fex circiter horas infefferit. expofcitur autem infufio ex rofis albis fyluestribus, ne alioquin ptifanæ albor deturpetur . hinc poftmodum ex hoc, vel illo cibo fic medicato , atq; in febribus, quæ ad euidentem prefertim tendunt perniciem, non femel oblato, falutē, alioquin ob grauitatem morbi ruituram, elucefcere non raro comperimus ; natura ad fucceffiuum ftimulum, fucceffiue reiectanea ad

alùum

aluum transmittente, ac se exonerante. est epigrastica hæc expurgatio summnm quoddam atq; extremum Hippocraticum remedium in ijs febribus in quibus naturam à materia, ac morbo grauatam per se non esse resurecturam, nec de cætero fore, vt medicamentum exhiberi liceat, viribus in dies maiorem in modum languescentibus, facile conspicatur.

Cæterum vbi declinatio tantopere exoptata accessisset, scopus statim offerebatur, denuo mouere. circa quod maturè gradiebatur: cum multi ex ęgrotis ita robore soluti remanerent, vt nefas esset de quopiam etiam quamblando excogitare, ne dum vti medicamento: quos propterea vna, eaq; congrua victus ratione restaurare, ac roborare prius erat scopus: alioquin in tali casu importunè medicamentum exhibere, maximus atq; etiam pernitiosus error existit. hinc igitur, si qui ex his in processu iam roborati medicamento indigere viderentur, blandissime tractabantur.

Ex his autem qui vires conseruassent non omnino debiles, alij medicamentum assumpserunt, alij, renuentes clisteribus exercebantur. quod autem excernebatur, biliosum id totum erat, identificatum ab ea parte sanguinis vitiosi crassiore, flauescentiam per febrilem calorem adepta, cui putredinem, natura prouida de molestante humore semper quid demente, atq; transmittente, effugere contigit. hinc in synochis ipsis deiectiones non rubras, sed perpetuò flauescentes obseruabis.

Materia potionum medicinalium, quę hoc tempore offerebantur erat ex solutiuo, ac manna, vt quod omnem expurgationē felicitare scriptum reliquerit Auicennas, & id ipsum experientia decreret, insimul commixtis, ac cum congruenti diluto solutis. validioribus diacatholici vel ad summum rosati Mesues quidpiam, aut solutiui rabarbarisati portio addebatur. In plurimis autem præsertim nobilibus, ac delicatioribus, quod in priori quoq; expurgatione exequebatur, medicamenti quęrebatur munditia; perlustrata, inquam, offerebatur potio, non solum ad iucunditatem, sed etiam ad expurgationem blandiorem reddendā. Namque in febrium declinatione parata perpetuò est emunctorio, aluo, inquam, secernenda materia. quam in quacumq; febre biliosæ obseruabis naturæ, quæ propterea de facili obedire nata est: locus autem allicienti, vel leuiter stimulanti medicamento illam manibus veluti porrigit. iunge viriū languorem, non poteris non blandissimè tali tempore medicari. Alioquin scias, quod imbecillitates à purgantibus illatas fere immedicabiles sunt; ideo quod non à quapiam discrasia, sed à partium robore dissoluto, ac tono fracto pendeant,

ac recordare Hippocratici illius oraculi in lib. de artic. decreteti, quod bonum aliquando est medicamentum, nullum adhibere medicamentum.

De Tertio scopo, qui circa Refrigerantia versabatur.

Cap. X.

Expurgationis scopum corrigendi alius febrilem calorem, atq; ægrum refrigerandi, sitimq; simul compescendi, consequebatur: cui varijs modis, varijs remediis satisfieri, curabatur: multũ intererat percalidam passionem quatuordecim dierum spatio continenter perseuerantem moderare; necnon ægrum perseueranter conflagrantem, atq; ab indelebili fermè siti excruciatum, quo ad fieri poterat, recreare. Propterea summo mane per horas tres, aut quatuor ante prandium potiones offerebantur refrigeratoriæ, quæ stillatitias aquas ad vncias sex, octo, decem, pro exigentia, cum vna vel duobus ex adaptato quopiam sirupo vt plurimum assummebant. Aquæ erant ex foncho, endiuia, cicorea, acetosa, epatica & huiusmodi quibuscũ admisceri perpetuo solebat, quæpiã, quæ diaphoretica vi esset prędita. sirupi vsurpati, erât ex succo limonum, granatorum, de acetositate citri, de agresta, de pomis, acesosus simplex, qui sicuti in febribus præsertim malignis multum expetitur, sic acetum eius basis vult esse valde acre, & non facticium ex vino corruppto. Sirupi de cicorea, de endiuia, de acetosa, rarissimè à medico ad actum reducebantur, non solum quod æque refrigerare non sint apti: sed etiam quod illam claritatem, ac iucunditatem non præseferant, quam tanti facit ægrotus. ideo autem quod in vsum frequenter veniant, curandum est, vt sint cum albissimo saccaro confecti. Incumbendum medico valde est in medicamentorum munditia, venustate, ac iucunditate, ad hoc vt visui, ac gustui satisfaciens, ęgrum adinueniat obedientiorem, quod in sirupis intendendum pręsertim est, veluti qui medicam materiam magna ex parte efforment: nam si claros, ac perspicuos exhibeas, auide assummit, cum alioquin super atratos nauseat, & stomachetur ęger, ac sæpenumero assummere renuet. vt propterea valde mirer, quod in vniuersum à medicis horum munditia, ac perspicuitas tantopere ab ægro exoptata Phormacopolis expresse non committatur, ex imperio, ex tripode non mandetur.

Quod si nobilius atq; efficacius parare tibi placet medicamen ; pro sirupis extracta saccharizata adhibebis,quę tibi sic cõparabis. Poma hæc vel illa frustulatim diuisa, & super patinam , in fundo perforatam,per stratum supra stratum apposita,saccharo fino subtilissimè puluerizato abundè cooperies. ex hac in loco subteraneo atq; humido reposita destillabit in receptaculum, subtus positum, limpidissimus liquor,odorem, ac saporem pomi efferens, perquā iucundus , qui in refrigerando, & siti compescenda excellens valde est. sic æque tibi parabis ex mali punici granis , ac citrangulis exteriori atq: interiori cortice nudatis, seminibusq; demptis , ne alioquin liquor amarore suffundatur.

Vesperi, quibus æstus, atq; sitis vehemens non paruam inferebat molestiam,alia quoq; refrigeratoria potio parabatur,quę sæpe ac sępius erat aqua hordei plena,cum scrupulo spiritus chalcanti : frigida erat iucundior: calida vtilior. quibusdam aliis serum , vel destillatum , vel exquisitè depuratum. modo stillatitiæ aquæ cum succo limonum, vel pomorum congruentes offerebantur.

Vbi cum huiusmodi alterantibus res mane,& vesperi per quosdā processisset dies,alia offerebantur ad ægrotantium gustum refrigerantia : alijs enim magis commodum erat decoctum ex cicoraceis, acetosa quinquefolio , pomis, limonibus in frusta concisis,& quoq; ex aperientibus si opus esset. alijs iulep acetatum longum. debilibus stillatum carnis congruentibus alteratum , vel decocta in iure parabantur , & simul cum emulsione seminum melonum erant oblata.

In medium non affero quod frigidæ potus fuerit adhibitus , quippe plures aberant,quæ ad hunc exhibendum requiruntur, conditiones. nihilominus calinis natura , ac siccis, ardentioriq; febre laborantibus liberales ex congruenti liquore haustus cum parte quarta cuiuspiam aquæ , vim diephoreticam habentis,medicato, apposita hora adhibebantur, vt si datum esset ebibitus ab ægro liquor expeditius per totum venosum arteriosumq; genus diffunderetur , erumperetq. foras sudorem efficiens. circa quod accommodatissimam, quæ totius citri est , florum eius , ex scorsonera atq; carduo sancto , hordeaceamq; aquam semper comperimus.

Interim ad fauces refrigerandas humectandasq; ac simul ad linguæ siccitatem , amaroremq; leniendum , multa de more præsto aderant iulep rosatum violatumq. conserua de acido citro, mareneq; conditæ : sed inter alia , extracta de quibus iam dictum est, & pręsertim ex pomis rubris parata,congruentissima, atq; ab ægro

exopta-

exoptatissima perpetuò adinuenimus. Hisce alia (varia enim sitienti atq; hianti ægro parata omni tempore esse debent) accedebant medica ingenia, grana malipunici saccaro conspersa: semina melonum in aqua ex toto citro macerata, ac masticata: globulus spongiolus refrigeráte quopiam liquore imbutus, & in ore detentus.

Proderat etiam saccarum finum prius in aqua cocta (quæ in his febribus ex hordeo apprime cocto parabatur) vel in stillato carnis, vbi quadantenus restaurare esset opus, immersum sępe, ac sæpius exsugere. Decipienda enim multoties sitis est, ne ex nimio aquę potu ventriculi calor plus, quam par sit refrigeretur: hypocundriacaq; regio inde aquosa reddita atq; intumefacta, ablatu postmodum difficioliorem efficiat febrem. Vt autem linguæ siccitas, sitisq; quo ad fieri potest, arceatur, commi ttenda ægro taciturnitas est: atq; vt, ore non hiante, per nares expiret.

Epithemata interim cordis, nec non iecoris regioni, vel lenitiones refrigerandi vim habentes adaptatæ adhibebantur.

Re autem iam declinationem accipiente, cum modicè refrigerantibus, quodpiam quod aperire, ac per vrinas ducere poterat, admissebatur, velut radix petroselini, asparagorum, feniculi, lithospermon. eringium, saxifragia, anonimedes, & ex his, atq; illis decoctio congruens parata, ad vncias circiter quinque cum vna sirupi de duabus radicibus acetati, vel cum emulsione seminum frigidorum, propinabatur, sudor quoq; congruo tempore, si quidem res exigeret, excitabatur.

De Quarto scopo.

Qui ad expiationem venosi, arteriosiq; generis, necnon cordis sinuum, erat directus.

Cap. X I.

CVm materia, à qua hę malignæ pendebant febres, densæ quodammodo atq; humidæ esset substantiæ, qualem in genere agnoscunt malignę, propterea copiosos, eosq; densos, ac percalidos de se attolebant fumos: qui venas, arteriasq; corq; ipsum op-

plentes, ac vitalem ſpiritum quodammodo contaminantes, non paruum vitali facultati inferebant laborem. Quin, in ſuperam, ex ſui natura, rapti arcem, opplendo, ac concalefaciendo, dolores, deliria, aliaq; ſymptomata ad animalem facultatem ſpectantia excitabant. vt propterea hæc inſuper curatiua intenſio medicum vrgeret, vt quo ad fieri poſſet, hos putres fumos, has exhalationes, has fęditates adaptatis ſolueret, diſſiparet fugaret remedijs. Quod tamē nō de facili admodū obtineri poterat: non ſolum quoniam alię ſucceſſiuè attollebantur: verum etiam quod non liceret in calida paſſione, medicamentis vti admodum calidis, qualia alioquin expoſtulaſſet intentio iſta, & ſunt, quæ diſcutiendi via obtinere ſcimus: vt idcirco in moderatis, & in ijs, quæ de more adhiberi ſolent, cordialia communiter vocata, pedem ſiſtere neceſſè eſſet. Qua vero de cauſſa, quoue iure fuerint ſic appellata à nemine adhuc ſcriptum inuenit. vnde circa hæc paululum mihi diuagari liceat, quo ſimul noua, vtilia, ac pręclara audiemus.

Et quidem arbitror non ob aliud cordialia fuiſſe nuncupata, quā quod per eorum aſſumptionem cordis vitaliſq; facultatis ſubleuatio quædam fuerit ex longo vſu obſeruata; quam medici à quadam potius eorum proprietate, quam manifeſta qualitate enaſci, facilè putarunt. Sed hac ſtomachante, atq; ad nauſeam excitante proprietate prorſus omiſſa, dicimus, medicamenta hæc non alia de cauſſa eſſe. & dici poſſe cordialia, quam quod putres, ac tetros fumos tantopere cordi infeſtos, ab ægro aſſumpta, ſoluendo, ac diſcutiendo, cordi, vitaliq; facultati ſubueniant.

Etenim cum in febribus malignis, ac peſtilentibus cor dupplici modo ab igneis fumis noxam ferat, ſimilariter, & inſtrumentario: calidam, inquam, in propria ſubſtantia intemperiem: & quandam in arterijs, ac proprijs finibus oppletionem, à qua aliqualis vitalis ſpiritus fædatio, ac facultatis labefactatio prouenit: ſimilari quidem noxæ ſuccurrimus refrigerātibus: inſtrumentarię verò, ijs, quæ diſcūtiendi vim obtinent. cum autem cordialia tale quid præſtare, fuerit obſeruatū diſcuſſoriam propterea facultatē obtinere, ac verè diſcuſſoria eſſe iure ſtatuendum eſt.

Et quamuis numquā fuerint vt talia adhibita, nec fuerit vis iſta in ipſis explorata: attamen non contēnendam in his deliteſcere, fatendum, dico in lapide bezoar, margaritis, auro, corallis, pręcioſis fragmentis, &c. nequit enim prope fieri, quin in tanta materiæ puritate, in tanto ſplēdore, ægregia deliteſcat facultas, inſignis à his actuatis erumpat diſcutiendi vis: quandoquidem huius vtriuſq; qualitatis auctor immediatus non aliud ferme eſſe poſſit, quam

potens

potens quidam calor, proportionati terrei, quod in horum pluri. mis preualet, purgatiuus. ad instar argenti viui, cuius puritas, conspicuitas, ac illa mobilitas effectus non frigiditatis (est enim non frigidissimum, vt communiter putatur, sed calidissimum) sed ignei duntaxat caloris, in terreo, quod cum igneo totum efformat compositum, ad summum depurato: vt mirum minime sit, si in tam solida materia, qualem hæc gestent, per masticationem explorari vnquam nequiuerit, ac nequeat discussoria facultas, in alto proprię substantiæ occultata. vnde ab ægro assumpta non prius vllam sui notam dant, actuationemq; recipiunt, quam validum experiantur calorem, qualem experiri illa contingit, cum in venis magnis, officina caloris, rapta, insesserint vt idcirco non sint audiendi, qui in huiusmodi pretiosis medicamentis substantiæ duritiem tantumodo considerantes eorum exhibitionem penitus damnant, cum tamen communiter practicantes salutari huic exhibitioni, nobilissimæ huic medicationi, ab antiquis reuelatæ, & à posteris probatæ adhereant. atq; insistant.

Nec est, quod hinc euidentem atq; patentem expectent exitum: quoniam neque ex siruporum assumptione, quæ frequentissima est talis obseruatur: sufficiat hoc, quod sicuti si sirupos in febribus non exhibes frigefactorios, febribus maiorem in modum ingrauescit, corpus exsiccatur, & sitis debacchatur: sic quoq. symptomata fieri grauiora, febremq. in peius ruere pro certo habendum, vbi à bezoarticorum exhibitione medicus se abstinet.

Si his non vtemur, ad quæ confugemus, ad semina citri, ad semina acetosæ, ad contraheruam, vt quidam, qui ex his, & iure, tantam mandant in multis diuisam partibus quantitatem, vt quot partes existunt, tot piperati cuculli videantur: vnde ægri ad horum tantūmodo aspectum, ne dum ad gustum, inhorrescant, nauseant, stomachantur. sunt ægri pręsertim nobiliores atq. opulentiores in cunctis medicamentis, quo ad fieri potest, cum nobilitate, ac iucunditate pertractandi: & sub iucunditate vult quoq. includi perexigua medicamenti moles· vnde quod per grana pręstare rectè potes, scrupulos omittes. quod per scrupulos, dracmas escludes. & sic successiuè. Ratum sit igitur, cordialia propterea esse talia, quod putres vapores, tetras exhalationes discutiendo cordi auxilientur: vt ob id discussoria dici mereantur. necnon bezoartica, quod bezoar, inter hæc omnia, magis polleat: vnde ex eo quod, quæ huius sunt potentiæ, sub hoc antesignano medicamento veluti militent, bezoartica vocari possunt: atq. insuper alexipharmaca, quæ (non quidem Galenica media inter corpus patiens: & delete-

rium)

cium) ſed diſcuſſoria ex noſtris placitis valentiſſima ſunt.

Sunt tamen alexipharmaca, vt calidiora, maioris actiuitatis; cuius auctione non contra fumos, ac vaporoſas ſubſtantias, ſed cōtra venena, quæ ex definitione noſtra, ſunt tota quædam ſubſtantia actu calida, opponuntur : vnde cum maior vis, ad diſcutiendam totā ſubſtantiam, quam vaporoſam, exigatur, : cumq; id præſtent, ac præſtare nata ſint, non cordialia, ſed alexipharmaca, ob id iure, vt intenſioris caliditatis, ſic maioris efficaciæ exiſtunt.

Sicuti autem à cordialibus, quæ, & bezoartica, & alexipharmaca primę ſpeciei dici poſſunt, ad alexipharmaca potentiora, quæ tertiæ ſpeciei talia ſtatuemus, dantur quædam media, quæ cordialium maioris ſunt virtutis, & alexipharmacorum infirmioris(& hęc ſecundę ſpeciei alexipharmaca vocabimus) ſic tenues, ac leues, cōtra quas alexipharmacas in genere exhibentur materias, triplicis eſſe ſortis comperio; alia enim ex his eſt ſubſtantiæ non admodum denſæ, cuiuſmodi putres vapores ſunt, qui ex vitioſo ſanguine, malignarum febrium cauſſa, putreſcente attolluntur : cui idcirco cordialia dicta, vt infirmiora alexipharmaca opponimus . Alia valde denſæ eſt ſubſtantiæ, & ſunt craſſi, ac denſi fumi, à prauiori ſanguine, qui putreſcens peſtilentes gignit febres, ſubuecti, quorum denſitas, cum difficiliorem diſcuſſionem, cuius cauſſa maiorem in modum in venis, arterijs, ac corde ipſo multiplicantur, importet; ob id alexipharmaca paulò valentiora ad ſui reſolutionem expoſcunt, qualia ſunt, quę ſecundam ſtatuunt differentiam. Alia ex his denſę adeo eſt ſubſtantiæ, vt totam ſubſtantiam dicat, & ob id venenoſá, & ſub hac militant(vt cætera in præſentia venena omittamus) igniculi contagioſi, quos venenum in homine concretum, de quo alibi eſt actum, attollit. & his propterea tertiæ ſpeciei alexipharmaca, vt potentiora opponimus. tu autem ſi placet vnicuiq; ex his quandā latitudinem aſſignare potes, ac ſic quoq; magis ſpecifica exhibere alexipharmaca.

Ex huius doctrinæ ſerie iam ſatis cōſtare arbitror, febriū malignitatē, ac peſtilitatē, nō ab alio quidē, quā à prauorū, ac maleficorū humorū, à ſanguine, & vtraq; bile toto genere differentiū; qualitate pendere, qui ſicuti minus, aut magis denſos atq; calidos, ob idq; prauiores vapores de ſe putreſcēdo, attollūt, ſic malígniores, vel peſtilētiores pariūt febres. Quarū in ſūma malignitatē, ac peſtilitatē, non ab alia re, quā à dēſis, ac tetribus vaporibus, quā à maleficis fumis cōſtituit, atq; idētificari ꝓ cōpertiſſimo habēdū. Atqui, nō ne practicantes omnes medici in hanc noſtrā properant ſententiā? non ne incontaminabili huic veritati, velint nolintue, ſubſcribunt, dum in

harum febrium curatione ad bezoartica, atq. alexipharmaca confugiunt ? & profectò hæc est vera, atq. germana harum tollendi, ac profligandi ratio. Quippe malignæ febres, etsi ad sui ablationem sanguinis euacuationem, & expurgationem exposcant: attamen expiationem quoq. volunt. Pestilentes plus expiatione, quâm alijs remedijs indigere videntur. Pestiferarum vero ablatio in vna fermè expiatione consistere videtur. Quam expiationem, vt declaratum est, quambellè moliuntur calorifica, qua præstant vi, alexipharmaca: modo, quo immissi in hæc solares radij caligines ac nebulas dissipando aerem illustrant: quoq. ignis excrementa, ac fęditates quasq. sibi oblatas, ac per aerem vagantes, dissoluit, ac dispergit.

Vt propterea communissimæ opinionis leuitas appareat, quę præter quatuor humorum genera, quatuorue definitos communiter humores, non alium agnoscens, febrium malignitatem, non qualitati peccantis humoris, sed excellenti cuidam putredini, cuius natura omnino non reperitur, ascribit. sed cum ad hoc tantum adinuenta hęc opinio esse videatur, vt verę caussę ignorantiam subexcuset, idcirco vt ficta, ac commentitia, & mille difficultatibus obnoxia atq. implicita, reprobanda, ac prorsus reicienda venit.

Porro cum trifariá sint alexipharmaca considerata, cumq. quę sub prima differentia militant, in medium sint allata, videtur sermonis ordo expostulare, vt, quæ sub secunda, ac tertia connumerari possunt, recenseamus. Igitur bezoar denuo, aurum diaphoreticũ, salem margaritarum, spiritum salis metallici, spiritum calchanti, vt media alexipharmaca, statuere potes. Quæ vero succedunt valentiora putabis, theriacam, mitridatium, vel eorum extracta, rosmarini pariter, & baccarum iuniperi extractum, flores sulfuris, opium extractum, trocisсos de vipera, oleum rosmarini, cinamomi, gariophilorum, balsami. multa alia apud scriptores laudata reperies; sed tu illa duntaxat eligas, in quibus caliditatem impensè calidam, cum summa partium subtilitate vigere conspicaris.

Liquores, quibuscum alexipharmaca exhibenda sunt, vi omnes diaphoretica præditi esse debent; ij sunt, qui cum quadam substãtię tenuitate, qualitatem calidam in se includunt: sic etenim quamprimum in venas, ebibiti, rapiuntur, & rapti extenuantur, diffunduntурq. expeditè a centro ad corporis circumferentiam, noxa simul, & semel, mirum in modum attenuata, extraferentes, vt hac de caussa diaphoretica dici meruere. Quam rem cum pręstent quoq. alexipharmaca, discutiendo, mirabiliterq. diffundendo à centro ad corporis circumferentiam tenues, ac maleficas auras, ob id diaphoretica

retici vocari possunt. quod si cum hæc tum illa sudores quoq; excitauerint, sudorifici quoque nominē digna sunt. verum non solent alexipharmaca, in leues substantias agentia, sudorem efficere, nisi cum liquore diaphoretico exhibeantur. vt propterea malè sentiant, qui à lapide bezoartico assumpto sudorē expectant: adeo, vt si cōtingat, vt assumptus sudorem in ægro minimè moueat, improbant & nullius esse valoris prædicant:

Expedit igitur alexipharmaca cū liquore quopiam diaphoreticæ vim habente exhibere, vt faciliorem in venas aditum adinueniant, expiditius opus suum moliantur, & valentius infestantia dissipent, fugent, ferantq; ad extra. huiusmodi sunt aqua ex toto citro, ex floribus limonum, aranciorum, hordei decoctum cum cericis, aqua scorzonere, rosmarini, cordialis saxoniæ, rutæ caprariæ, rutę hortensis, cardui sanctis valentiores sunt, acetum theriacale, aqua theriacalis, aqua vitæ, seu ardens; sed quoniam illa ob partes impensissimè tenues, facilimę actuatur, adeo vt in ore ne dum in stomaco actuari incipiat, ob id cum alio liquore vult exhiberi: alioquin si in venas integram deferrent facultatem, esset per se alexipharmacum prętantissimum.

Ex hoc igitur, vel illo liquore, cum alexipharmaco mixto, contra pestilentes, atq; pestiferas, exactéue pestilentes paratur medicamē, congrua vtriusq; quantitate interueniente. Quę est si ex spiritibus scrupulum circiter: ex extractis, à duobus ad scrupulos quatuor: ex theriaca, ac mitridatio (vt habetur in 2. de antid. cap. 9.) ab vna ad vnam cum dimidia, vel quoq; duas dracmas: ex opij extracto (in hoc valde confidas) à quinque ad nouem grana: ex oleis, à tribus ad quinque guttas accipies. si duo ex his simul injunges, dosim quadantenus diminues. Ex stillatitijs aquis ab vncijs duabus, plusue aut minus (neq; enim intelligo hic inalterabilem statuere dosim) pro aquæ qualitate, ex aceto theriacali, aqua identidem theriacali, & aqua vitę, à media ad vnciam, & amplius cum dimidia, iuxta harum vim propinabis, & hoc bis in die. Tempus exhibitionis, commodum, est per horam, aut horas ad summum circiter duas ante prandium, & cænam: & paulo ante hoc tempus abstineat se ęger ab omni alio potu. est enim hoc tempus valde congruum tum ob alia, tum præsertim ob stomaci vacuitatē, & temporis, quo refrigerantia fuere exhibita, longinquitatem, quippe insimul conuenire, & vtile opus perficere refrigerantia atq; alexipharmaca ægre possint. Potionem assumat calidam, & postmodum coopertus iaceat ęger. Id perpetuo ante oculos habeas, vt si quampiam conspicaris inesse ardentiam, ex minus in calidate

intensis eligas : aliter enim, & vinum album, & aquam ardentem, & quod vis aliud exhibere in pestiferis tuto licet. sic pestilentibus, quas blandi caloris animaduertes, multa ex fortioribus proficua fore comperies. tui autem sit, ex his adaptata pro ratione composita præscribere alexipharmaca.

Sed recipienda rursus de alexipharmacis, seu bezoarticis oratio est, quę in his malignis febribus ad actum practicum reducebantur: & meritò quidem his febribus opponuntur, velut quæ, cum sint ex cunctis debilia, cum debili quoque hostili materia rem habent: cum enim malignarum febrium putridæ exhalationes sint, respectiuè, raræ, de facili fit vt à discussorio non admodum valido, alteratæ extremam comparent tenuitatem. Quamobrem semel, vel bis in die ante prandium, & cænam per horam circiter cum dimidia (vt longum temporis spatium relinqueretur refrigerantibus) exhibebatur medicamentum: quod modò ex lapidis bezoar (in diuitibus) granis nouem, vndecim, tredecim, aut pro lapide, ex tot æque, vel paulo pluribus cornu vnicornu, granis: modo ex margaritarum pręparatarum scrupulo circiter, & alio fragmentorum prætiosorum.

Alias ex dracma dimidia margaritarum, & granis quinque bezoar cum vno auri folio parabatur. & cum vncijs duabus, vel tribus ex aquis diaphoreticis, & vna cordialis saxoniæ exhibebatur. si res valdè vrgeret, dimidia de theriacali superaddebatur: vel mane potio, serò vero spiritus vitrioli ad scrupulum circiter cum vncijs duabus de aqua diaphoretica, & media, vel vna theriacali: aut pro spiritu confectio hiacintina porpinabatur. cum his, ac similibus res protrahebatur At pauperes cum scordio, diptamo cretico, radice tormentillæ puluerizatis, vel fragmentis prætiosis, quæ sæpe proficua euidenter conspeximus, tractabantur. sed vt plurimum aqua hordei caricata, cum spiritus vitrioli dracma dimidia, præsentaneũ erat remedium. hanc noc tam in malignis, quam pestilentibus febribus vtilem perpetuo comperies, si de quopiam spiritu, vel de aqua theriacali, aut aqua vitæ immiscueris vult esse plenamque vbi ad sui vsq; rimam hordeum ebullierit, adduntur caricæ pingues, in frusta concisę, pro vnaquaq; hordei vncia numero tres, ad exactã postmodum hordei scissuram decoquuntur; abscondunt enim in se vim alexipharmacam: vt ob id iure meritò illud aponense tantopere celebratum, in peste pręseruatiuum, quotidie assummendũ, ingrediantur; quod ex caricis duabus, nucibus totidem, & folijs rutæ viginti constat. at sicuti aliæ potiones saltem in malignis possunt frigidæ exhiberi, hęc tamen vult perpetuo calida assummi.

Diuites

Diuites puluiſculis vlterius bezoarticis, primis epulis ijs oblatis, muniebantur. ex doracma ſcilicet cum dimidia margaritarum, dimidia fragmentorum, & bezoar, vel corna vnicornu granis quindecim, cum folijs auri tribus afformabatur mixtura, in quinque vicibus exhibenda. hæc, & ſimilia pro vaſorum, ac cordis expiatione celebrabantur.

De ſcopo Quinto, qui ad victus rationem ſpectabat.

Cap. XII.

EST Scopus diętarius in morborum præſertim acutorum curatione adeo neceſſarius, vt ſi hunc contemnas, vel in cibationibus offendas, cæteris ſcopis, etiamſi rectè adimpletis, malè à medico ſatisfactum fuiſſe videatur. Propterea conabatur medicus, vt recta perpetuò in febribus hiſce malignis procederet victus ratio. Vt autem quiſq; fundamentaliter ſciat, quis, qualiſq; victus non ſolum his, ſed cæteris etiam febribus conueniat, expedit prius inueſtigare, ac probe cognoſcere à quo nã deſummenda ſit diætandi ratio: hoc enim alioquin ignorato, impoſſibile eſt, rectam poſſe inſtitui victus rationem. Quem laborem libens ſubeo, cum videam, nullam eſſe medicinæ partem, de qua minor, iſta, habeatur cognitio, iſtud autem (à quo, oſtendit nobis primus atq; immediatus alitionis finis, qui eſt caloris natiui conſeruatio, iuxta cuius copiam homo alendus, vt ab oraculo edocemur: vt, ſi plurimus ſit, copioſa, ſi 1. *Aph.* paucus, parca conueniat nutritio. adquam copiæ non ſolum natu- 13. 14. ralem qualitatem inſinuat idem auctor, vt medicus in ægrotis tra- 15. ctandis aciem dirigat: ſed, quod magis eſt, intenſionem diætandi ab occidentali deſummat, vt in quibuſdam antecedẽtibus aphoriſmis pręſtat: caloris enim naturalis in febribus deprauatio, quandam eiuſdem diminutionem, ac defectionem, quæ accidentalis eſt importat: quandoquidem is ſolummodo refectione indiget, qui in ſalubritate degit. ſeu dicas, illę duntaxat ſolidorum particulæ refectione indigent, quarum calor in integritate ſalubritatis exiſtit: quarum verò eſt deprauatus, nutritione fraudantur: non enim calor in febribus totus ſecundum ſui totum deprauatur, ſeu membra, non ſecundum ſui totum, malitiam contrahunt, vt alioquin vſq; adhuc

adhuc in medicina est arbitratum (veh febricitantibus si hoc vsuuenîret) sed secundum eorum tantumodo partem, at nunc extensiuè magis, seu profundè: alias verò minus, pro maioris, vel minoris acuciei caloris ratione: in primis autem secundum superficialem membrorum partem, successiuè interiorem (sic mihi liceat extensiuā solidorum dimensionem secare) pestremò secundum ventres Hippocraticos calor deprauatur. in quibusdam igitur febribus primo duntaxat modo; in quibusdam alijs, & secundo, in aliquibus etiam secundum omnes partes patitur, pro vt febrilis caliditas, blanda, acer, vel acerima extiterit, præsertim si continuitas accesserit. tu autem vniquiq; ex his caloris iniurijs latitudinem quandam assignare potes. Modo iuxta hanc minorem aut maiorem natiui caloris deprauationem debetur in febribus (neque enim absolutum facimus de victu sermonem) nutritio, quanto enim hęc minor, seu minus profunda, tanto vberiorem, quanto maior, seu magis profunda tanto tenuiorem indicat victum.

Cum autem calor non possit, parum aut multum pati, non possit inquam minus, aut magis esse deprauatus, nisi simul & semel febres, parui aut magni caloris existat: cumq; talis possit ex se, quæ ex sui natura talis perpetuò sit: & ratione temporum seu constitutionem, quippe in principio, & declinatione febres imbecillæ sunt; in vigore magnæ; & ratione accessionum, quibus absentibus calor benè se habet: ijs molestantibus malè: propterea pro ratione ipsius febris: pro ratione temporum, & pro ratione accessionum æger venit reficiendus. Parua enim febris, pleniorem: magna tenuiorem: sic principium, & declinatio, in quibus ex fene omnia sunt imbecilliora, pleniorem: vigor tenuiorem indicat victum. accessiones pariter, cum sint totius febris partes molestiores, victū abdicunt, interualla exposcunt.

1. Aph. Hanc doctrinam, & has diæteticas regulas, quam bellè edocuit nos, atq; eleganter expressit idem senex, per quosdam aphorismos, sed præsertim per sextum, septimum, & vndecimum: in quorum primo allegato respicit morbi essentialitatem: in secundo febris constitutionem: in tertio febrem per accessiones molestantem. Vt hinc pateat virum hunc apprime intellexisse, non ab alio intentionem diætandi, quam ab innati caloris affectione esse desummendam: at noluisse per hanc, vt rem latentem, & sensui quodammodo remotam edocere verum ad faciliorem intelligentiam, per quædam ad viuum hanc affectionem repręsentatiuam, qualitatem scilicet febris, constitutionem, & accessiones diætandi præscripsit præcepta.

Ex quibus facilè patet, malè Galenum cibandi indicationem à viribus desumpsisse: quandoquidem hę, quantum ex se, perpetuò validæ vellent conseruari, ac quoq; adaugeri, cum debiles sunt, cũ autem cibus, qui valeret illas, vt independentes, conseruare, aut adaugere, incongruus resultet natiuo calido, consequutiuè quoq; succrescit in detrimentum ipsarum. ex eo quod, cum immediatè ab ipso pendeant, sequanturq; perpetuò ipsius affectionem, fit, vt si per adhibitam indebitè alimoniam, maiorem in modum patiatur, ipsæ etiam magis ex tali cibo lędantur. vnde si quis in offerendo virium respectum habere vult, eas debet nõ seiunctim, sed iunctim cum suo principio considerare, ac victum instituere, qui eatenus illas respiciat, quatenus iniuriam caloris, à quo pendent, immediatè gestant, ac repræsentant. At Galenus, qui fortasse illas vt independentes considerauit, visus est per pleniorem absolutè victum, posse illis debilibus existentibus, robur addi, dum inquit, Quod si vis imbecillior exterit adijciendum est aliquid victui, & plenior est adhibendus tanto, quantum virium imbecillitas expostulat. Vtinam res sic se haberet; sequeretur enim quod ex cunctis fermè lethalibus morbis, viribus interim per cibum adauctis, posset euadere ęger. quod sic demonstro, pendeat ex. g. febris quæpiam acuta à quadam stata biliosi excrementi quantitate, continuatim putrescente, & hoc antequam ex toto putrescat, vnde febris soluatur, quatuordecim exposcat dies. vires autem tantam interim ferant iacturam, vt nequeant sufficere, nisi per duodecim, adijce in hoc casu ex pręcepto Galenico aliquid victui, & perdurabunt ex eius nutu, ad febris vsq; solutionem, & sic pro interitu ægri salutẽ obtinebis. sic si continentem quampiam febrem, mortem decima septima minaturam, atq; etiam allaturam esse conspicaris, ideo quod vires non sint suffecturæ, vberiorem per dies antea adhibe cibum, vt sufficiant, & sic mortem arcebis. igitur cum sequelam hanc vanam esse, pateat, falsam quoq; Galenicam propositionem esse, notum est.

Et quamuis Hippocrates in nono, ac decimo aphorismis videatur admonere virium esse respectum habendum: attamen illas in medium affert, non vt ab his intentio sit aliqua, cibi offerendi, desummenda: sed vt consideret medicus, ne in tenuuius, quam par sit alendo erret, vt alioquin nequeat sufficere æger. est, admonitio ista, est cautio, non cibandi scopus; tãti enim delictum, tenuuius, quam res exigat, cibandi, vt periculosum æstimabat, vt in quarto aphorismo admonere, & hac vna de caussa quintum constituere voluit.

Quibus sic stantibus, statuendum iam certo venit, diętandi indicationem, non à viribus, sed ab vna calidi naturalis affectione esse desummendam, huic enim vt animæ instrumentum debetur conseruatio, atq; in longum productio, ipso enim conseruato, & alimonia refecto, vires à partiũ optima temperie, ex vigoroso calore coalescente resultantes, conseruantur, & ipso labescente labescũt. Debet amplius alimonia esse directa, atq; ordinata ad productricē caussam, non ad effectum; vires autem sunt quid, à calore identificatum; sic radicibus plantarum, non fructibus debetur nutritio. Demum alendi intentio debet respicere id, quod certam quandam indicat victus rationem, cum qua, sic indicata, nequeat in offerendo medicus errare, hic autem est, & non aliud; hominis calor minimè fallax. namq; si plurimus, plurimum, si paucus paucum, vt in sanis exposcit alimentum. Si leuiter deprauatus crasso: si valdè, tenui, vt in febricitantibus, indiget alimento.

Quapropter non benè sentire mihi videtur Galenus, qui morbi constitutionem, atq; accessiones, quas Hippocrates vt effectrices caussas, seu, mauis, vt signa affecti naturalis caloris, in medium affert, pro duabus alteris intensionibus circa victum constituit: vt hac de caussa tres in commentario duodecimo determinet, quarum primam à viribus, alteram à morbi constitutione, tertiam à particularibus accessionibus desumit. sed cum prima reiecta sit, duas alias non intensiones, sed ut caussas, & simul ut signa esse eius, à quo intentio desumitur, à sene posita, nemo, credo, inficiabitur.

Sicuti autem idem Galenus uidetur Hippocratis mentem, circa morbi constitutionem malè percepisse, ita leuem, ac meo iudicio contemnendam affert caussam, ob quam in febrium uigore tenuissimus sit uictus adhibendus, ne, inquiens, natura distrahatur, ad alteram nouam coctionem, ciborum de recenti assumptorum, cum eo tempore humorum morbum facientium coctioni fortiter uacet, & haud ita multo post sit ipsos euictura, quam assertionem ut quoddā oraculum amplexati sunt Arabes, & uniuersa medicorum schola huic se addixit.

1. Aph. com. 7. & 9.

Sed pace omnium dixero, assertio ista ut nulla firmata ratione; pluribus est obnoxia difficultatibus, natura quippe non agit ex industria. nec est ipsa, quæ coquat putridos humores, sed horum, quæuis sit, resultat ex illorum putrefactione. si quoq; in hos ageret, non uinceret, sed uinceretur, uel enim ageret ut calor, uel per calorem, sed hic remissior perpetuò est putri; actio autem non potest à minori prouenire. si humores à solidis corporibus sanis

coctio-

coctionem consequuntur per Galenum, quomodo coquentur, si deprauata eorum in febribus temperies est? coctiones, idem inquit, centum in locis, in statu fiunt, sed in statu labores sunt maximi, calor ad summum deprauatus, quomodo igitur tali tempore coquet? Si idem calor, sano existente homine, non potuit ante febris accessum humores vincere peccantes, quomodo intemperatus, atq; imbecillus factus poterit euincere? *2.in. 1. t. com. 96.*

At demus, quod, natura humorum coctioni vacante cibum asumat æger, non distrahi tamen, nec distrahi posse pro compertissimo habendum, cum abunde possit vtriq; coctioni sufficere, natura, inquit oraculum, omnia omnibus sufficit. Quin immo natura, naturalis sue calor (idem enim est in hoc casu (per coctiones viuidior, ac fortior efficitur, sicuti maior exilit caliditas à carbonibus accensis, ac sæpius motis quam cinere tectis; ignis inquit Ar. 1. prob. si moueas ex modico multus fit: è contra calor per otium, per inediam ueluti marcescere, spiritusq; deficere constantissimum est. si, implicari in sano homine natiuum calorem in ciborum coctiones, dum tertiæ coctioni uacat, non malè est, cur malè in febribus. Amplius per naturam aut intelligenda est, quæ totius est animantis, aut duntaxat partium specifica, sic enim habetur in enigmatico libro, una natura sunt hæc omnia, & non una, multæ naturæ sunt hęc omnia, & non una. igitur si illa, cur, cum in uniuerso uigeat, ac floreat corpore, non poterit in duobus ęque locis functiones proprias exercere, ac perficere? si hæc, cur pars, cur membrum quodpiam, propria natura donatum, non poterit per se coquere, ac perficere? quid est quod alterum alterius calore opus habeat? natura cum dicitur, distrahi, aut per uim quandam distrahitur, aut ex se. si primum sequeretur uim quandam pati. si secundum, sequeretur ex industria, & electiuè agere? Si daretur hæc distractio, sequeretur humanam naturam de auaritia esse arguendam, quod tantum caloris non tribuerit homini, qui esset sufficiẽs ad duas simul efficere, ac celebrare coctiones. sequeretur amplius quod calor qui venarum est proprius ac congenitus, derelinqueret sedem propriam, & accurreret in auxilium caloris ventriculi. hæc & similia leuia, inconstantia, atq; absurda emergunt ex Galenica assertione de naturæ distractione: ex qua postmodum emanauit illa ridicula cantilena, de pugna naturę cum materia, tantopere in medicina decantata. sed inutilibus omissis, ad utilia, ac particularia descendamus, priorem recipientes sermonem. *Lib. d. alim. com. 3.* *in 6 d. alim. com. 3.*

Deprauatur igitur in febribus, ac per febres natiuus ægri calor, &, ut declaratum est, modo secundum membrorum superficiem,

modo

modo interius quoq; alias uerò, & secundum uentrē. cuius deprauationis differentiæ caussam cum pendere à blando, vel acri, aut acriori calore statutum sit: cumq; hæc varia noxa naturæ sui principij sit consequutiua, sequatur, inquam, peccantis humoris naturam, propterea intelligimus, vbi peccat non valde magis caloris cum substantia humida, humor, non possē altam inferri noxam: altam vero infigit, qui magni, & siccæ est substantiæ. hic quippe percalida atq; acri, qua præstat, qualitate agens penetrat: ille magis fumis, quam qualitate agens, infigi alte nequit. Quam humidam cum calore substantiam cum in genere gestet vitiosus sanguis, consequitur vix interiorem posse calori nostro inferre iniuriam minus interiorem prauior, pestilentium febrium productrix caussa sanguis: ac successiuè leuiorem, si quidem impermixtim peccauerit, malefica pestiferarum materia. cum ex aduerso in febribus, quas sincera producit bilis, continuatim putrescens, calorem nostrum valdè altam ferre certissimum sit: adeò vt, cum hæ occidunt, non alia ratione, quam totali caloris deprauatione, quæ corruptionem dicit, occidant; quando pestilentes vitalis spiritus corruptione interimant. malignæ verò vtraq: manu ęgrotantis neci intendere videntur.

Quibus omnibus sic stantibus, iam strata via est, qua vnusquisq; scire valet, quæ victus vnicuiq; febri conueniat ratio. in malignis enim victum deberi sufficienter plenum iam cuiq; constare potest. in pestilentibus non solum plenum, sed etiam intermedijs (præsertim autem in pestiferis) à prandio, & cœna temporibus, aliquales ad spiritalem substantiam reparandam refectiones, adhibendas esse, exposcit ratio, veluti ex stillato breui carnis, iuribus plenis, contusis, oui vitello cum saccharo in iure soluto, vini albi odoriferi modico, odoriferis, & similibus. e cōtra vbi altam impressam in solidis esse noxam animaduertis, tenuē admodum deberi alimoniam, iam tibi compertum est. in summa enim quanto leuior est noxa, tanto vberior, quanto altior, tanto tenuuior victus conuenit. quippe deprauatas solidorum partes minimè nutriri posse certissimum est. hinc in alta deprauatione, quæ per biliosissimas febres locum habere solet, motricem pręsertim facultatem, neruorum per carnes dispersorum discrasiæ consequutiua, ex toto postratam, ex magna corporis ægrotantis grauitate, obseruare tibi licet. cum ex aduerso in pestiferis febribus multos ęgros ad fores vsq; horribilis mortis deambulare, notum sit.

Cuncta hęc præmittere fuit opus, vt hinc pateret, victum quem

medi-

medicus in febribus istis adhibuit plenum, fuisse prorsus congruũ, vt felix quoq; comprobauit exitus sentio enim febres malignas, ex morbis illis acutis esse, quos senex à victu tenui arcet, dum inquit, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. alioquin sub tenui Hippocratico, vires ex toto essent lapsæ. Qui victus in vniuersum sic procedebat (ratio enim semper habebatur, habitus, ętatis, complexionis, assuetudinis, iuxta quę, nunc ad pleniorem nunc ad tenuiorem cibatio inclinabat) primis quatuor diebus, quippé his febris parum esset molesta, panatella cum ouis, & carnis modico ægri tractabantur; ab hinc ad septimam vsq; diem, quidpiam, ac successiuè magis ipsa florentè à septima ad duodecimam, detrahebatur. rariuscula enim panatella farrum, aut ptisana in iure factis cum ouo mandabatur, at interuallo à cęna quædam exhiberi solebat refectio ;& si quidem exhibendum quidpiam non fuisset mandatum mulieres tamen, quę perpetuò formidant ne ęger fame pereat, quæq; instar picarum ęgrum nutrire vellent, ex se quidpiam, & id sæpius vltra conuenientiam, exhibebant. Ex quo errore, cum in vniuersum ab ipsis committatur, & vt plurimum ab ægris satis benè feratur, intelligimus debere nos iuxta Hippocraticum præceptum, ad crassum potius, nisi cæca teneat inflammatio, quam tenuem victum inclinare. 1. Aph. 4.

Vigore autem emoriente, & inclinatione iam elucescente, pleniusculus offerebatur victus, & in vtroq; interuallo aliqua refectione æger perpetuò recreabatur; cum enim naturalis calor ex progresso morbo valdè imbecillus redditus, consuetas refectiones non ferret fore liberales, ob id decebat eas veluti partire.

Quæ sensim, ac sensim adaugebantur, successiuè in dies natiuo ægri calore supra discratiam se attollente, atq; aliquale robur accipiente, vsq; quo valido reddito. ad consuetas duntaxat refectiones forma victus reducebatur: omitto acetaria, quę interim ad acuendum appetitum de more ante cænam porrigebantur, quæ modico postmodum saccharo amicdalato, uel phisticato, aut quopiam simili quandoq; non pomo, sed frusta pomi cocti claudebatur: poma enim cocta sicuti ęgre alterabilia in praxi semper comperimus, sic inuiolanda adstat in 2. de dięta Hippocratis auctoritas, quo in loco poma cocta durę coctionis esse, scribitur.

Potus erat aqua cocta cum passulis facta, & cum stillato carnis mixta, panis vero buccella uino imbuta postremis epulis offerebatur, uini etiam modicum pluribus concedebatur, prę̄ser-

tim

eim ijs qui, uel ad quoddam languoris summum peruenissen; uel quorum complexio, usus, ætas, uel uentriculi languor sic indicasset. tu autem cuncta hęc ęquo animo accipe, & quidquid boni, & utilis inueneris cœlitus agnosce.

FINIS.